


IHS



LITTERÆ ANNVÆ SOCIETATIS IESV ANNI MDCI.





ANTVERPIÆ
Apud Heredes MARTINI NVTII,
&
IOANNEM MEVRSIVM.
ANNO M.DC.XVIII.

FVERVNT in hac prouincia de Societate quadringenti circiter ſexagintaquatuor. In Domo Profeſſa Panormitana quatuor & quinquaginta. In Collegio itidem Panormitano ſex & octoginta: in Collegio Meſſanenſi tres & ſexaginta: in Syracuſano duo & viginti: in Catanenſi vnus & viginti: totidem in Calataieronenſi: in Biuonenſi, Meneenſi, & in Collegio Montis Regalis octodecim: vno plures in Drepanitano: in Marſalenſi & Calataniſſettenſi ſexdecim: in Rhegino duodecim: tredecim in Melitenſi: in Domo Probationis Meſſanenſi vnus & triginta: in Panormitana quadraginta: in Reſidentia Agragentina quinque: in Saccenſi tres. Dormierunt octo: recepti circiter quadraginta: in Indiam miſſi quatuor.

Domus Profeſſa Panormitana.

IN Profeſſorum Domo ſacerdotes degunt circiter vigintiquinque: reliqui ad quatuor & quinquaginta ſunt Adiutores. hic præcipuè hæc acta ſunt. Duæ ex eleëmoſyna corrogata noſtrorum ope nupſere. aureorum tria millia reſtituta. mater & filia ſeptem annis concubinę, vtraque cum ſuo concubino matrimonio coniunctę ſunt. homines itidem duo ex concubinatu exierunt. Seni Turcæ Chriſtum induti, Chriſtiana rudimenta à noſtris habuere. eiuſdem generis duo obſtinatè admodum auitis ſacris addicti, illuceſcenti Deo obtutus auertebant; at cuius lucem admittere noluerunt, ſenſere flagellum. etenim mortifero percuſſi

morbo in extrema valetudine baptiſmum efflagitare coguntur. Præſtò fuit ſacerdos noſter, eoſque baptizauit. quibus deinde probè cõualeſcentibus Chriſtianæ legis initia tradita ſunt. Eodem morbi iaculo mulieris Hebrææ tenacitatem perfregit Deus; ea quippe præclarè ſuadentibus, vt Chriſto ſe dederet, aures durè dedignata priùs, deinde moleſtiſſimis conflictata febriũ doloribus ſupplex tetendit cælo manus, baptiſmum implorans. itaque ſacro baptiſmate abluta Sacramenta in templo noſtro frequentat: &, quod eſt admiratione dignum, earum magiſtra eſt, quæ Catholicam fidem quærunt. Studium ac conſuetudo Sacramentorum mirificè augetur. ad diuina verba conuentus ſummus eſt. Ceſſerunt è viuis ſacerdotes duo: Petrus Dullaſtra Panormitanus natus annos quinque & triginta. Grammaticæ & Humanitatis profeſſor per triennium fuit, ſtuduit Philoſophiæ ac Theologiæ annis ſeptem: optimę ſanè ſpei iuuenis: ſtudio litterarum addictiſſimus, diſciplinæ religioſæ amantiſſimus erat. Philoſophiã docere cœpit, ſed in medio curriculo phthiſi, fluxuque ſanguinis oppreſſus ab officio ceſſit: vixit in Societate nouemdecim annis. Alter Antoninus Torrentinus Syracuſanus, profeſſus, anno ætatis nono & quadrageſimo, egregiæ virtutis vir. Fuit in Societate ſeptem annis & viginti, quibus ceteris probitatis exemplar fuit: in parendo promtus atque alacer: in iuuandis proximis ardens: in ferendis contumeliis conſtans: in paupertate hilaris: in aduerſa valetudine, ex qua fermè ſemper laborauit, patiens ac morbos occulens. Concionanti in Domo Profeſſa frater adſtitit à Præpoſito miſſus, vt citiſſimè ſermonem terminaret, quòd Prorex appropinquaſſet. dictũ, factum, neque vllum amplius verbum protulit. quacun-

que

que hora Patres Fratresque ipsum ad aperienda peccata conuenirent (erat enim domesticus confessarius) promto atque hilari vultu illos audiebat. Domi raro extra cubiculum; foras nunquam, dum vixit, ambulatum prodiuit, nisi iussus. Nihil magis oderat, quàm otium inanesque sermones. regularum atque instituti zelo mirè æstuabat. Quantum à Sodalibus Congregationis nobilium amaretur, melius est tacere; sanctum appellabant virum. Pridie, ad summum biduo ante mortem rogatus à Sodalibus, cur sibi tam malè affecto non parceret; Exiguo hoc, inquit, quod mihi superest etiam laborandum est. cumq; in templum efferretur, haud planè summoueri turba potuit, quæ ad manus osculum de more irruebat. tanta omnium de illo erat opinio, tanta commendatio sanctitatis.

Collegium Panormitanum.

PANORMITANVM Collegium octoginta sex alit de nostris: sacerdotes decem & octo, quorum duo Theologiæ, vnus Casuum conscientiæ, tres Philosophiæ professores sunt: Humanitatis præceptorem vnum, quatuor Grammaticæ: Theologiæ Philosophięque scholasticos duos & quadraginta, reliquos Coadiutores. Collegium & numero nostrorum & censu quotidie crescit. emta sunt aureorum millia & quinquaginta, denis centenis. Studiorum nostrorum ratio ciuibus valdè probatur. Conscientiæ quæstiones, vt à nostris soluantur, mirificè certant. summa ciuitatis capita, Archiepiscopus, Inquisitores, Magistratus, ipse Prorex de Patrum sententia consilia capiunt. Illud præclarè actum est. Parochorum munus adeò de recta via declinauerat, vt deprauato instituto

venales Sacramentorum administrationes viderentur: suo quisque Parochi pro ingenio pecuniæ tantum caperent, quantum libido imperaret. Quę Panormitanæ pestis Ecclesiæ vt extingueretur, vnus de nostra Societate impigrè superioribus annis procurauerat: hoc autem anno aliquando tandem in exitum rem perduxit. Igitur gloriosi operis princeps ne quando tam sanctum institutum interiret, fecit, vt respublica quotannis alendis Parochis, aliisve ministris pecuniam attribueret, aureorum scilicet septem millia, & à Pontifice Max. Clemente VIII. præsentandi ius impetrarent Quibus rebus peractis, vt rectum institutum rectè procederet, cum Prætore ceteroque senatu egit, vt homines deligerentur, qui Christiani iuris intelligentia, grauitate vitæ, morum integritate pralucerent. quod asperum ac durum Parochis videbatur, ipse leue ac facile reddidit: quod difficultatis Apostolicum diploma continebat, ritè explanauit. quamobrem mirifica omnium approbatione, ingentique rei Christianæ emolumento baptismus infantibus, piacularis ægrotis inunctio, sepultura defunctis, atque id genus alia Sacramenta gratis dantur. Idem sacerdos non minorem nauauit operam in concinnandis redimendorum captiuorum legibus, quæ hoc anno primùm sancitæ sunt: qua in re consultũ est, ne quid detrimenti captiui capiant, néve fraudis aliquid pretio soluendo intercidat. Doctrina Christiana, quæ dudum in parœciis exponitur, nunc in plateis quoque publicisque areis explicatur. Dominicis item diebus singulis homines illos, quos Zingaros vulgus appellat, vnum in locũ coactos eadem doctrina instituimus. Vnus præterea nostrorũ Æthiopibus mancipijs aliis catechismum, aliis ea, quæ sunt veteris Christiani, tradit non sine

ſine fructu laboris. Senatus quòd bellè res iſta geritur, decreuit ducentos quinquaginta aureos ad coëmendam ſedem, quò mancipia inſtituendà conueniant. Catechumenus genere Turca in Collegio noſtro inſtructus magna celebritate ad tubarum tibiarumque concentum baptizatus eſt: vtque alij ad Chriſti fidem excitarentur, à nobilibus viris rheda ſuſceptus, honorificè per vrbem vectus eſt. E Sodalitiis B. Virginis decem in religioſas venêre familias: in noſtram octo, vnus in Benedictinam, alter in Dominicanam. Duo è multis, qui in Panormitano Collegio in Indiam mitti exoptant, euocati, mirum quantum cepere lætitiæ, quantum alacritatis oſtendere, quam aliorum animis deſiderij flammam excitarunt. alter ſacerdos paucis menſibus Theologiæ curriculum euaſurus, alter nuper ingreſſus; vterque optimæ ſpei Indici ruris agricolæ. Demum anno veniente exceſſit è vita Bartholomæus Guarnera, Coadiutor, Meſſanenſis, pietate in Deiparam clarus: vixit annis octo & quinquaginta, in Societate verò duobus & triginta: qui nauiter ſe in domeſticis rebus, ac ſtrenuè ſemper exercuit.

Collegium Meſſanenſe.

MESSANÆ in Collegio noſtro verſantur de Societate ſexaginta tres: ſacerdotes duo & viginti; inter quos duo litteris humanioribus ſexdecim Socios expoliuere in domeſtica Academia. externos vnus Rhetoricam, Humanitatem & Grammaticam quinque docuerunt. Coadiutores nouemdecim fuere. Externorum diſcipulorum numerus hoc anno egregiè auctus eſt. ex Cõgregationibus ſanctiſſimæ Virginis hos fructus collegimus. Vndecim in Societatem adſcripti: qua-

tuor alij ad alios religiosos Ordines se contulerunt. Plures summo conatu idem contendunt. Ex illa Sodalitate, quæ Studentium appellatur, nobile integritatis exemplum habemus. Adolescens Iuris prudentiæ deditus, florens ætate ac vigens, primis cum annis pietatem in Virginem tenuit; neque vnquam passus est diem elabi, quin ad ipsam Dei matrem variis precationibus supplex accederet. Messanæ verò quotidie vesperi id templum adibat, cui à Pilerio vulgare nomen est, ibique vel clauso ostio Deiparam salutabat. Hunc semel vesperi, dum se recipit domum, audax puella inuadit, & procacibus verbis ad facinus impellit: adolescens puellæ procaciam demirans, blando sermone hortatur, vt pudoris ornamentum, ac parentum decus maioris faciat; ac breui oratione ab illa se liberat. Sed quid impudentius muliere præ libidine insaniente? iterum vesperi ante ianuam venienti se sistit, obfirmatoque animo se inde haud vnquã discessuram affirmat. At is tantam libidinosæ mulieris indignatus insaniam, iusto remedio puellæ morbum curat: pugnis & colaphis domo sua exturbat. Puellã pater offendit; vnde se referat interrogat: rem omnino percipit: proinde castum adolescentem aut in carcerem obtrudendum, aut vadimonio adstringendum curat: quin exitium comminatur, ni gnatæ suæ, quam vitiatam credit, macula coniugio abstergatur. Ille quòd sibi nihil consciret, ridebat minas; rogatus, cælum ac numina testabatur, à quibus integritas spectaretur sua. quid multa? parens puellæ firmum adolescentis propositum connubia recusantis secum reputans, comites sibi asciuit, insidias parat. qua ille ad beatæ Mariæ itare consueuerat, viam obsidet: proximus sacello adolescens inopinatò insidiatoribus obuiàm fit. Fugæ
se

ſe commendaſſet, ni indecorum exiſtimaret, & ad mortalium pręſentiſſimum aſylum, periculorumque omnium certiſſimum propugnaculum tendere ſe cognoſceret: proinde frontem ac pectus ſigno crucis muniens Dei genitricis opem implorans, erecto animo pergit, perque mediam inſidiatorum penetrat manū, & templo propinquat. Ii verò quaſi è cælo tacti conſtitere; neq; vnquam pater puellæ, aut alius quiſpiam necis aliquid, vel contumeliæ machinati ſunt. Ille verò templum ingreſſus Virginem de more ſalutat, eique quòd vitam ex inſidiis eripuiſſet, acceptum referens, ingentes gratias egit. Sodalis alius eiuſdem Congregationis in Societatem noſtram ita à Deo euocatus eſt. Hic aduena Iuris peritiam ſecutus, locata domo Meſſanę verſabatur: cumque aliquid otij nanciſcebatur, ſolebat è ſacerdote noſtro multa de Societate curioſiùs inquirere, audiendi magis cupidus, quàm faciendi. Verùm, quæ ſanctorum eſt ratio colloquiorū, aliquot quaſi aculeis pungebatur. res eò proceſſit (quoniam ſæpiùs eadem de re attentè audiuiſſet) vt animus aliquādo caperetur. Sed inanibus rebus diſtractus diuinam vocem intimis auribus non percipit. at qui proſperis obſurdeſcit, auritus reddi ſolet aduerſis. Dum aliquādo domi cum amicis colloquitur, furtim bona ſupellectilis pars illo inſciente abripitur: dumque furti auctorem quærit, in vitæ diſcrimen incidit. etenim, vt multa diſſimulem, parum abfuit, quin bona inquirens, ſclopo ictus, quem inſecutor diſploſit à tergo, vitam amitteret. Sed neque tunc Dominum vocantem exaudit. Rurſus illo abſente ſeras effringunt ianuæ, ceteramque propè ſupellectilem exportant. His animaduerſis excitatur tandem, ac vocantem ſequitur. quare ad ſacerdotem vt venit, Hactenus verbis, inquit, Pater,

nunc facto opus est. seriò Christum sequor. Igitur probato spiritu, post aliquot menses in nostrorum numerum est cooptatus. Ex opificum minore Sodalitio turpi contumelia, cruentoque affectus vulnere propter Collegij ianuam Sodalis, cùm primùm in cœtum venit, omnem prorsus percutienti iniuriam se condonare dixit: quin gratias egit Deiparæ quòd fœdiùs grauiusque vulneratus non esset. Quidam variis impugnationibus à dæmone diuexatus, vt ne vlla quidem vel nocte requies capi posset, ad concionatorem nostrum ærumnas refert; ille suspicans, quod erat, hominem sceleribus coopertum fore, ac proinde tam sæuè laruis ac spectris impeti agitarique, suadet vt in se ipse inquirat, ecqua pectus noxarum mole deprimatur; quod si ita esse videat, diligenti confessione omni se sarcina leuet, in spem veniẽs futurum, vt dæmon abs se vnico illo strategemate arceatur. ad hęc obsessus obiicit nullam sibi fieri copiam, nullum meditandi inquirendique tempus: adeò crebra conflictione vrgebatur. Tum cape, inquit sacerdos, hæc arma in hostem, quæ nusquam locorum à te dimoueri sinas, victoriam omnino reportaturus: beati quippe Ignatij formam ex papyro illi dedit, cuius ope miser dæmonis iam obsidione liber, parata factaque confessione mira tranquillitate potitus est. Plura omitto, ne multus sim, quæ quotidie etsi magna sunt, vsu veniunt; vt restitutiones, iustæ nuptiæ, insignes pacificationes, generales confessiones, morumque admirabiles mutationes, & id genus alia. Nunc ad domestica veniamus. Tres è Sociis vita perfuncti sunt. Antoninus Amorius Ficarrensis, sacerdos, qui diutinis doloribus ex inusitata vrinæ difficultate confectus adeò, vt ipsum inuisentes ad lacrymas flecteret, eodem die, quo beatus Ignatius,

Ignatius, ad superos euolauit, ætatis anno quinquagesimooctauo, religionis tertio & quadragesimo. Rectoris munus annis sex, Ministri nouem, concionatoris viginti exercuit. Alter Domitius Summartina annorum quatuor & viginti, emenso iam Philosophię curriculo, phthisi absumptus est; vixit in Societate septem annis. Tertius Frãciscus Caietanus eadem tabe correptus. is illustri genere clarus, virtute clarior fuit; cùm omnibus, qui se ad Christum adiungere gestiunt, exemplum exstiterit sanctitatis & disciplinæ. à religiosæ vitæ incunabulis ad extremum vsque spiritum sui numquam similis, cùm quotidie melior fieret, secum acerrimè certauit. orationis studio apprimè deditus erat, abiectionem sui, honorisque despicientiam adeò coluit, vt nihil iniquius ferret, quàm prædicari: Superiorum dicto obtemperantissimus; nec mirum, cùm inferiorum quoque consiliis sententiisque facillimè parêret. corpus tam diu edomare studuit, quàm diu vires ipsæ pertulerunt: neque enim dum lento illo morbo laboraret, in valetudinario diuersans seueritatem pristinam remitti aliquantisper perpessus est. ea de re admonitus, obiicienti licere in tam graui valetudine corpori parcere; quin, cùm vitæ periculum timeretur, vel maximè expedire; salutari odio flagrans, Proinde, inquit, seueriùs agendum est, quòd & lucrandi tempus breui eximetur, & ad tribunal Iudicis celeriter veniendum est. quocirca cùm eius germanus frater homines cum lectica ex opido suo mitteret, vt commodè in auitam domum veheretur, si fortè hoc vno remedio vis morbi imminueretur, rem iniquissimè tulit, cumque animo dolorem indeptus est, vt Pater Prouincialis neutiquam id iubere ausus sit. Iam omnibus certissimum erat illum dissolui cupere,

&

& eſſe cum Chriſto. quod maximo argumento comprobatum eſt: quandoquidem in extremo vitæ certamine multa cum Deipara, multa etiam cum eius filio IESV Chriſto ſuauiſſimè locutus, feria ſexta maioris hebdomadæ cum Chriſto coniunctus eſt. Hæc pauca deſumſimus ex iis, quæ iuſto volumine de egregio iſto Socio ſcribi poſſunt, & alij fortaſſe ſcribent. Mortuus eſt ætatis anno triceſimo ſecundo, Societatis nono. docuit tantùm Grammaticam, Philoſophiæ ſpatium ob valetudinem abſoluere non potuit.

Collegium Syracuſanum.

SYRACVSIS fuere de noſtris duo & viginti, nouem ſacerdotes, tres præceptores, reliqui Coadiutores. Syracuſana res nihil hoc anno noui habuit, quod præcipuè ſcribatur, præter duo. quamquam vetera illa, totique Societati communia magno æſtimanda ſunt: ſcilicet mortalium animos ad omnem pietatem informare, diſſidentes conciliare, virgines in pudicitiæ flore continere, generales confeſſiones excipere, & id genus alia. Nobilis femina cùm magno capitis dolore affligeretur; imaginē beati Xauerij quam apud ſe habebat, ſumma cum fide amplexata, non priùs morbum deprecari ceſſauit, quàm ipſi fides ſanitatem peperit: quæ res incredibilem mulieri pietatem in Xauerium, obſeruantiam in Societatem cōciliauit. Miſſus eſt ſacerdos è noſtris Buccherium (id nomen eſt opidi) flagitantibus opidanis noſtræ Societatis obſeruantiſſimis. Sodalitium inibi eſt noſtrorum operâ ſex abhinc annis erectum. quod adeò viget, ac ſi modò inſtitutum eſſet, aut à noſtris gubernaretur. propter ædiculam, vbi cœtus habetur, Sociis noſtris eò accedentibus

tibus

tibus diuersorium, & quidem peraccommodum collocauerunt. Sacerdos verò magno cum fœnore Syracusas rediit, nobili, præter alia, pacificatione confecta inter nepotem & auunculum ad perniciem dissidentes.

Collegium Catanense.

FVIT in hoc Collegio Sociorum numerus ad vnum & viginti, è quibus sacerdotes nouem, Præceptores tres, reliqui Adiutores. Rerum capita hæc ferè sunt. Adolescens prioris vitæ odio, quod ex meditationibus primæ hebdomadæ conceperat, Capucinis se adiungere decreuit: ac demùm percalcatis, quòd repugnarent, parentibus intempesta nocte in cœnobium se recepit. Extremo Iulij die, qui dies beato parenti nostro Ignatio sacer est, producta est in publicum eius tabella summa frequentantium iucunditate pietateque, vt poposcerint atque adeò flagitarint, vt octo dies iucundo illo aspectu fruerentur. quorum ea vox fuit, nusquam se tanta beatæ vitæ dulcedine captos esse. Quidam bonæ magnitudinis cereum ante tabulam arsurum donauit. Mulier cuius animus ardentissimè in B. Ignatium ferebatur, vicinam adit, cui filia octimestri oculorum affecta lue, lumen, nullis aut seruatum, aut reuocatum medicamentis amiserat: tum magna de Ignatio prædicare, rogare insuper, vrgere, audeat, adeat, imploret: persuadet scilicet. itaque reuocata spe, puella hortatricem obtestatur, sacerdotem è nostris adeat aliquem, à quo aut tabulam illam, aut aliam illi similem ad horam sibi commodandam exoret. redit illa, aliam papyro expressam impetrat, ad ægram defert. Mirum dictu: admota oculis tabella, extemplò redire lux cœpit, & abscedēte

paula-

paulatim lue, optatum penitus lumen restituitur. Creuit hoc experimento mulieris fides: quare commodatam redditura tabulam, ex itinere ad aliam deflexit, cui deforme erat in sincipite tuber. eò vt venit, excitat mulieris fidem, deinde admouet imaginem tuberi: nimirum detumuit subitò, & in pristinam se læuitatem detumescens cutis recepit. Itaque gemino decorata miraculo beati Ignatij tabula ad sacerdotem rediit. Hæc fama pietatem auxit. proinde qui siue animi, siue corporis morbo vrgentur, ad nostros confluunt, imaginem B. Patris efflagitantes. Collegium tricenis aureis donatum est, totidem & templum, vt cœpta peristromata perficiantur. Matrona testamento legauit in vsum bibliothecæ aureos itidem ducentos quinquaginta.

Collegium Montis Regalis.

COLVERVNT hanc vineam Socij octodecim, sacerdotes septem, quorum vnus Christiana officia publicè explanauit: præceptores duo, totidem scholares Casuum, reliqui Coadiutores. Collegium alieno ære se liberauit, ædificationis præterea fundamenta iecit, exacta quadam pecunia, quam superioribus annis Archiepiscopus dederat. Alij aureos quinquaginta addidere. Rogatu Vicarij Generalis profectus est sacerdos cum comite fratre Planam, Busachinum, Corilionem. tria sunt opida, Græcorum vnum, Latinorum duo. quibus in locis, Planæ præsertim, multa è re diuina sunt gesta, quæ singillatim percurrere longum esset: quamquam omnia præteriri non possunt. Planæ Græcorum in opido haud ignarus dæmon quantam ex nostris prædæ iacturam faciat, suo veneno fermè infecerat vniuersos. subortus nem-

pe rumor erat nostros eò adituros, vt Græcorum res cognoscerent, omniq́ue ope ad Latinorum ritus, quod odiosissimum Græcis est, perducerent. Sed noster ea, qua par est, mansuetudine comitateq́ue omnem callidissimi hostis artem elusit. Vicarium conuenit primùm, ac patentibus litteris de more explicatis, nihil sanè, nisi de eius arbitrio sententiaq́ue facturũ se professus pollicitusq; est. Quod cùm facto probasset Pater, tantus in Societatem Græcorum amor ac beneuolentia subsecuta est, dici vt vix possit. Singulis diebus, certis horis dato signo, ad confessiones vndique confluebant. A Latino sacerdote (sunt enim permisti Gręcis Latini) cùm Latini alienati essent maximo animorum detrimento, nostri operâ factum est, vt cum Latino Parocho conciliarentur; & alius denuò adiiceretur ad confessiones Latinorum percipiendas, vt integrum ac liberum esset omnibus, vtri vellent, peccata aperire. Christianæ doctrinæ explicatio ingenti rudibus adiumento fuit. Supplicantium ritu anteibant nostros clerici albis induti linteis, manibus gestantes libellos, vnde vulgares odas modulatè concinerent, passimq́ue per vicos subsidente pompa sacerdos Christiana elementa explicabat. mulieres, cùm nusquam apparere soleant, è fenestris ianuisq́ue rei nouitate pellectæ ad audiendum prodibant. Neque his finibus constitit lucrum: etenim amandatis ab opido turpibus cantilenis, nocte dieq́ue cælestes illos hymnos iucundissimè canunt. Euulsæ præterea sunt superstitiones non paucæ. Tribus mulierum cœnobiis sermonibus effectum est, vt meliores sanctioresq́ue euaderent cœnobitæ. Episcopali synodo decretũ erat, vt singulis hebdomadis de Christianis officiis schola haberetur. Sed res ad exitum nunquam peruenerat. Sacerdos noster operam

ram adhibuit, vt decreto omnes parerent, præfectis seminarij Montis Regalis alumnis, qui apud nostros profecerunt. Dedocti præterea sexcentos errores: non oportere vtrumque cõiugem eidem sacerdoti confiteri: anathematis vinculo omnino non implicari illum, qui in Latinum se conuertat ritum: nusquam licere infantibus Eucharistiam impertiri: nefas esse Græcis dies Latinis festos non colere; quare festorum dierum index compositus est, quos tum Græci, tum Latini obseruẽt: Latinorum infantes Græco ritu non esse baptizandos: baptizandi formulam, quam obstetrices, aliæúe mulieres in baptizandis pueris sub vitæ discrimen vsurpant, quòd adulterina esset, haudquaquam prodesse; atque idcirco corrigendam fore: aliaque non pauca. Sublata itidem est damnosa consuetudo. mos erat Græcis semel quotidie etiam festis diebus ad ferè meridiem sacrum facere, quare magna pars opidanorum agrestibus officiis addicti, agros & rura petentes, sacrificio non aderant: neque vnquam flecti Græcus poterat, vt bis quotidie duo sacerdotes facerent, alter albẽte die, alter ad meridiem. Noster hac arte pertinaciam fregit. cœpit quotidie primo diluculo sacris operari, adeoque templum frequens erat, vt omnem turbam vix posset capere. id, cùm Græci sacerdotes animaduerterent, veriti ne, & eleẽmosynarum iacturam facerent, & paulatim Græci in Latinos transirent, bis vt singulis diebus fieret nouo instituto sanciuere; prima luce primùm, deinde ante meridiem. Presbyteris porro per aliquot dies conscientiæ rationes perutiliter explicatæ. Multis annis quædam intercesserat inter Græcos & Latinos controuersia de vicis honestioribus designandis, quibus quotannis more institutoq; Latinorum sacrosanctum Christi Corpus per

opidum

opidum circumueheretur; præfractè nimis pernegantibus Græcis; quorum arbitrio res omnis ſtat. Verum noſtri hortatu auctoritateque diremta lis eſt, nobilioreſque deſignati ſunt vici, per quos annua pompa circumiret. Quoniam ſolemne eſt Archiepiſcopo in ſingulos annos plurimum argenti per totam diœceſim in egenorum conferre ſubſidium: orauit noſtrum Generalis Vicarius, vt ſtipis nomine tribus in hiſce opidis aureos nummos nonaginta æquè pauperibus diſtribueret. Pater aduocatis arbitris, opidanis nempe Vicariis aliiſque viris, vicos obiens domoſque percurrens ſumma cum pietatis ſignificatione ritè pecuniam omnem inopibus diſpertiuit. quæ res non parum animos omnium Societati noſtræ deuinxit.

Collegium Biuonenſe & Calataieronenſe.

BIVONÆ ſocij degunt duodeuiginti, ſacerdotes ſex, præceptores duo, reliqui Coadiutores. Idem ferè rerum curſus & ſtatus eſt, ne detrita illa ſemper connumeremus Illud tantùm acceſſit. diſtat ab hinc non longè admodum monachorum domus, quorum Abbas Societatis amantiſſimus eſt. huc rogatu Cardinalis eius familiæ rationes procurantis, miſſi ſacerdotes duo, qui beati Patris Ignatij exercitiis nouitios ad pietatem & diſciplinam informarent. res ex animi ſententia ceſſit, non ſine communi voluptate. Eſt autem hic Ordo eorum, qui a monte Oliueto appellantur. Epiſcopus præterea ſanxit edicto, vt ne cui Chriſtianæ diſciplinæ rudimenta neſcienti abſolutio impertiretur. quare tantus fuit omnis ordinis ad nos concurſus, vt decem omnino tum in templo,

tum in ſcholis multitudinem erudire non poſſent. Exit quoque ſacerdos cum adminiſtro in vicinum pagum eadem munerum opportunitate rediens, qua domi percipitur.

CALATAIERONÆ vnus & viginti, ſacerdotes octo, quorum vnus Philoſophiæ profeſſor, præceptores tres, Adiutores decem. & hîc etiam idem rerum ordo. Ceterùm, vt facultatē ciuitas augeat benemerendi de nobis, aureos quadringentos ad templi faciem extruendam, ſeptingentos inſuper & quinquaginta ad Collegij reliquam partem exædificandam attribuit.

Collegium Rheginū & Drepanitanū.

RHEGII fuerunt de Societate duodecim, ſacerdotes quatuor, præceptores duo, Adiutores ſex. Quantum Societati ciuitas tribuat conſulendis adhibendiſque noſtris cùm eorum operam conſiliumq; deſiderant, planè declarat. quanti verò Archiepiſcopus nos diligat, & ſuperioribus litteris ſcriptum eſt, & ampliùs ſcribere iam tædet. Concionatus eſt Pater in templo maximo, cuius è concionibus plurima ad animos manauit vtilitas, vtque peropportunè ſedem ſibi quiſque compararet, ſolem propè anteibant. Cohibitæ iræ non leues; præſertim, quæ multis annis duas inter familias extiterant. Sontibus ad carnificinam adfuerunt noſtri; vni præcipuè, qui ad ſupplicium trahebatur inuitus: hunc è noſtris vnus, ne cum corpore animus quoque plecteretur, tam ardenti cohortatione permouit, vt eum penitus immutarit. ergo priorem tarditatem celeri alacritate compenſans, currebat ad reſtim, factuſq; repentè ex auditore magiſter, circumfluentem turbam ad cæleſtis

cælestis amorem patriæ inflammabat. Ad patibulum vt venit, crucem suam illud appellans, sponte conscendit, eoque vitam fine conclusit, vt magnam suæ spem salutis vulgò reliquerit.

Drepani vndeviginti de nostris in suis studiis muneribusque se continent: sacerdotes octo, præceptores duo, Coadiutores nouem. Animarum lucra consueta fuere. id tantùm accessit: composita lis est viros inter nobiles. Ad saniorem fidem ac mentem reuocati duo, qui in hæresim lapsi, perditè viuebant.

Collegium Mineuinum & Marsalense.

Minei ferunt opem animis Socij octodecim, sacerdotes sex, præceptores duo, Fratres decem. Hoc anno primùm inchoatum est Sodalitium nobilium. primæ fruges fuere compositiones duæ insignes. duo, alter alterius exemplo, frequenti cœtu clara testati sunt voce, se inimicitias ponere, & ad pedes eorum, quos oderant, prouoluti (aderant ij quippe) veniam orauerũt. Plebeiorum Sodalium pietatem æmulantes, diuisis ordine vrbis regionibus, stipem egenis subleuandis rogant. Ipsa porro plebeiorum Sodalitas quotidianis incrementis augetur. Nihil, nisi de nostrorum sententia, in priuatis agunt negotiis, magnoque sunt ceteræ vrbi significatione pietatis incitamento. Demortuæ fundatrici ritè parentatum est. Funeris enim exsequias debitis honoribus in templum nostrum duximus: ibique tumulata est. habita funebris oratio. egeni duodecim atrati pompam cohonestarunt. morienti semper assedimus: illa, quæ senio iam confecta Superos

adire cupiebat, & bene actam vitam felici fine probauit, & magnã promerendæ salutis suæ spem nobis reliquit. Post eius obitum Collegium dilatatum est, proxima iam illius domo nostris adiuncta penatibus, diuite cum supellectili: auctum adhæc tribus millibus aureorum, quæ pręter fundationem nobis testamento legauit. Cumque Religiosis familiis agrorum hereditas obuenire non possit, agrum (feudum appellant) cuidam reliquit, qui eius pretium Societati donaret. His accesserunt aurei trecenti septuagintaquinque annui ex lite, quam aduersarius noster perdidit.

Marsalense Collegium sexdecim complectitur Socios, sacerdotes septem, præceptores duos, reliquos administros: Ciuitas, quoniã semel amare ac diligere nos cœpit, à pietatis beneuolentiæque officio non cessat. Neque sæcularibus modò hunc amorem iniecit Deus, sed Religiosis omnibus omnium Ordinum, vt superiore scripsimus epistola: qui familiam nostram omnibus officiis colunt, aliquot pręsertim, qui Societatis studia miris laudibus apud populum efferunt. Sacramentorum vsus creberrimus est adeò, vt vna ciuitas in vnam parœciam coaluisse videatur. Concionator noster tam grauiter accurateque de eleëmosynæ dignitate dixit, vt mirabiles eius amores excitarit. Alij digitos annulis exonerare, alius crucem ex argento de collo pendentem, quæ paruo non steti, pauperum vsibus destinare, alij frumenta deferre, alij alia comportare. & quod lacrymas tale facinus inspectãtibus excitauit, pauperrimi alij dimidium panis, olearumque pugillum, aut fabarum scutellam, aut paucas lentes offerre, inopiæ obliti suæ, memores alienæ: tantus animis amor eleëmosynarum insederat. Sodalis è Congregatione nobilium fuste pulsatus à quopiam,

piam,

piam, repentè occupatus ab iracundia, ſaxum capit vlturus iniuriam; ſed non antè è tellure lapidem tulit, quàm ratio admonuit animum iracundiæ: itaque memor Chriſtiani hominis eſſe accipere magis, quàm facere iniuriam, illicò ad genua procidens aduerſarij pedes exoſculatus eſt. Quæ res miraculo ſpectatoribus fuit. Virgo cùm multa de virginitate à concionatore noſtro accepiſſet, verita ne crinium amore, quos mirum quantum amabat, ad eam virtutis gloriam tardaretur, domum vt ſe recepit, capillum totondit, Deoque deuouit. Hunc tandem annum condidimus obitu Patris noſtri Rectoris. is fuit Pater Ioſephus Graſſus Salerni natus. ætatis anno exceſſit ſexto & quadrageſimo, Religioſi certaminis ſeptimodecimo. eo ventris malo interemtus, quod Ileos medicis appellatur. in ſummis bidui doloribus magnum virtutis ſpecimen dedit; qualiſque in omni vita fuit, talem ſe in morte præbuit. Filios ſuos ad Religioſam diſciplinam nouiſſimis etiam verbis egregiè hortatus eſt bonus Pater. Acerbum funus prouincia vniuerſa deplorauit. Ciuitas porrò mœrore fermè contabuit, eiuſque exſequias amantiſſimè proſecuta eſt. etenim ſimul vt exceſſus vulgatus eſt, è ſacris ædibus certatim ære campano lugubre ſignum datum eſt: productoque funere in templum, adfuit cum clero Archipreſbyter, omneſque Religioſæ familiæ: ac funebri de more ſymphonia coram magiſtratu, primariis viris, ceteroque ampliſſimo cœtu iuſta perſoluerunt.

Collegium Calataniſſettenſe.

CALATANISSETTÆ non idem toto anno Sociorum numerus fuit: nam præter ſacerdotes ſex, & præceptores duos, Fratreſque ſeptem, certos operarios; ad vacationis tempus additi conſcientiæ Caſuum profeſſores duo, cum aliquot auditoribus: quorum auditorum vnus cum litterarum humaniorum profeſſore in Indiam ſunt euocati. Eos cùm hilari animo ac promto ad tantum iter capeſſendum familiares aſpexiſſent: ſcilicet alium in orbem demigrandum eſſe, ingentem cœpere lætitiam, non ſine magno ad ſubeunda pro Chriſti amore pericula incitamento. Secundo iſto fundationis anno ſecundæ fuere res. Eximia beneuolentia eſt opidanorum. planè noſter eſt populus, noſtra nobilitas; neque dictu facile ſit, quantum omnes Societatis munera ſuſpiciunt. Ducis Biuonenſis, quæ auia Principis eſt, liberalitas quotidie magis in nos elucet. Non enim Collegij fundatione contenta, nouis ſemper beneficiis noſtris laboribus obſecundat. Solemnioribus anni feriis magnam ciborum copiam opiparè inſtructam ad nos mitti iuſſit. Stragula porrò viginti ac duodecim pallia nobis coëmenda curauit. quoties ægrotant Socij, omnino cauit, vt ne aliunde pharmaca curationeſque, quàm à ſua domeſtica officina, deferantur. Quod cùm noſtri aliquando non feciſſent, iniquiſſimè tulit. quare eius beneficentiæ parêre in poſterum neceſſe ſit. Cùm itidem nouus è noſtris ſacerdos primùm eſſet facturus, rogauit, vt in domeſtico ſacello primam hoſtiam immolaret. Itaque centum aureos primùm decernit ad veſtes tum ſacerdotis, tum altaris ex ſerico auro argentoque diſcriminato; deinde ſacellum

ſignis

ſignis ac tabulis,ac opere phrygiano artificioſiſſimè elaborato circum ornari iubet. Sacris demùm ritè peractis, manus oſculatione ſacerdotem venerata, domum dimittit, præcipiens Principi, vt illum comitaretur, atque apud nos pranderet. Prandium verò ipſa elegātiſſimum præbuit. quod hoc anno ter fecit eo ſtudio, vt Princeps ſæpe nobiſcum prandens, Societati coniunctiſſimus fieret. Datus Principi ac eius fratri ſacerdos è noſtris, Duce ipſa maximè poſtulante, qui tum humaniorum litterarum eruditione, tum Mathematicarum cognitione rerum illos expoliret. Nec ſolùm litteris apud nos dant operam; verùm etiam Chriſtianæ pietati. Sæpe in templo noſtro mirifica omnium voluptate communicant. quare ſperamus fore, vt Princeps propediem ad gubernacula acceſſurus naſcēti Collegio plurimum adiumenti daturus ſit, & creſcente eius regimine, Collegij quoque creſcat emolumentum. Quantum verò Ducis nurus Principis mater nos colat, ſuperioribus litteris ſcripſimus. neque verò vllo officio à ſocru ſuperari ſe ſinit. Idem beneuolentiæ obſeruantiæque curſus, eadem in templo noſtro Sacramentorum frequentatio eſt. cuius veſtigia inſequens cætera gens, planè probat, quid in ciuitate virorum principum exempla poſſint. Noſtri itaque ſtrenuè laborant, tametſi multitudini confluentium operariorum vires non ſuppetant. Quidam octodecim ipſos annos nunquam confeſſus, peracta generali confeſſione, in alium hominem euaſit Alius è Sodalitio plebeiorum euangelicæ inſtitutionis memor, *Cùm perſequuntur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam*: carcere, contumeliis, verberum minis æquiſſimè toleratis, vt furori cederet, diuenditis vili fortunis, cum coniuge ac liberis tempeſtate perfrigida in aliud opi-

dum ad triginta passuum millia demigrauit. Mulier viro orbata, post longas aliorum preces, nostrorum hortatu interfectori aliquando tandem pepercit.

Collegium Melitense.

MELITÆ animarum saluti inuigilant de Societate tredecim, sacerdotes quinque, præceptores duo, reliqui Fratres. Morienti Magno Magistro duo de nostris quatuor dies adfuerunt. Eius præterea rogatu quadraginta horarum precatio nostro in templo instituta est. Inter alia, quæ eleëmosynæ nomine legauit multis, nobis aurei octoginta obuenerunt. Qui demortuo suffectus est nobis summopere fauet. P. Rectori sæpiùs operam suam spopondit, & vt verba res confirmaret, præter crebra munera & eleëmosynas, œconomo in mandatis dedit, vt Collegio necessaria suppeditaret perinde ac domui suæ. Crebrò domum nostram venit, & cum Patribus familiarissimè colloquitur. Concionibus & catechesi, quæ in vrbe fiunt, accessit, Episcopi postulatione, concio & catechismus sermone patrio, quæ diebus Dominicis Quadragesimæ habentur in pagis, vt plebs ad confessiones communionesque ritè faciendas se comparet. Natalitiis feriis & sacra hebdomada tanta fuit confitentium copia, vt dici vix possit. Multi, quoniam aliis peccata confiteri nollent, confessionem post solemnes dies produxerunt, vt nostris non minùs, quam antè elaborandum fuerit. Orauit nos Magnus Magister vt cœnobitis mulieribus aures daremus. illæ omnes generali confessione se expiarunt maximo cum fructu. Venit in templum nostrum grassator vt scelera poneret, qui cùm non ei statim sacerdotis

copia

copia fieret, criminum fœditati caussam adscribens, lacrymis se dedit; mox totius anteactæ vitæ maculas confessione detersit. Gubernator quidam de nostrorum consilio multum æs alienum deprauato quodam iure contractum, paganis restituit: vulgata re per insulanos & Magnus Magister edicto cauit, ne iura illa valerent, & populus magnam beneuolentiam in nostros tanquam magni operis architectos concepit. Scorta quatuor ad bonam frugem se receperunt. vna in florenti adolescentia concionatoris icta verbo, ad animæ medicum conuolans, vulnus detexit, pauloque pòst renuente omni studio matre, in cœnobium pœnitentium se contulit. Altera septemdecim annis meruerat; reliquæ eodem ferè tempore. Nunc magna omnium admiratione Sacramentis crebram dant operam. Quidam nocte accepto lethali vulnere, sacerdotis nostri monitu, ita in percussorem animatus fuit, vt nemo, vulneris auctorem cognoscere cupiens, quidquam ad eius mentem oratione flectendam profecerit: atque ita pacato tranquilloque animo extremum egit diem. Assedimus præterea animam agenti sacræ ædis Priori de Societate nostra optimè meritò. Is, quamuis interdum occasio aliqua intercesserit, qua ne læderetur, timeremus; nunquam alienato offensoque animo fuit. idque vsurpare solitus erat: amari à se familiam, parumque interesse si à priuato quopiam offenderetur. Adolescens contumeliis lacessitus à contubernalibus, desperatione oppressus dæmonem inclamauit. Is in atrum hominem ac procerum fœdè conuersus, confestim adstitit, breuique persuasit, vt ipsi ille se dicaret: quod cùm fecisset miser, dæmon illum exagitare cœpit, acriter imperans, vt vitam aut ferro, aut præcipiti lapsu finiret; ita futurum

ſperans, vt ab omnibus ærumnis liberaretur. Id vt Socij cognouerunt ſumma ope niſi ſunt vt inſanientem à propoſito deterrerent; ſed cùm res maioris opis egere videretur, nocte intempeſta miſerum adoleſcentem domo quaſi vi extrudunt, & in Collegium adducunt, expoſitaque re tota ſacerdoti noſtro, reliquiaria theca, in qua particula induſii B.P. Ignatij ſeruabatur, ſigno crucis producto, à dæmone liberatus eſt. die verò inſequenti ad deponendam peccatorum ſuperioris vitæ ſarcinam reuerſus, totius periculi ſe ſenſit expertem. Deſtinati ſunt duo de noſtris in inſulam proximam Gaulon ſiue Gaudon, vulgò Gozzum appellant: quo in loco multa more inſtitutoq; ſunt acta. illud præcipuum. Iuuenem diuexauerat impuriſſimus ſpiritus anno & eo amplius, neque vnquam vllus ex inſulanis ſacerdotibus eum depellere poterat. noſter facto priùs ſacro illius ergô, iuſſit illum quà dabatur, confiteri & cæleſti cibo ſe refici; mox indicta circùm adſtantibus prece ſupplici pro energumeno, exorciſmum aggreditur. Iactabat ſe dæmon ſuperbiſſimè, & in ignaro homine ſermonis Latini purè emendateque loquebatur. Cùm enim ea verba recitaret ſacerdos : *Chriſtus vincit, Chriſtus triumphat* : reſpondit nequam: Ego triumphator nobilis; apponentique cuidam Equiti ſacroſanctę crucis particulam, antequam quid eſſet inſpiceret, exclamauit: O pauper & nudus! triduo pugnatum eſt, tandem verò diuino fauente numine ceſſit inuitus. at inſulani rem admirati, miriſque laudibus Societatem efferentes, à nobis diuelli non poterant. Nobis verò non tam gaudendum eſt, quòd nobis dæmonia ſubiiciantur; quàm optandum maximè, vt nomina noſtra ſcribantur in libro vitæ. Abductus præterea in Collegium alius eſt, quem diabo-

diabolus obſidebat, iiſdemque præſidiis abſolutus: ſed quoniam illius mater, neſcio quibus à venefica præſtigiis carminibuſque erudita, ne gnato peſtis illa rediret, ſuperſtitioſa adhibuit medicamenta, iterum à dæmone oppreſſus eſt. Dum decem, qui ad Eccleſiæ Catholicæ obedientiam transferri cupiebant, catechiſmum traderemus, eorum vnus hoc miraculo confirmatus eſt. Erat hic rhedarius: cùm verò currum regeret propter mare, equi de via declinantes in decliuem præcipitemque locum deſiliere iam ſuo pondere in mare currus ruebat, cùm ille currum ſuſtinere non valens dulciſſima IESV MARIÆque nomina appellare cœpit. audiuere cæleſtia numina proclamantem, & vehiculum ſubſtitit, quaſi ad certam perniciem labentibus rotis quidquam obicis eſſet oppoſitum. Habent & Sodalitia proceſſus ſuos. Princeps Equitum Sodalitas perbellè progreditur. hoc anno primariæ coniuncta eſt. Diſcipulorum quoque tres ſacris Ordinibus dedit. noſtro vnum: Dominicanorum alterum: tertium Capucinorum. Claſſibus itidem acceſſit tertia Caſuum conſcientię, qui bis in hebdomada communi omnium gratulatione exponuntur. ad eam interdum adire ſolent Epiſcopus & Prior, pleriqueetiam è pagis non parum diſtantibus eò ſe recipiunt. atque vt multa conferantur in vnum, quæcunque Societatis munera ſpectes, ſecundo curſu fluunt omnia: ipſiq; Equites lectiſſimis verbis prædicant, quæ de Societate noſtra, Deo adiuuante, exhauriant commoda. Quare cùm Sodalitatum exercitationes derideret quidam atque contemneret, id accepit à quopiam, Næ, inquit, ego id vnum ſcio, vt his exercitationibus excoli cœpimus, cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur.

Domus

Domus Probationis Messanensis & Panormitana.

DOMVS Probationis Messanensis vnum aluit & triginta, sacerdotes sex, quorum vnus nouitius, duo in anni tertij probatione versati sunt.

DOMVS Probationis Panormitana quadraginta complexa est, sacerdotes quatuor, quorum vnus anno tertio probatus; sex Coadiutores, reliquos nouitios scholares vigintitres, Adiutores item nouitios circiter octo. Adiuncti sunt nouemdecim, defecerunt duo, muti illi quidem, sibique confidentes. Reliqui pro se quisque contendunt, vt socios exemplo iuuent; morumque probitate planè declarent, haud frustra se in hanc disciplinam esse vocatos. In edomandis animis, præsertim in iis, à quibus magis sensus abhorret, strenuissimi extitere. Alij verò longè excelluerunt, quibus cùm Deus mirificis, ac propè insolitis illustrationibus affulserit, nusquam ex obedientiæ animique demissionis gradu dimoueri visi sunt, vt verè illud de his vsurpari possit: *Cum simplicibus sermocinatio eius.* In valetudinariis maximè eorum virtus spectata est. Coadiutor, qui recèns disciplinæ nostræ se dederat, in xenodochio piscatorem nactus deierandi execrandique magis, quàm piscandi peritum, ita oratione permouit, vt ille & socios & cymbam mutare, quin etiam coniugi necem molitus iterum eam accipere, & à meretricibus abstinere constituerit. Alius absumto sibi fratre, parentibus persuasit, vt parcerent homicidæ, & quam impegerant dicam, tollendam curarent. Accersitus est sacerdos vt partu periclitanti feminæ opem ferret. adiit ille, & quam parenti opem præstare non potuit, præstitit

tit infanti. Cùm enim exſpiraſſet mulier, orare obteſtaríque cognatos cœpit, vt proli parceretur. accirent proinde, qui ventrem cæderet. dum hæc oraret, illac fortè tranſibat tonſor, aduocatur, vterum aperit, prodit viuus infantulus, baptizatur, paulóque pòſt in cælum Deo gratias acturus migrat. Aucta domeſtica res eſt vinea perinſigni, eius fructus ſingulis annis ſummam efficiunt quingentorum aureorum. Hanc tironibus reliquit Societatis amantiſſima fœmina Eliſabetha Spatafora, cuius vir vnicè quoque nos adamauit. Id vero miraculo propè acceſſit. Dum eius vterina ſoror filium Societati noſtræ adiungendum bonorum donationem reliquis liberis facere iubet, fore ſperans, vt ſororis fortunæ ad filios ſuos deuenirent; huius illa ignara conſilij, tirocinium bonorum omnium facit heredem, non ob aliam, vt aiebat, cauſſam, niſi quòd modeſtè ac terram intuentes incedere videret nouitios.

Reſidentia Chia.

SCRIBEMVS his litteris quæ & iſto & ſuperiore anno Chij accidere. Laborant in hac vinea Socij ſex, ſacerdotes tres, præceptor vnus, Fratres duo. Duas aperit ſcholas hæc Reſidentia, Grammaticæ alteram, alteram, in qua partim Abecedarij ac Syllabarij pueri, partim rudimenta prima ediſcentes excoluntur. prior quinquaginta ferè, poſterior centum complectitur. Suſtentantur noſtri quadringentis aureis nummis, quos in ſingulos annos Romani Pontificis munificentia ſolui iubet. Sunt & hic beatæ Virginis Sodalitates quatuor. prima nobilium, Sodales numerat ſexaginta: ſecunda diſcipulorum quinquaginta: tertia opificum octoginta: quarta puerulorum centum. Ad hæc Sodalitia non modò Latini ve-

niunt,

niunt, sed plerique Græcorum. E scholis ingens capitur lucrum. puerilis quippe ætas sic imbuitur, vt Catholicæ Ecclesiæ ritus & mores exprimat. multique schismaticorum liberi ad nos itantes, non modò Catholicam ebibunt veritatem; sed parentes quoque suos ad eandem perducunt. Non exiguus est eorum numerus, qui deposito schismate, ad eluendas animi labes sacerdotibus nostris sæpissimè vtuntur. inter quos aliquot sacerdotes, qui non modò Latino ritu solui a peccatis gaudent; sed & Romanam absoluendi formulam edocti, eodem ritu pœnitentes absoluunt. Sacerdotes præterea multi, qui nulla veneratione ac reuerentia sacrosanctam Eucharistiam tractabant, nostrorum exemplo religione tacti, & ritè sacris operantur, & ex Italia thensas aureas, tabernaculaque exportanda curarunt. Quidam hæreticus primùm, deinde Turca nostrorum monitis ad Catholicos rediit. Sacerdos schismaticus spectatæ disciplinæ apud Græcos ac litteratus homo, in concionibus Latinos acriter exagitabat, arctè tenens, accurateque defendens nullum esse Purgatorium ignem, & Spiritum sanctum non à Patre Filioq; procedere, sed à solo Genitore; præter alia portenta, quæ gloriosè iactabat. hic cùm in nostrorum familiaritate versaretur, sæpissimeque de iis, quæ contra Latinos Græci sentirent, disputationem haberet, fractus victusque est adeò, vt supercilium poneret, & Catholicæ veritati se dederet. Quare præteritos lapsus deplorans, generalem confessionem instituit, sacerdotemque nostrum exorauit, vt albo superindutus linteo, stolaque munitus ante aram maximam, ac sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum absolutionis verba pronunciaret, vt ipsum omnes intelligerent à Catholicis esse, & prioris ignorantiæ pœnitere.

nitere. Pari superbia iactabat se alius schismaticus & ipse concionator, & apud Græcorum vulgus permagni habitus, qui in suggestis perstrepens in sancti Spiritus processionem, ignémque Purgatorium intemperantem linguam soluebat; sed à nostris coram multis viris primariis in certamen vocatus, propositis quæstionum capitibus, in quæ debacchari solebat, nullum omnino tueri potuit. quare etsi penitus non resipuit, se non amplius in Catholicam disciplinam dicturum pollicitus est, & eius sectatores tali se præceptori operam dedisse puduit. Admirabilem beneuolentiam venerationémque non modò apud Catholicos, sed apud schismaticos, atque apud Turcas ipsos adepti sumus ex vno pietatis exemplo. Decumbebat letali oppressus morbo eremi quidam cultor omni prorsus ope destitutus. Hunc nostri domum educunt, ac valetudinem curant, cúmque vis morbi superaret, dederunt operam, vt funere satis amplo domo efferretur. Sodalitatum quippe singuli accensis facibus, præter Religiosos cetera̍mque turbam, demortuum prosecuti sunt: ne debitus virtuti honor deesset. Sublata denique peruetus consuetudo Christianis est familiarissimè cum Turcis agendi.

Residentia Agragentina.

AGRAGENTI trium quattuorúe sacerdotum, duorúmque Coadiutorum in quærenda animorum vtilitate eadem, quæ superiore anno sedulitas fuit. Ter quadraginta horarũ habita precatio; confessionum numerus permagnus; non modò in ædicula nostra, sed in aliis, maximè in parœciis, quò ad campanæ pulsum confestim aduolant. Summopere nostrorum sedem perpetuam deside-

desiderant. Eam ob rem ad ædificationem Professæ domus priuati aliquot, delectis sex viris, vt id exigant, ducentos quinquaginta aureos in singulos annos per annos sex pol icentur. Episcopus itidem, cuius mirifica in nos beneuolentia diu spectata est, quingentos aureos quotannis attribuit, donec ad summum opus erigatur. Sub initium precum quadraginta horarum extremis Bacchanalibus ipse primum sermonem habuit. E Sodalitatibus B. Virginis tres Societati nomina dederunt. Ceterùm, quoniam reliquarum rerum idem cursus est, quem superiore epistola designauimus, missas faciamus.

Residentia Saccensis.

SACCÆ (Heracleam prisci dixere) fuere subsidio sacerdotes cum Fratre duo, à quibus strenuè collaboratum est. Catechesis præsertim inducta inusitato ac propè incredibili cum emolumento. Eò se contulerũt nostri III. Kal. Iunias alienissimo sanè tempore ob demetendæ segetis occupationem, quæ ab vrbibus in agros deuocare homines solet. Sed & nostrorum industria & Saccensium in Societatẽ animus fecit, vt in vrbe maior, quàm in agris copia frugis haberetur. itaque singulis diebus quatuor ipsos menses tum in templo maximo, tum in nostro, in vicis præterea ac plateis catechismus explicari cœptus est plurimo conuentu. Confluebant omnis ordinis homines ac mulieres, quos varia tradendæ Christianæ doctrinæ ratio alliciebat. Duodeni interdum pueri Apostolos induebant, summaque fidei capita explicabant. Interdum disputationes habebantur Philosophorum more, tribus quatuorúe theses proponentibus, pluribus easdem impugnantibus.

Interdum

Interdum creatis magiſtratibus reip. leges decernebantur, atque, vt breui expediam, nouo ſemper dialogorum inuento ciuium animi capiebantur. Initio, vt faciliùs pueri inſtituto imbuerentur, Pater cum Fratre noſtro inuicem ſe Chriſtianæ ſcientiæ elementa rogabant. Cùm verò vulgares hymni canerentur, illi potiſſimũ quibus Dominici cruciatus exponuntur, tanto ſe omnes lacrymarum imbre proluebant, & quidem viri grauiſſimi, vt pia illa naſcentis Eccleſiæ tempora exprimere viderentur. Et ſanè verbis explicari non poteſt, quod re factum eſt. Ex his laboribus proceſſere cùm Catholicæ doctrinæ abſoluta cognitio, tum innumeræ confeſſiones vitæ totius, quas apud noſtros inſtituerunt. Nec diſpar lucrum obuenit ex ſermonibus concionibuſque, ex eo præſertim, quem ſingulis hebdomadis deſignato die, qui feſtus non eſſet, mulieribus faciebat ſacerdos de rebus ad communem viuendi morem pertinentibus. Ad plebem ſæpiſſimè in foro concionatum eſt. Itum inſuper ad mulieres cœnobitas, quæ quatuor monaſteriis diſtinguuntur, iiſque meditandi orandique ratio tradita eſt. Multa itidem eiuſdem generis prudens omitto.

Miſſio Neetina.

NEETVM miſſus eſt cum Adiutore ſacerdos concionis cauſſa per Quadrageſimam; ſed quoniam ciuium cùm multitudo, tum deſiderium ſalutis par auxilium non haberet; miſſus eſt alius ſacerdos, vt confeſſionum onere concionatorem ex parte leuaret. Is enim de mane concionabatur, veſperi verò prælegebat. Suſcepit fortè de confitendis peccatis tractationem; cui cùm intereſſe quidam ſoleret, adeò conſcientiarum acu-

leis pungi cœpit, vt aſſidentibus diceret, nuſquam ſe tam minutas confitendi leges audiuiſſe. Quare B. Virginem obteſtatus ſuppliciter eſt, tantiſper ſibi vitales auræ concederentur, dum vniuerſas præteritæ vitæ maculas lauacro confeſſionis elueret. Audiuit orantem miſericordiæ Mater, nec ei ſolùm id beneficij impetrauit à Filio; ſed, vt coniectura aſſequi ex iis, quæ mox narrabo, fas eſt; diſceſſus horam præmonſtrauit. Cùm enim ad tumulum toti familiæ ſuæ exſtructum cum amicis eſſet, Breui, inquit, maioribus meis adiungar. Sabbato itaque maioris hebdomadæ omnibus vitæ noxis abſolutus, inſequenti poſt Paſcha die, qui Lunæ vulgò dicatur, ſacroſancto ſe cibo refecit. Cumque ſibi abeundi tempus inſtare intelligeret, coniugem liberoſque omnes inuitauit ad cœnam. Dumque ſimul omnes accumberent, Extremum, inquit, quod vos alloquor hoc eſt, nec ampliùs vnà cœnabimus: ſcilicet me exſpectant Superi, bene fauente numine. quibus verbis dulciſſima de beatis cælicolarum ſedibus colloquia adiecit, omneſque qui tum aderant, largiſſimè collacrymantes (quandoquidem in luctum mœroremque verſum eſt epulum) ad cæleſtis vitæ deſiderium inflammauit. Sequenti verò luce, cùm omnes ſe ad concionatoris benedictionem extrema in concione accipiendam compararent, Ite, inquit, vos, Domini me manet benedictio. pauloque pòſt accerſito filio natu maiore poſt multa mandata, ſalubriaque monita, Nate, inquit, deficio: atque ad hæc verba vltimum vitæ ſpiritum exhalauit. Narrauit poſtea hoc facinus ex ordine in concione Pater, ex qua narratione incredibilis animorum permotio exorta eſt: duorum præcipuè, qui cùm nulla ratione inflecti poſſent, vt à ſcorto quiſque diſcederet, dedêre tandẽ aliquando

manus,

manus, & dote feminis attributa, effecerunt, vt illæ in pœnitentium monasterium se reciperent. quod exemplum turpes alias mulierculas reuocauit ad frugem. Illud verò dissimulandum non est insigne scortum specie formaque eleganti à duodecimo ætatis anno dedicata lasciuiæ, annos ipsos quatuor & triginta impudicitiæ iecerat laqueos: quanta animarum iactura prudentes æstiment. At cùm concionibus aliquorum monitis aliquando interesset, sermonis efficacitate permota, præteriti sceleris grauitatem agnouit. vtque se impudicitiarum tricis explicuit, id toti ciuitati pœnitentiæ specimen dedit. Refertissimo templo ad aræ maximæ gradus accidens, nudato capite manúque cereum tenens, lacrymis assumendam se præbuit. non sericis induta pannis, sed laneo contecta sacco. ac tam diu genibus obuoluta permansit, quamdiu & diuina res cantantibus fieret, & à concione populus dimitteretur. Erant huic natæ duæ nubiles ambæ. has quoniam mater impudens impudicitiæ destinauerat, antequam dedecori exponerentur, duabus matronis traditæ sunt, vt eas in officio continerent. Mater verò de peccatrice prædicatrix simul vt petulantiæ deditam nanciscitur feminam, à turpitudine reuocare contendit. Coërcita est mancipiis feminis vagandi licentia. Conniuebant scilicet heri futuræ prolis libidine, ac mancipiorum incremento. Quantum verò ciuibus sit excitandi Collegij desiderium, nihil attinet dicere. Dynasta quidam pro fundatione Collegij obsignatis tabulis aureorum decem millia donauit: ampliora pollicitus, quandocunque eò se Societas conferat. speratúrque ab omnibus fore, vt eiusmodi viri pecunia tota Collegij fundatio stare posit. Eadem de re senatus est habitus, quò nonnulli conuenere, qui cùm

priùs Societati aduerſarentur, pro nobis poſtea dixere ſententiam. Eorum vnus, cùm nobilitate generis, tum grauitate ſenectutis, eloquentiæ ornamento clarus, adeò infenſo atque inimico animo in Societatem erat, vt nullibi noſtrum nomen æquis auribus audire poſſet: cùm de aduocandis noſtris fieret ſermo, diem dicendo eximebat. Statuenti ſenatu concionatorem è Societate per Quadrageſimam accerſere, omni ope conatus eſt exitum rei fruſtrari. Illo tandem adueniente, lectiſſimis verbis affirmauit, ſe tantummodò primùm concionanti aures daturum; ceterùm aliis occupationibus extra vrbem diſtinendum ſe præbiturum. Itaque ipſo Ginerum die in templum venit, pallioque mentum atque ora, ne dicentem videre poſſet, obnupſit. Sed audita iam concione ſententiam mutauit. Neque vnquam ab audienda ſingulis diebus concione vllo negotio diſtractus eſt. Tantuſque in noſtram familiam iniectus eſt amoris ardor, vt ſe ab inſtituti noſtri commendatione temperare non poſſet. Cumque audiuiſſet in concionatoris cubiculo Magiſtratum, multaque procerum capita adeſſe, confeſtim eò pergit; veterem ratus contumeliam hoc vno facto compēſatum iri. Cubiculum ingreſſus ad concionatoris pedes procumbit, ſuppliciter veniam rogans. Et quia pedes, renuente illo, oſculari non potuit, vel terram exoſculatus, exſurgit, Patremque amplectitur, iniquiſſimis ſe fallaciis circumuentum obteſtans, longeque ſui diſparem noſtri Ordinis ſpeciem oblatā eſſe; atque is nunc eſt, qui res noſtras maximè tuetur, acerrimeque defendit. Erat in valetudinario præclara lectulorum egeſtas: noſtrorum operâ factum eſt, vt matronæ aliquot ſingulæ ſingula cubilia, vt in promtu eſſent, ſedulò curarent. Erat
propè

propè extinctus honor & cultus in sacrosanctam Eucharistiam. etenim cùm ægrotantibus inferretur, vix aliquem Parochus opperiebatur, qui vmbellæ hastam gestaret. at nostris monitis reuixit amor. Ipse quippe Magistratus ac proceres non modò hastam gerere, sed insequi etiam sacerdotem cœpere. Et hæc quidem habuimus, quæ scriberemus.

PROVINCIA NEAPOLITANA.

Domus Professa Neapolitana.



ERAT nobilis domi suæ femina, sed quæ nobilitatem, quam à maioribus acceperat, in omnem proiecta libidinem fœdissimè deturpauerat: hæc vt erat forma egregia, omnium in se oculos animosque conuerterat. Itaque dici vix potest, quantam segetem teterrimus humani generis hostis ex eo agro demeteret. Accessit tandem ad nostrum quendam sacerdotem; cuius oratione ita affecta est, vt purioris vitæ munditiem adamarit. Ablutis itaque animi sordibus confessione, recepit sese ad eas moniales, quæ ex similibus emergunt peccatorum fæcibus. Ibi cùm nouem integros menses impurorum hominum oppugnationem sustinuisset, dæmonum tandem dolis cuniculisque superata, a monialibus defecit, & quasi furiis agitata, sui ac rerum omnium pertæsa per remotas inquies regiones vagabatur. sed iterum diuina lux infelici affulsit. Ergo Neapolim

regressa eundem Patrem conuenit, cuius antea opem experta erat: à quo confirmata iisdem se monialibus aggregat, & quarum vitæ rationem ferre non poterat, eisdem nunc exemplò atque oratione ad durius vitæ genus fortissimè præit. Iisdem alia demulsa voluptatum illecebris fœdè corporis libidinibus ancillabatur: cuius seruitij cùm tandem turpitudinem perspexisset, rupit vincula, & filiorum Dei libertatem alacri animo amplexa est. Duo erant, quorum alter vigintiquinque annos, triginta alter confessione abstinuerat, & omnium scelerum fœdis sordibus inferorum pœnas etiam dum inter viuos agerent prægustare sibi ipsi videbātur; cùm diuinę gratiæ tacti stimulis confessione animam à grauissimo peccatorum iugo subtrahunt. Explicari non potest, quibus lacrymis, quo totius corporis motu suæ lætitiæ sensum declarare conarentur. aiebant enim vix in animum inducere posse suum maiora reperiri gaudia, quàm quæ tunc ipsi experirentur, dum à peccatorum labore quiescerent. Nobilium Sodalitas de more pauperes iuuit. & profectò magnum existimari debet principes viros ad pauperum virorum ac mulierum lustra accedere, neque eorum sordes horrere: verùm siquis nosocomia adeat, cùm singulis diebus frequentes nobiles viros eò commeare aspiciat, ægrosque omni officio recreare, quos sine stomacho intueri aliquis alius non sustineret, vix lacrymas ad tantæ pietatis specimen continebit. Et quo diuturnius foret hoc miserorum solatium, magna pecuniæ vis ita collocata est, vt annuis fructibus qui ex ea colliguntur affecta ægrorum corpora recreentur. Iam nostri stipe per vrbem corrogata publicis detentos vinculis nutriunt, & Sacramentorum pane reficiunt. Cōfessiones exceptas propè dixerim infinitas:

finitas: conciones per compita habitas ſciens voléntſque prætereo.

Collegium Neapolitanum.

AVDITORES habemus 850. plerique omnes non maiore diligentia in animum diſciplinis excolendum, quàm pietate ac religione exornandum incumbunt. quare Sodalitas B.Virginis, quæ ex adultioribus ſcholaſticis conſtat, 300. numerat; duæ reliquæ, quarum altera teneriores, firmiores altera adoleſcentes expolit, ducentos. Deſudat præterea Collegium in inſtituenda plebe, è qua nongentos viros in diuerſas diſtributos claſſes ita informat, vt vniuerſæ ciuitati non obſcura virtutum omnium exemplaria ad imitandum ſæpe proponat. Ex his Sodalitatibus, quaſi ex agro feraciſſimo, tanta ſeges effloreſcit, vt plurimæ Religioſorum familiæ, vel famem ſuſtentent ſuam, vel locupletiores euadant. Septuaginta viri paucis menſibus nomina dederunt Carthuſianis, Capucinis, Societati noſtræ. ad quoſcunque tamen Religioſos adierint, iis facilè Societatis noſtræ alumnos ſe eſſe ſignificant. Vix perſuaſum duobus, qui Societatem noſtram adamarunt, vt tantiſper in noſtra Probationis Domo noſtris ſeſe inſtitutis imbui paterentur; tanto enim animi ardore Indias anhelabant, vt earum deſiderium cuiuſlibet eos moræ impatientes redderet. Luſitaniam cogitabant, quo facilior inde in Indias traiectus foret. Sacerdos omni ſtudio diligentiáque à noſtrorum ſibi conſuetudine cauebat; verebatur enim ne qua nos dicendi arte pollere exiſtimabat facilè ſibi perſuaderemus, vt nuncio terrenis rebus remiſſo nobiſcum vnà contra communes animorum hoſtes militaret. hæc dum fortè ſecum

agitaret, quandam vocem hæc dicentem ſibi exaudire viſus eſt, Non eſt cur de me queraris in extremo iudicij die, Societati IESV tibi nomen dandum eſſe prædixi, ſalutis viam oſtendi, tuum erit vel hanc ingredi, vel aliò te conferre. Permotus his vocibus ſacerdos ad noſtros accurrit, rem aperit, omnibus precibus in Societatem noſtram admitti petit: & iam ex armorum, quæ in tirocinio fit proluſione fortiſſimum commilitonem nobis acceſſiſſe gaudemus. His Sodalitates noſtræ fructibus Religioſorũ familias alunt: verùm non minores ſunt ij, quibus Neapolitani populi affectos animos curant. Adoleſcens quidam, cui alia omnia erant, quàm modeſtia, potiora, tanta ira in noſtrorum cœtuum Sodalem exarſerat; vt cùm omnibus hominem in celebri quodam loco contumeliis oneraſſet, ſtricto deinde mucrone mortem minaretur. Sed ad hæc non degener B. Virginis filius, Et mortem, inquit, libentiſſimis animis Dei cauſſa ſuſcipiam. continuoque ad inſanientis adoleſcētis pedes accidit illos exoſculaturus: qua voce motuque corporis ita turbidum adoleſcentem affecit, vt diſcuſſis, quas iracundia offuderat, tenebris in liquidiſſima luce, quàm acerbus in pium Sodalem fuiſſet, potuerit contemplari. Atque vt apertiùs intelligatur hos B. Virginis filios non tantùm de ſua, verùm etiam de aliorum ſalute laborare; quidam ex his virum nouerat nefariis implicari ſceleribus, eiuſque etiam conditionis eſſe, vt in grauiora quotidie facinora erupturus videretur. quare huius ſalutis auidiſſimus artes verſabat omnes, quò infelix ille ex infami vitiorum cœno emergeret. cùm ars nulla caderet è ſententia, accidit vt aliquando ei per vrbem ambulanti obuiàm fieret. arripuit auidè oblatam occaſionem noſter, & blandè hominem appellans

ſecretò quædam ſe magni momenti cum eo communicaturum affirmauit, ſi ad proximum vſque templum ſe ſequi vellet. Ille conditionem non aſpernatus templum ingreditur; ibi B. Virginis Sodalis noſter opem implorans tam efficaci oratione hominem aggreditur, vt primo congreſſu manus ſe victum dare, & ad meliorem frugem recipere vir ille cupere ſeſe fateretur. Verum, inquit, cùm è lucro quod ex hac vitæ ratione mihi prouenit, domus anguſtias vtcunque tolerem, quodnam honeſtum vitæ genus inibo, in quo mihi fame pereundum non ſit? tunc victoriæ lætitia exiliens Sodalis, Quinque, inquit, denarios in dies ſingulos meis mihi laboribus parare conſueui; horum tu duos accipe, teque vitamque tuam tuere. Mouit hominem non oblati lucri magis vtilitas quã flagrantiſſima Sodalis caritas. manantibus itaque lacrymis oblatam conditionem amplexus inſtitutam vitæ rationem omiſit. Sodalitati B. Virginis, quam trecentos numerare diximus, ſolemne eſt ſemel ſingulis hebdomadis ducentis corpore affectis in noſocomium cibos afferre, eorumq; menſis miniſtrare, à prandio ægros animos muſica & Chriſtiana doctrina recreare; ibi cùm è noſtris ſacerdotibus ſemper aliquis & Sodalibus & ægrotis præſtò ſit, non mediocris animorum fructus ſæpe colligitur. Erat Neapoli hæreticus quidam, quem occultò à Geneua ſcelerum omnium officina principes viri ad id alebant, vt quo ipſi veneno inſaniebant, ſanas Neapolitanorum mentes, ſi qua ſe daret occaſio, poſſet inficere. Is dum populum vniuerſum ad noſtri cuiuſdam ſacerdotis conciones cerneret confluentem, ipſe quoq; se audiendi ſtudio accedit. hìc dum noſter ſummis, & vocis & animi contentione de æternorum ſupliciorum ratione diſſerit; ita hæretici fregit ani-
 mum

Grassator quidam, cùm plurimos annos vitam omni flagitiorum impuritate, & scelerum immanitate inquinatissimam egisset, ita dicentis nostri oratione commotus est, vt vix concione dimissa ad illius pedes acciderit, modumque expetierit, quo animi fœditatem posset eluere: atque haud ita multo pòst de Fratris nostri sententia, quas in tota vita conceperat maculas confessione abstersit. Quidam cum sica inimicum operiebatur, vt illius sanguinem, quem auidissimè sitiebat, hauriret: at dum scholasticum nostrum in ea ipsa platea dicentē audit, mutat consilium, rem aperit, & cum inimico redit in gratiā. Illud etiam illustrius. quidam duodecim ipsos annos confessione abstinuerat, tam immani odio in inimicum exarserat, bis morbi violentia eò deductus, vt medici mortem denunciarent, nullam sibi Sacramentorum mentionē fieri passus erat: tandem dicentis nostri oratione permotus ita flexit animum, vt cum lacrymis ab inimico veniam pacemque poposcerit.

Domus Probationis Neapolitana.

ALVIT hoc anno Probationis Domus ad sexaginta, cùm ægrè suo vectigali quadraginta tueri posset. Tirones ad omnem Societatis nostræ disciplinam exculti.

Collegium Catacense.

DVODEVIGINTI ferè in hoc Collegio: in his octo ad domesticos vsus Adiutores, magistri Grammaticæ & Humanitatis duo, is præterea, qui Philosophiam docet. Consueta nostrorum officia prætermittam, vt sunt confessiones exceptæ, restincta odia, eorum qui in publicis custo-

diis detinentur anguſtiæ ſtipe per vrbem corrogata laxiores effectæ. Tradendæ doctrinæ Chriſtianæ ratio ita ciuitati arriſit, vt omnium concurſu & ſtudio celebraretur; ruſtici etiam è proximis pagis viſendi ſtudio confluebant. Puerorum longum agmen, cantus, & breues per compita, & in foro ipſo conciones volentes nolentes homines in noſtrum templũ compellebãt. Quamquam & Superûm monitis miniſque ad nos adducti aliqui. Mulier in ſumma rei familiaris difficultate, & mariti ſocordia adulteri ſpectabat opem. Cùm noctu reſtincta lucerna quieti ſe daret; puer venuſtiſſimus facem manu præferens eius ſe oculis obiecit, intuituſque his fermè verbis admonuit; I mulier, i celerrimè ad Patres Societatis IESV, & confeſſione te expia. quibus dictis euanuit, & dicto audiens mulier vni è noſtris rem aperit, & ſaniora conſilia capit. Inſtitor quidam cùm coëmendæ mercis gratia iter faceret, in publicum opiduli cuiuſdam diuerſorium ſe recepit: erat hora noctis ferè tertia eius diei, qua die Eccleſia de B. Paulo triumphum celebrat; cùm ecce tibi ex illa hominum turba quæ in eo diuerſorio verſabatur, ſenex quidam peregrini hominis habitu, graui aſpectu, mediocri corpore, cui comes adoleſcens erat, ad inſtitorem acceſſit, eumq; ſuo nomine appellans hæc in aurem dixit, Si neſcis, in has rei familiaris anguſtias es coniectus (& quidem in maximis rei domeſticæ miſeriis verſabatur) quòd peccatum illud, licet pluries confeſſionem obieris, nondum es confeſſus. Et quodnam peccatum, ait adoleſcens, nam re vera non memini. tunc ſenex, Veniat in mẽtem illius ſceleris (nomine & loco & tempore clarè indicat ſcelus) ecquando hoc confeſſione dilutum? Mirari hîc adoleſcens, obſtupeſcere. octauus enim annus agebatur

tur cùm patratum crimen, præterea in solitudine mera & nullo teste. atque vt initio semel atque iterum sacerdotem præ verecundia celasset, sceleris deinde omnino memoriã deposuerat. Rogat igitur obnixè senem, vt quisnam esset, mortalis ne an cælestis aliquis, patefaceret: negat ille, tantùm vt confessione animi sordes eluat postulat. promittit adolescens, imò ne quid temporis interponeretur, ostendit se libẽter eodem quem admonitorem expertus erat, confessario vsurum. sed cùm senem aspiceret abnuentem, Aliquem, inquit, è Societate IESV sacerdotem conueniam, si placet. tunc senex, Rectè tu quidem feceris. quibus dictis cum socio ex institoris oculis properè euanuit. Res familiaris, quæ pertenui nixa fundamento hucusque fluctùauerat, nunc tandem confirmata. Iulia enim Zacconia mater & Isabella & Cornelia Ricca filiæ tantum pecuniæ post earum mortem ad nos prouoluendum attribuerunt, quantum ad Collegij fundationem satis fuerit. Quadraginta horarum preces magnifico apparatu celebratæ.

Collegium Nolanum.

VASTATA morbi sæuitia vrbs sex tantùm è nostris habuit, quorum labore ciuium reliquiæ recrearentur; horum tamen operâ effectum est, vt qua die nascentis Domini memoriam celebramus, in templo nostro sanctissimam Eucharistiam ducenti sumerent. non exiguus numerus, si mortuorum multitudinem spectes. Illud mirandum accidit: quidam plurimos annos pellicem tam pertinaciter adamauerat, vt nullis cohortationibus ab impudico potuerit amore reuocari. Dum morbus grassaretur,

ſaretur, muliercula vim mali non tulit, & diem obiit ſuum. occaſionem nactus ſacerdos quidam è noſtris hominem conuenit, docet quàm acriter in eos diuina ſoleat iracundia deſæuire, qui illius patientia diutiùs abutantur. Dat ille permotus manus, ſed confeſsionem in tempus commodius differebat: noſter inſtãdum ratus hominem nunquam dimiſit; quoad confeſsione excepta à peccatorum ſordibus expurgaſſet. mirum dictu haud ita multo pòſt repentina abſumptum morte in lecto ſui eum reperiunt. Res familiaris aucta nonnullorum liberalitate. nam ſi quam pecuniam diuerſi legauerunt, in vnam colligas ſummam, ea facilè mille aureorum numerum ſuperabit. Cornelia Albertina exceſsit è vita, femina noſtri amantiſsima, trecentorum aureorum nos heredes inſtituit, quibus ſacellum in noſtro templo exædificaretur, ſuæ in Deum atque in nos omnes pietatis monumentum.

Collegium Aletinum.

VIGINTISEX in hoc Collegio fuerunt, ac tredecim, qui in eo ſunt ſacerdotibus vix reſpirandi tempus eſſe conſueuit. tantus eſt hominum concurſus, tum ad animos confeſsione abluendos, tum ad ſalutaria monita excipienda. & profectò eos è noſtra conſuetudine fructus colligunt, vt è pietate ac modeſtia, quæ in eis liquidiſsimè elucet facilè cuiuis appareat eos eſſe noſtrorum Sociorum labore atque induſtria excultos. Feriis antecineralibus, cùm de more quadraginta horarum ſupplicationes inſtituerentur, eaſque & muſica & apparatu exornaremus, ita vniuerſam ciuitatem commouimus, vt ciues non alias ſibi voluptates quærendas eſſe ducerent,

quàm

quàm in nostro templo cælesti pane, sacris concionibus precibusque seque mentemque suam reficere. Turcæ sex catechismo instructi nostrorum labore, & salutari aqua abluti sunt. Sodalitates quatuor, quas hoc Collegium instituit, in dies singulos maiora capiunt incrementa. ex ea in qua adolescentiores informantur, quatuor Societatem ingressi, quatuor Capucinis sese aggregarunt, nonnullis etiam aliæ Religiosorum familiæ saluti suæ accommodatæ visæ sunt. Quidam cùm è B. Virginis filiorum cœtu defecisset, & in omnem libidinē pronus vitam ageret; noctu per somnium fœdissimum Æthiopem in aula homines in frusta cædentem conspexit: quo aspectu perterritus, ac quid consilij caperet incertus, videt mulierem formosissimam è cuius vultu tantum fulgoris & gratiæ emicaret, vt facilè Dei matrem agnosceres. hæc ad adolescētem conuersa, Quàm primùm, inquit, sæuissimas huius Æthiopis manus experiere, nisi ad pristinum vitæ genus redieris. Discusso somno cùm diu anceps flagrantissimis precibus à Virgine exposceret, vt viam præmonstraret qua eundum esset; inter orandum mulier niueo fulgens amictu eius sese oculis offert, eumque Sodalitium repetere iubet, si imminens periculum vellet effugere; quod ille properè executus, vt speramus, turpissimi hostis manus euadet. Quinque studiorum classes, Casuum scilicet conscientiæ, Philosophiæ, & tres humaniorum litterarum reliquæ magistrorum industria vt cùm maximè florent.

Colle-

Collegium Barienſe.

DVODECIM è noſtris, ſacerdotes quinque, magiſtri duo, Coadiutores quinque in hac prouincia deſudarunt. & labori par fructus. ingens confeſſionum numerus exceptus, quem auxit Germanorum & Belgarum ad B. Nicolaum religionis ac pietatis ergô confluentium concurſus. Doctrinæ Chriſtianæ tradendæ vſus, qui iam pænè exaruerat, ingenti ciuitatis bono ſummo omnium ardore reuiguit. Sodalitates ſuum tuentur & nomen & decus: beata etiam Virgo non obſcurè Sodales ſibi curæ eſſe ſignificat. Acriter in eos inuehebatur Pater è noſtris Sodalitatis præfectus, qui ad comœdias accederent, quæ per eos dies habebantur. Proiectæ quidam audaciæ in eodem ipſo loco vbi Pater verba faciebat, affirmare non erubuit quotidie ſe ad flagitiorum omnium magiſtros illos ſpectandos audiendoſque acceſſurum, neque à tam nefario conſilio vllius vnquam oratione potuit deterreri. Neceſſe igitur fuit inſanientem hominem à ſanorum cœtu remouere. Sed illum in tanta inſania verſari beata Virgo haud diu paſſa eſt; etenim dum ſcelerum artifices ſpectat, aula in qua fortè comœdia dabatur, cùm & ſcelerum & virorum pondus ferre non poſſet, concidit: cuius ruina ita exceptus eſt, vt dies plurimos in lecto decubuerit. ægritudo tamen corporis menti reſtituit ſanitatem, & cùm mali cauſam optimè intelligeret, peccata aperit, atque iterum inter B. Virginis filios numerari ſe omnibus precibus petit. In templo S. Nicolai quidam è noſtris per Quadrageſimam ad populum habuit conciones, tanta omnium ordinum approbatione, vt nunquam ciues omnes auidiùs, &

verbis

verbis, & concursu audisse se aliquem alium faterentur. Ergo confessiones totius anteactæ vitæ plurimæ auditæ, inimicitiarum faces restinctæ, abiectæ pellices, septem etiam meretrices, vbi pudori consultum esse posset, collocatæ. Per hos dies cùm noctu cuiusdam nauis fragmẽta ignem concepissent, atque vt erant pice oblita pertinaciùs, quàm vt facilè restingui flamma posset, arderent, latiùs coorto vento fundere incendium cœperunt: quod priusquam occurri posset, armamentarium comprehendit, atque ingenti ædificiorum strage mortales plurimos hausit. nostri in tanta ciuitatis consternatione summo labore fouere vulneratos, confirmare fluctuantes, remedia contra sæuientem ignem parare. Sequenti die concionator noster diuinam vltionem extollens ita commouit populum, vt non pauci ad meliorem sese frugem receperint. Collegium nostrum decorauit præsentia sua huius ciuitatis Præsul Cardinalis Bonuisus, eiusque aduentum nostri vario emblematum versuumque genere celebrarunt. ipse qua præditus est humanitate mirificè se nostrorum officiis delectari significauit, & verbis & re ipsa sæpe declarat quanto nos studio complectatur. In summis versabamur rei familiaris angustiis, sed iam nonnullorum liberalitate respiramus, ciuitas ipsa summa cum nostrorum laude quingentos aureos attribuit, mille tres nostræ Societatis Patres: hac itaque pecunia subleuati duo millia aureorum æris alieni dissoluimus. Donati præterea sumus à nostro P. Generali duobus aureorum millibus, quæ quidam Societatis nostræ Pater Societati largitus erat. his itaque annuum vectigal creuit: nam sexcentos alios seposuimus, vt eorum censu quodam ære alieno liberemur. Lampas argentea, qua hoc anno vnà

cum affabrefacto calice & theca, qua Christi Domini Corpus asseruaretur, Collegium nonnullorum liberalitate auctum erat; cuiusdam improbi ac facinorosi hominis sacrilegio ablata, casu, nisi diuinam prouidentiam velis agnoscere, in quibusdam sarcinulis reperta est.

Collegium Salernitanum.

SVNT in hoc Collegio omnino vndecim, sacerdotes quatuor, magistri duo, Coadiutores quinque. Sodalitates & scholæ in dies vndique confluentium numero augentur, quòd plurimi apertissimè intelligant, quantum vel Sodales nostri pietate, vel auditores doctrina inter ceteros emineant.

Collegium Consentinum.

INANIS profecto laboris erit sedatas hîc à nostris discordias, cuius frugis feracissimus est ager Consentinus, enumerare. confessiones exceptas prætermittam, quòd nihil hoc Collegium vulgare in suos referri annales velit, cùm in præclarissimorum facinorum vberrimo solo versetur. Manauerat in plures Brutiorum furor tantus, vt in se ipsos sæuire, ac vêneno sibi mortem consciscere pro nihilo ducerent. admoniti tandem, vt quod bruta animantia in summo furore vsurpare non auderent, ipsi homines auersarentur. Præcipuus labor fuit in reuocando ad sanitatem feminam, cuius aures ita insania obstruxerat, nullus vt aditus sanioribus consiliis appareret: emolliuit tandem duritiem tantam vitæ dulcedo. Beatæ Virginis Sodales extremis Bacchanalibus, quando 40. horarum preces frequens ciuitas celebrabat, per

compita

compita & bacchantes ciues longo agmine flagris sese cædentes incesserunt, spectaculum profectò Superis pariter mortalibusque gratissimum. Excursum in proximos pagos. grassabatur per agros pagis quibusdam finitimos infinita prorsus vermium multitudo, quæ segetes, & quidquid præterea viride in agris esset auidissimè depascebatur. arbores ipsę frondibus à tanta lue spoliatæ, nec fructus fouere, nec sese à Solis ardoribus tueri poterant. pagani cùm his se malis circumuentos cernerent, nec quibus contrà obuiàm irent artibus appareret; magi cuiusdam opem implorant. iamque facinus patrabant, & magus nefario quodam carmine deuouere cœperat vermes; cùm noster qui per eos dies fortè aderat accurrit, & voce atque auctoritate magum ab incepto deterret, simul paganos, vt peccatorum pœnas potiùs à Superis deprecarentur, docet, quàm nouis sceleribus iustam in se Dei iram inflammarent. Ergo impetrata priùs ab Archiepiscopo benedictione indictis supplicationibus, dum longum agmen procederet Patre ducente, precesque canerent ad pestem illam arcendam; ignea de cælo trabs incredibili fragore concidit, ac facilè fœdam illam vermium colluuiem non minore omnium lætitia, quàm admiratione vastauit. Non obscura adhuc suppeterent nostrorum facinora: sed profectò importunam ducimus in summo omnium luctu lætorum memoriam. nam cui nostrûm vacet animus lætis dum P. Claudium Migliaresium Rectorem Collegij, cuius ductu res gerebatur, fato quamuis non immaturo, satis tamen acerbo extinctum meminerit? equidem vt de me fatear, quamuis excitem ipse me vt qua consueui tenuitate dicendi tanti viri laudes exponam, quæque pro Societatis dignitate tuenda fortissimè

gesserit, commemorem, cùm viuidam illam ingenij vim nulliq́ue omnino negotio imparem extinctam, animiq́ue vigorem vel in extrema senecta iuuenilem mortis iniuria torpentem in memoriam reuoco; facere omnino non possum, quin omnis quoque orationis meæ ardor studiumq́ue flaccescat.

Collegium Barolitanum.

ENITVIT nostrorum diligentia in concilianda multorum pace, & quidem principum virorum, quorum odia in ciuitatis ruinam eruptura videbantur. Accesserunt ad templi ornatum nobilis cuiusdam matronæ pietate vestes acu pictæ, quæ facilè quingentis aureis æstimantur. Instituta quoque noua opificum Sodalitas, quam non mediocres fructus tempore suo laturã speramus.

Collegium Teatinum.

QVADRAGINTA horarum preces, quas extremis Bacchanalibus nos apparare consueuimus, cohonestauit Archiepiscopus concione sua. Beatæ Virginis Sodales vniuersæ ciuitati facilè declarant, cuius se matris filios profiteantur, ægros inuisunt, cibos afferunt, pacem conciliant. Neque nostri sibi desunt: confessiones auditæ plurimæ, odiaque principum virorum sublata. Luxit hoc anno Collegium Rectorem suum Ferdinandum Bonitum virum religionis ac pietatis omnino singularis. is dum in B. Virginem studium testari cupit, & peregrinatione suscepta Lauretum pedibus inuisit, contrahit letalem morbum. Dum in lecto decubuit, non tam de sua valetudine, quàm de nostrorum omnium labore sollicitus;

longè molestiores esse nostros, dum sibi ægroto tanta diligentia ac sudore præstò essent, quàm ipsam flagrantissimam, qua vrebatur febri fatebatur. dum supinus integros dies cælum suspiceret, monitus ne semper eo corporis situ esset, quo & febris acriùs exarderet, & corporis vires frangerentur; Iam, inquit, tempus est, vt cælum, quò mihi paulo pòst eundum erit, contempler. ætate prouectus Societatem ingressus eo animi candore egit, vt omnino repuerascere; ea submissione, vt dignus Superioribus nostris visus sit, qui semper cum imperio esset. Nostros ad laborem præibat semper: neque ita se domesticis curis distineri patiebatur, vt non plurimum temporis proximorũ saluti, quam incredibili ardore curabat, vacaret. Luxerunt itaque tantum virum non nostri solùm, sed Teatini etiam omnes, curarum solatium, miserorum perfugium, carissimum patrem auferri sibi dolentes.

Collegium Aquilanum.

NVMERAT hoc Collegium è nostris tredecim. Auditorum numerus creuit ad 250. Nobilium Sodalitas, quæ septuaginta constat viris, sacellum in quo B. Virginem colit non vulgari liberalitate ornauit. Suam quoque in Virginem pietatem pari studio declarant nonaginta è plebe, nec non & centum è tenerioribus adolescentibus, qui scholas nostras celebrant. Iam confessiones auditas, conciliatas multorum amicitias, ceterosque nostræ Societatis labores enumerare superfluum erit.

Collegium Beneuentanum.

FRVCTIBVS nostris, qui septingentorum aureorum summam conficiunt,& centum septuaginta,quos eleëmosynæ nomine nobis Archiepiscopus largitur; alit hoc Collegium tredecim,sacerdotes quinque, è quibus vnus Casus conscientiæ docet; humaniorum litterarum magistros duos; Coadiutores quinque; & quod æs alienum contraximus,duo scilicet aureorum millia ex domorum coëmptionibus,ferè sumus exoluti.nam Antistes ad se recepit mille se solututum,& quo spes firmior foret,iam nostro nomine eiusdem pecuniæ censum persoluit: princeps præterea vir mille se reliquorum onere nos liberaturum affirmat. Multorum extincta odia. E nostris quidam dum ad B.Virginis Sodales quibus præerat verba facit, homines octo in medium prosiliunt, & positis inimicitiis alter ab altero veniam pacemque exorant. Excursum in vicinos pagos toto ferè hoc anno, in quibus incredibile dictu est quot confessiones auditæ, quot amicitiæ conciliatæ, quot veneficia abolita. Institutæ præterea in quibuscunque pagis ad quos adeunt nostri, B.Virginis Sodalitates, quæ iam sine nostrorum opera florent maximè, & Christianæ pietatis fructus ferunt omnino præstantissimos. Dum inter paganos diuersorum pagorum de agrorum confiniis oborta contentio ad arma agrestes homines concitasset, & iam vtrimque acies & tela expedirentur; Sodales, vt à Patribus nostris acceperant, suum esse rati tantum nefas auertere, arrepta pro se quisque Christi in cruce pendentis imagine, nunc huc nunc illuc discurrere,& qua pacis commoda differendo, qua contentionum mala commemo-

memorando, peruicere, vt depositis odiis vulnera & neces quas inferre parabant, osculis ac mutuis amplexibus permutarent.

Residentia Tropiensis.

Tres omnino hæc Domus habuit: vnum ad domesticos vsus Fratrem Adiutorem, sacerdotes duos, qui vt tantam siluam purgare minimè potuerunt, ita eius partē aliquam excoluerunt, & ex eius feracitate quantos vniuersa mox allatura sit fructus, facilè coniecerunt. Difficile explicatu est, vt omnes afficiantur cùm pueri Christianam doctrinam docentur, cùm per vrbem singulari modestia concinentes incedunt. Egregiam præterea in nos voluntatem qua possunt beneuolentiæ significatione declarant. Concionatorem nostrum in templo verba facientem, summa omnium ordinum approbatione audiuerunt: omnesque fatebantur quadraginta abhinc annis nunquam se parem audiuisse. Ingens è tanto audientium studio secutus fructus. quocunque enim concionatori libitum ciuitatem impellebat, vt ex his, quæ subiiciemus facilè dignosci poterit. Cùm aliquando ad salutari animum confessione expiandum auditores hortaretur; tanta extitit eorū frequentia, qui eius parerent monitis, vt quadringenti ab ipsius Episcopi manu Sanctissimam Eucharistiam susceperint. Cùm vniuersa hæc ciuitas per id tempus rei frumentariæ angustiis premeretur; eò res deuenerat, vt plurimi, quibus tenuiores erant facultates, fame absumerentur. neque tanti mali facies locupletiorum ad misericordiam flectebat animos, qui magnam frumenti vim horreis concluserant: quò maiore mox quæstu venundarent. Concionator noster re cognita suggestum con-

ſcendit, tantaque dicendi arte, eoque animi ardore in hos eſt inuectus, vt continuò ſuæ eos auaritiæ pœnituerit, & apertis ſequenti die horreis omnibus frumentum expoſuerint. Eſt ferè vniuerſa Brutiorum gens eius ingenij, vt cùm in omnem prona ſit iracundiam; nihil in eorum animis pertinaciùs hæreat quàm iniuriarum memoria. etenim tam altè in eorum pectora deſcendunt odia, vt quos deinde fundunt filios & nepotes, eadem odia, eaſdem inimicitiarum faces longo ordine referant. Ergo ſicubi noſtris elaborandum eſt ne ſimultatum ſemen radices agat, hic profectò omni ope deſudandum. nam dici vix poteſt, quàm ingens mox æterno humani generis hoſti ad ſcelera omnia propaganda campus aperiatur: at ſi tam praui ſeminis adulta ſit ſeges, nunquam opinor pretioſiores è mali dæmonis regnis prædas aget quiſpiam, quàm ſi caritatis faces in eam iniecerit, atque ita nitatur, vt quam malus dæmon cædium ac rapinarum fructus iam-iam laturam arbitrabatur, ea Chriſti amoris igne purgata ſublatis inimicitiis in mutui amoris Chriſtianæque beneuolentiæ fructus efflorescat. Huc itaque intendimus. nec vanus labor, frater fratri cædem parabat, & iam ſumpto ſclopeto intẽpeſta nocte in via, qua fratri tranſeundum eſſe ſciebat, obſcurus verſabatur, vt inſidiis nec-opinantem exciperet & profectò ſcelus patraſſet, niſi mutato conſilio frater aliò diuertiſſet. quibus cognitis noſter ſummo labore tandem effecit, vt ſanguinis communionem agnoſcerent. Vniuerſa ferè ciuitas in duas diuiſa factiones armis inter ſeſe decernere parabat: ſed noſtrorum precibus ac conſilio diſcuſſis offenſionum tenebris arma depoſuit. Iterum cùm maiore mole efferbuiſſent odia, & iam, cùm hinc inde minæ & contumeliæ inimicos

ſollici-

ſollicitarent ad pugnam, decretò pugnæ die ac loco quiſque ſeſe pararet ad prælium; admonitus qui ciuitati præerat, ne tantum nefas pateretur, & armis atque auctoritate eos motus compeſceret, negat id ſe facturum. Hac ſpe depulſi noſtri cùm alia nulla ſupereſſet via Pręſulem cõueniunt, docent quo loco res ſit, in memoriam reuocant quibus eos ſummus Pontifex Clemens ſubiiciat pœnis, qui alios ad pugnam prouocare non verentur, præſertim cùm ij ad quos talia prohibere certamina ſpectat, ea æquo animo paterẽtur: tunc enim pœnas vel ad ipſa templa pertinere in quibus ſacrorum ſolemnia celebrari minimè poſſent. His excitatus Præſul dum meliùs rem cognoſcit, templorum fores occludi iubet, omniq; templorum aditu populum prohibet: quo tantum terroris incuſſum eſt vniuerſis, iis præcipuè qui manus conſerere cupiebant, vt pro ſe quiſque doctiores conſulere cœperit an tantarum pœnarum iam rei eſſent, & libentiùs arma depoſuerint, quam antea ſuſcepiſſent. Nullus erat adoleſcenti vel linguæ ad loquendum, vel aurium ad audiendum vſus: hic quòd noſtræ domus fundatorẽ cognatione attingebat, ac ferè ſemper cum noſtris verſabatur, nec nullius momenti fructus è noſtra conſuetudine tulit; ſumma noſtrorum diligentia effectum eſt, vt ſanctiſſimum IESV & B. Virginis nomen ſatis diſtinctè poſſet efferre. ad ſuos appetente iam nocte reuerſus clara atque elata voce nomen IESV ac Virginis inclamat. mirari primùm domeſtici, obſtupeſcere, mox ingentis lætitiæ vim cùm taciti continere non poſſent, proximos quoſque ad tantæ rei nouitatem cognoſcendam conuocant. concurrunt vicini, puerum paulo antè omnino mutum ſemel, iterum, centies, in ſanctiſſimo Seruatoris nomine exultantẽ non ſine ſtupore ſuſpi-

ciunt; mox cùm per vrbem vt fit res percrebuisset, tantus fuit omnium ordinum concursus, admiratio tanta, vt vix contineri potuerint ne ad templa discurrerēt, & æris pulsu, & supplicationibus Deo gratias agerent. Et profectò mirandum fuit potuisse eum doceri aut aliquid eloqui, qui surdus omnino esset. Porrò egregia omnium in nos voluntas liquidissimè apparet. Quidam iam quatuor aureorum millia nobis legauit hac ratione, vt huius pecuniæ fructus ad nos pertineāt, vbi primùm ipse inter viuos agere desierit. ab alio quinque millia eadem lege speramus. etiam honesta quædam matrona cùm in grauissimum morbum incidisset, facultatum suarùm, quinque scilicet aureorum millium, nos heredes instituit, & recuperata valetudine eandem in nos voluntatem idemque studium seruat. ergo cùm & iis fructibus, quos è pecunia à fundatore nobis legata colligimus, eiusdem fundatoris æs alienum dissoluamus, & Tropiensium liberalitate subleuemur; breui speramus fore, vt sedes hæc Collegij formam accipiat.

PRO-

PROVINCIA MEDIOLANENSIS.

NVMERAVIT hoc anno Mediolanensis prouincia Socios circiter trecentos. Domus Professa D. Fidelis trigintaseptem; Braydense Collegium nonaginta; Genuense trigintatres; Taurinense vigintiocto; Comense duodecim; totidem Vercellense; quatuordecim Montis Regalis; Cremonense duodecim; Domus Probationis Aronensis quadraginta plus minùs; Missio Intimoliensis duos; Alexandrina quatuor; Ticinensis tres; Niciensis duos, totidem Lucernensis atque Castri Delphini. adscripti in Societatem sexdecim; mortui septem.

Domus Professa Mediolanensis S. Fidelis.

DVO decessere vita P. Simon Arpius & P. Franciscus Butironus, vterque optimè de Societate meritus, variisque pro Dei caussa defunctus laboribus. Ad hunc, cùm perageretur funus, magna vis nobilium feminarum certatim confluxit, vt manus piè oscularentur; nonnulli etiam imaginem vtcunque petierunt, & mortuo exprimendam curarunt: adeò integritatis eius & sanctimoniæ opinio insederat in mentibus ciuium. Mira prorsus comitate aduersus alios, seueritate aduersus se ipsum extitit, vt exacta licet ætate atque inclinata, tamen nihil non appetierit modò, ve-

rùm

rùm ne admiserit quidem, quod proprium esset atque singulare; flagellis autem ita còrpus accipiebat, vt in sene adolescentiæ alacritatem atque impetum minimè desiderasses. Satis læta fuit hoc anno rerum spiritualium messis; aucta est in primis duabus B.MARIÆ Congregationibus, vna nobilium mercatorum sanè frequenti; altera opificum. horis pomeridianis conueniunt, & in vtraque vigent pietatis officia. In nostro templo Sacramentorum magna frequentia; præsertim verò Christo Domino & eius SS. Matri dicatis diebus. Illis ipsis diebus quibus populi multitudo bacchari, & quasi quædam lupercalia celebrare solet, habita est ad augustissimæ Eucharistiæ Sacramentum solemnis supplicatio ingenti totius ciuitatis concursu, omnibus admirantibus, & factum collaudantibus. Concionatorem habuimus, qui & Quadragesimæ diebus, & reliquo anni tempore ad medium vsque Septembrem dixit ad populum magna auditorum circumsistente frequentia, fructuque non pœnitendo, & inde secutum vt multorum inopia subleuata fuerit ex eleëmosynis inter concionandum collectis. Hoc etiam anno expositæ primùm fuerunt in templo icones B.P. Ignatij & B. Francisci Xauerij, nec sine singulari multorum voluptate. Mirum quàm multis ipse in variis morbis, & animi difficultatibus oppressis adfuerit B.P. Ignatius oratus & exoratus. Itaque ad grati animi testificationem argentea dona iam pendent. In his quidam fuit B. Patri vehementer addictus, qui cùm in ardentem febrim, & scilicet dysenteriam incidisset, & grauiter torqueretur: dum Deum precatur, & IESV nomen in capite, in pectore, in vētre manu designat, vt meritis & obsecrationibus tanti Christi famuli aliquod auxilium capiat, paulo pòst leni somno

correptus,

correptus, posteaquam euigilasset omnem abiisse morbum intelligit, appetẽtia ciborum & viribus restitutis. Idem cùm ex renibus laboraret, ex lateribus alter, tertius ex capite; eodem adhibito medico parem sunt opem experti. Alio & consilio sunt vsi. Multi à grauissimis sceleribus ad Christianos mores vitamque traducti. Tres hæretici cum Ecclesia reconciliati, ex his vnus iam ætate prouecta Confirmationis Sacramento munitus: alter Romam profectus, & inde confirmatior ad suos dum redit, in ardẽtissimam febrim non procul Mediolano incidit; ciuitatem ingressus deposita spe salutis decumbit, Sacramentis expiari postulat. expiatus, & Christi viatico pastus, oleóque sacro delibutus magna pietatis significatione functus est vita. & quidem id diuino beneficio euenisse putandum est, ne quem Dei bonitas ex faucibus luporum extractum ad Christi Domini ouile perduxerat, in patriam & ad suos reuersus, vbi perniciosa libertas viget, iterum præda luporum fieret. Quinque sunt à Turcarum superstitione ad Catholicam Christi fidem conuersi, rudimentis Christianis informati, & solemni concursu salutaribus aquis abluti. In his eluxit pietas duarum puellarum, quas sic ad veram religionem veritatis cognitio incendit; vt statuerit vtraque virginitatem Christo Domino in monasterio consecrare. Dum primis illis baptismi mysteriis initiarentur, idem noster, qui eas instituerat, de baptismi ceremoniis, de bono Christianæ fidei, & de perseuerantia concionem habuit. Ex Iudæis vnus ad Christi veritatem accessit, nec parentis preces qui Mantua aduolauerat, neque minæ potuerunt animum à sancto cõsilio retrahere. Hunc Illustrissimus Dominus Iosephus à Cugna Præfectus arcis Mediolanensis ad sacrum baptisma

suscepit;

ſuſcepit. eâdem noſtrorum operâ effectum eſt, vt Excellentiſſimus Gubernator à Fuentes candidatum illum in Hiſpaniam ſtudiorum gratiâ miſerit, toleraturus ſumptum quamdiu litteris in Academia Complutenſi vacabit. Non parum etiam profuit alteri cuidam annos 35. nato, nobilique Hiſpano nôſtrorum cõſuetudo atque conſilium. Is B. P. Ignatij exemplo ad bonam frugem ex ſæculi vanitate conuerſus Sacramenta frequenter vſurpat, & in Collegio noſtro philoſophicis diſciplinis animum excolit, vt paulo pôſt religioſæ cuipiam familiæ det nomen. Quidam iuuenis honeſto loco natus, auerſo à ſtudiis animo, & perditorum ſocietate deprauatus, centum aureos nummos domi furatus effugerat adductus à noſtris vt ad patrem rediret; culpam fateretur, deprecaretur veniam; itaque cum parente rediit in gratiam, pecuniam reſtituit, & modò ſingulari exemplo eſt, ſeque bonis in litteris ad religioſam vitam parat. Tredecim ex iis, qui confeſſiones apud nos frequentabant, in quibus aliquot nobiles, rebus ſæcularibus nuncio remiſſo, ad varias Religioſorum familias ſe contulerunt. Aliquot item viri nobiles ſpiritualibus exercitiis cum fructu exculti. Tribus puellis procuratæ dotes 200. aureorum, ſine quibus non poterant in virginum ſacrarum numerum admitti. Accepimus multorum totius vitæ confeſſiones magna cum vtilitate. Non pauci à grauiſſimis flagitiis extracti, vel impediti. In his fuit perfrictæ frontis muliercula, quæ ementito habitu virili iam aliquot annos vagata per vrbes & opida multos ſecum ad æternum interitum impellebat; tandem ad noſtrum ſacerdotem adducta errorem agnouit, effectumque vt nihil deeſſet eorum, quæ ad victum cultumque neceſſaria ſunt, iamque ſe egregiè piam

præſtat.

præſtat. Pellices nonnulli reliquerunt: in his aliqui totos octodecim annos & ampliùs in illo cœno volutabantur. A conceptis omnino facinoribus abducti permulti. Quidam inimicum ſtatuerat occidere armis venenatis: noſtra admonitione à ſcelere deſtitit, hoſti condonauit, confeſſione animum purgauit. Simile quid fecerunt alij duo nobiles, qui grauem offenſam acceperant, & tertius item, à quo noſter impetrauit, vt vni reò qui ad triremes non ita multo pòſt erat deducendus, iniuriam remitteret. Alius vir item nobilis, qui nocturna & diurna alea rem familiarem dilapidabat cum ſumma coniugis mœſtitia, & liberorum detrimento, noſtrorum conſiliis à peſſima conſuetudine abſtinuit, & modò ſuis rationibus inſeruit. Alius etiam claro genere natus, perditorum tamen conſuetudine deprauatus, adeò vt ſingulis ferè noctibus huc & illuc per vias & compita obuios quoſcunque pecunia, vel pallio, vel vtroque nudabat, vel certè baculo malè mulctabat, ita noſtrorũ verbis immutatus eſt, vt omnino peſſimam artem & ſocios abiecerit, & malè parta reſtituerit. Optimè conſultum parenti cuidam, qui proprium filium; & marito, qui vxorem veneno decreuerant tollere. Duabus mulieribus conſultum item, quæ præ deſperatione ſibi vitam laqueo, vel præcipitio ſtatuerant eripere. Impeditæ quatuor cædes, à quibus aliquot familiarum ruina pendebat. Quædam obfirmauerat animum quòd ſcelerum puderet, vt peccata non aperiret; vnius è noſtris benignitate atque conſilio ſe indicauit non ſine ſingulari ſtudio & voluptate. Multæ præpoſteræ actiones diſſolutæ eorum, qui ad nos conſilij & expediendæ conſcientiæ cauſſa venerunt; venerunt autem frequentes. Iniuſta pecunia reſtituta. Multæ ciuiles controuerſiæ diremptæ,

remptæ, compositæque nostrorum arbitrio. Itum ad xenodochia, & ægroti, tum prouinciales, tum Transalpini, quorum fuit magnus numerus, confessionis Sacramento, hortationibus, & aliis officiis recreati. Contigit aliquoties, vt grauissimè laborantes ritè absoluta confessione nullo alio remedio conualescerent. Præterea itum ad vinctos in carceribus, ad quos nostri plurimùm vocantur tum vt confessiones excipiant, tum vt in tanto periculo solentur miseros, & moribundis præstò sint. Et sanè non parum eluxit diuina misericordia erga famosum prędonem, qui cùm ad rotam media & effusa ferè tota ciuitate per vias lutulentas, pluuio cælo, hieme perfrigida supinus raptaretur equo, palàm testatus est, præ eo quo dignus erat supplicium huiusmodi præmium videri. In Missionibus, quæ per diœcesim factæ sunt, haud inutilis est opera facta, nec contemnendi fructus manarunt. Exceptæ sunt vniuersorum aliquot opidorum pagorumque confessiones, & multæ generales totius vitæ: exhortationes, conciones, catecheses habitæ, reconciliati dissidentes, simultates ablatæ, vel impeditæ: multis peccandi illecebris occursum. & alia sexcenta id genus præstita quæ omittuntur quia communia. Illud autem non insigne magis fuit quàm vtile. Templum est B. Virginis Assumptæ, ad quod sese maximè diebus festis vniuersa ciuitas effundit, non tam religionis caussa, quàm (vt ferè fit) voluptatis vanitatisque sæcularis; hinc quot mala proficiscerentur facilis coniectura est, dum iuuentute equis insidente, & valuas circumsistente nobilium virginum turba confertim fluit. Ergo tanto incommodo, cui neque concionatores, neque alij mederi potuerant, per nostros prouisum Prætore vrbis iubente, vt catena ad bene penitus
defossos

defoſſos ſtipites alligata publicam viam interſe-cet, ne vltro citroque carpenta commeent.

Collegium Braydenſe.

MIGRARVNT à nobis duo rei familiaris admi-niſtri, qui vt ad prouectam ætatem peruene-rant, ita virtutum omnium erant acceſſione cu-mulati; alter fuit Petrus Stopellus admirabili ani-mi tranquillitate vir, victoria ſui, laborũ patien-tia, orationis autem ſtudio tanto, quantum facilè actiones omnes atq; exempla monſtrabant. Ante decennium circiter ſalute depoſita grauiſſimè ia-cebat ægrotus; cùm ei Dei Mater ſeſe obiecisse dicitur præclara ſpecie: à qua monitus eſt lõgiùs abeſſe mortem: quòd plus etiam laboris in Dei famulatu ferendum erat. itaque in eo ipſo deindè morbo, qui finem attulit, cùm animam ægrè tra-heret, neque voces articulatas poſſet emittere; ta-men identidem ſuauiſſimum MARIÆ nomen in-credibili cum ſenſu pietatis inclamabat, quaſi pa-tronam ſuam atque matrem propiùs adeſſe ſen-tiret. Alter fuit Nicolaus Ferrarius, vnus ex his qui B. P. Ignatium familiariter norant, de quo mira quędam eximia cum voluptate narrabat. O-randi aſſiduitate, corporis afflictatione, obedien-tia præſertim, inſignis extitit, & amore Societatis. totos dies cùm vacabat in diuina obſecratione ponebat, veſcebatur agreſtibus ferè cibis admo-dum parcè. Hic dictitare ſolebat ſe non magis B.P. Ignatium admirari ſolitum poſteaquam eum Deus miraculis & fama toto orbe celebrauit, ac fuerat admiratus olim dum mortalem inter nos vitam viueret. tantam ex viuis & ſpirantibus exemplis ſanctimoniæ collegerat opinionem B.P. Ignatius. Hoc anno primùm inſtitutum, vt

qui ex tirocinio veniunt, aut qui non ita pridem fuerunt in Societatem cooptati, seorsim degant. Quare sua illis domus, suæ res sic attributæ, vt in Collegio, & diebus vacationis in vinea reliquorum commercio careant. In triclinio non mensa tantùm vtuntur peculiari, sed mantilibus etiam & aquario. Porrò in istis initiis enituit ardor animorum inusitatus. Aliquibus iam dudum in Societate versatis post multas preces permittenda potestas fuit, vt nouorum more viuerent; aliis licèt enixè flagitantibus, pręcisè negatum. Et sanè constat tam salutaris vtilitas instituti, vt ne tirocinium quidem vlla ex parte desideres in Collegio. Stato recreationis tempore conueniunt vniuersi ad colloquia spiritualia: in quibus exempla maximè commemorantur petita ex Sanctorum vitis eorum, qui cuique menstruis schedulis contigerunt; cùm interea procumbit vnus aut alter, qui errata sua palàm à cæteris aperiri explicariq; cupit, & summissè contendit. Xenodochia frequentare, atrium scholasticorum verrere dum dimittuntur discipuli, vilissima quæque ministeria obire, stipem in egentium subsidium corrogare vetera sunt & vsitata. In vniuersum illud affirmari verè potest, longè aliam esse in hoc nouello seminario faciem Societatis quàm antea fuerat; ac spes est sine dubio tamdiu lætos & vberes fructus gloriæ diuinæ & religiosæ perfectioni collectum iri, quamdiu adolescentiæ, ne se subitò eiiciat atque profundat, consultum erit. Sodalitates B. Mariæ magis ac magis in dies proficiunt, nec intra priuatos solùm parietes se continet pietas, sed emanat foras, spectaturque præsertim in xenodochiis, vbi sternuntur lectuli, porriguntur sorbitiunculæ, abluuntur cum osculo pedes ægrotantium, euerruntur quisquiliæ: in doctrina etiam

Christiana pueris tradenda: Nec verò pœnitẽtiæ studium refrixit; obita septem templa nudis pedibus in veste carbasina; publicè noxæ detectæ ab iis ipsis qui commiserant; aliqui templum in vrbe media frequentissimum scopis purgare voluerunt. Atque his in muneribus obeundis vt quisque nobilior est, ita suam luculentiùs operam probat. Subiratus videbatur quidam socio suo: conciliatus est hac vna voce, Intelligẽ te esse Parthenium. Alter colaphum infligenti respondit id tantùm; Te fortunet Deus. Multi alias religiosorum hominum familias, nostram quatuor delegerunt. Dum Bacchanaliorum tempore nostri per fora & compita sermonem habent de rebus diuinis, Parthenij multitudinem ad audiendum cogunt; aleatores sæpe à ludo ad seria transferunt, & ad confessionem adhortationibus impellunt. Quidam id orabat, sibi vt Deus eius mentem iniiceret rei, quam ipse cuperet maximè, eodemq; vestigio temporis diuino instinctu se ad Societatem sensit impelli. Inuitabat Parthenium Parthenius ad Christianæ fidei docenda rudimenta pueros, Abi, ille inquit, ne caput obtundito. tum alter, Vide ne grauiùs alius obtundat quispiam. Haud fefellit euentus; paulo pòst incidit in baiulum, à quo ita repentino impetu percussus est, vt mortuo similis in terram corruerit. Eiusmodi multa silentio prætermittuntur, quæ facilè Partheniorum adolescentum mores indicent, & in pietatis exercitatione processus. Res scholastica, si aliàs vnquam, hoc anno effloruit. Cùm Illustrisimus Cardinalis Aldobrandinus è Gallia Roma Legatus rediret, in Collegium venit, & quamquã temporis vehementer vrgebamur angustiis (ij fuerunt quinque dumtaxat dies) nihilominus exceptus est honorificè. Duo visuntur atria in Colle-
 gio,

gio, domeſticum & ſcholaſticum: vtrumque veſtiebatur aulæis qua belluatis & belgicis, qua ſericis & virgatis. Aulæa verò fulgebant cuncta carminibus, emblematis & epicherematis; in hoc externi deſudauerant, in illo noſtri. Incredibile videbatur plurimis, ac miraculo ſimile tantam carminum copiam tam ſubitò erupiſſe; nec in animum poterant inducere, aut hunc iam pridem laborem cœptum non eſſe ſuſcipi, aut certè non abuſos nos arculis & promptuariis, in quibus hæc deliteſcerent ingenij monumenta. Fecit fidem caſus inopinatus. Fortè per eos dies Illuſtriſsimo Cardinali Mediolanenſem arcē ingredienti dum tormenta ænea de more diſploduntur; vnum, ſiue ob vetuſtatem, ſiue ob nimiam obturamentorum ac ſulphurei pulueris vim, ſiue ob aliam cauſſam diſſilierat in partes. hic caſus ſuppeditauit argumenta lepida ad magnum diſtichorū numerum; quæ cùm legerentur excitarunt ob argutiam pariter & elegantiam admirationem, & cetera eodem eſſe nata tempore perſuaſerunt. Fecit rem diuinam cum muſicò concentu Cardinalis, & noſtros multoſque externos cæleſti pane refecit. Exceptus eſt oratiuncula priùs, deinde etiam variis epigrammatis, quæ dicebantur à pueris certo loco ad atrij angulos conſtitutis: in primis autem fornix animos recreauit variis diſtinctus argumentis, & inſcriptione graui, quibus rēs geſtæ Aldobrandinæ familiæ ſignificabantur. Scholaſticorum, præſertim autem Rhetoricorum, eluxit induſtria, qui in commodius conclaue tranſlati, vt ſuperiore anno ſcripſimus, mirum eſt quantopere ad omnem diligentiam exarſerint. Præter quotidianas fermè declamationes ſtatis quoque temporum interuallis aliquid elucubratius atque celebrius emiſerunt foras. ſcripſerunt ſuo marte

dramma,

dramma, atque in theatro recitarunt partibus inter se distributis, vt quoniam certum scenarum numerum scribendum quisque receperat, in recitando suos quilibet & alienos versus pronuntiaret Pridie Kal. Augusti, quo die B. Pater Ignatius mortalem hanc vitam cum immortalitate commutauit, documenta dederunt suæ pietatis & diligentiæ plurima. Impleuerunt atrium quantum quantum est peristromatis & versibus circumcirca, quinis epigrammatum dispositis ordinibus non sine magna epicherematum multitudine. Pēdebat exposita palàm cum ornatu serico B. Patris effigies, inscriptione pietatem & industriam Rhetoricorum indicante. Ad portam verò, qua scholasticis iter est ad templum, & atrio respondet, erexerant fornicem multis argumentis illustratum atque locupletatum. Argumentorum omnium figuræ, vt ad Ignatij nomen alluderent, ab igne ignitisq; impressionibus ducta sunt. Accessit oratio de laudibus B. Ignatij habita in atrio ipso magna nobilissimorum ciuium omnis ordinis circumstante frequentia; inter eos erat Præfectus arcis. orationem suscepit sacra liturgia cum concentu musico vocum ac neruorum, & tibias modulatè canentes, quos ipse Præfectus ex arce venire iusserat. Scholastici egregia cum significatione pietatis ad sacrā Eucharistiam accesserunt: vbi illud locupletissimum excitauit in animis religionis exemplum, cùm arcis Præfectus toto eo tempore quo Sanctissimum Sacramētum circumferebat sacerdos, genibus innixus non tantùm verbo ad pietatem hortabatur & facto, sed etiam suis ipse manibus adolescentes ad cancellos admouebat. Hanc adeò insolitam & inusitatā Rhetoricorum sedulitatem humanitas P. Prouincialis maximopere auxit, non solū quòd ipsius par-

tim auctoritate, partim ope vitreis fenestris illuminata classis est, atque pictis intercolumniis decorata; verùm etiam quia sua præsentia eorum sæpe cõcertationes & declamationes honestauit. Cui erga se benignitati aliquam vt pro virili gratiam referrent, occasionem excogitarunt præclaram. Cremonam adeunti Patri accidit, vt vel nimio labore fessus, vel superioris morbi reliquiis debilitatus, vel aduersis casibus conflictatus in morbum incideret. Morbus fuit eiusmodi, qui ad acerbissimum doloris sensum, etiam præsentissimum vitæ periculum adiungeret. Itaque statim atque ad nostros Mediolanum peruenit rumor, cum rumore mœror manauit ad exteros. Fama fuit, remediis medicorũ omnibus incassum tentatis, B.P. Ignatij effigie ad corpus applicita Patri Prouinciali valetudinem restitutam. Hæc statim atque resciuere Rhetorici, oblatam geminæ gratiæ ineundæ oportunitatem, quam ipsi non votis depoposcissent modò, sed modis omnibus aduocassent, minimè prætermittendam censuerunt. Quocirca, & quia præcipua quadam pietate B. Ignatium colebant, & erga P. Prouincialem erant maximè animati, libellum raptim scribunt: quo in libello centum circiter epigrammatis P. Prouinciali redditam B. Ignatij meritis valetudinem gratulantur; addita epistola, qua mentem suam & causas consilij explicabant. Qua in re celeritas spectata est maximè; cùm enim paucos post dies, quòd morbus, non tam diuturnus, quàm periculosus extiterat, Cremona Pater reuertisset; ipsi pridie quàm venerat librum auro sericoque elegantem summa cum amoris testificatione obtulerunt. Nostrorum autem solicitudo quanta fuerit vix dici potest. apparuit in omnibus vis mœroris ingens, qui nunquam quietos esse per-

permiſit, donec de valetudine recuperata perlatus eſt nuncius. Inclinante in vacationes anno conuenit inter quindecim ex ſelectiſſimis, vt alterum annum Rhetoricæ darent operam. hi cùm anniuerſariis ſtudiorum inſtaurationibus rediiſſent, tanta alacritate eloquentiam cum emolumento omnes, vno excepto, de quo dicetur poſtea, ſunt amplexi, vt magiſtros potiùs crederes quàm diſcipulos. ſic ſine dictatis orationem aut poëma ſubitò fundebant, & exiguo ſumpto ſpatio perorabant; ac ne interea dum cæteri nihil de ſtudiis cogitabant, ipſi feriarētur, omnino decem ex his, aliis quatuor verò vel morbo, vel alia legitima cauſa impeditis, tot & tam multa epigrammata de B. Franciſco Xauerio conſcripſerunt, quot eſſent ad atrium rurſus implendum. Ergo IV. Non. Decemb. qui dies incidit in mortem Franc. Xaueuerij, ſuæ diligentiæ apparatum expoſuerunt foliis vt antea vario colore delineatis: in his numerabantur aliquorum 100. epigrammata, aliorum plus minùs. Ab vno ex ipſis habita per eoſdem dies oratio, qua oſtendebat B. Franciſcum verum extitiſſe Iaponiæ & Indiarum Apoſtolum, cum ſymphonia, & virorum nobilium audientia, ſed intra priuatos parietes, quòd à publico frigus arceret. Obierat ex veteranis vnus intra vacationes adoleſcens & moribus & litteris & ingenio & pietate probatiſſimus. Eius mors in Sodalium animis cum dolore altiùs inſedit. itaque maturata ab vno quem ipſe plurimùm amauerat elegantia illuſtris oratio, quam cum externorum corona habuit in gymnaſio, vbi & aliorum carminibus funus celebratum eſt. Hanc orationem domeſtici cognati non deſtiterunt precibus donec ſcriptam haberent. Atque hæc alacritas non induſtriam acuit tantùm, ſed etiam auxit numerum.

Trigintaquinque, vel ad summum quadraginta numerabantur superioribus annis, hoc anno septuagintaquinque nomina dederunt magnam partem ex primaria nobilitate, singuli modestia summa, vt non pœnæ metu contineantur in officio. Cæterùm hic quem diximus numerus duos complectitur, quorum alter Philosophiæ studia peregit, alter publicè Theologiam propugnauit vniuersam. Continet item nostros, qui hoc anno Como Mediolanum translati, & externis ad modestiam facem præferunt, & in eloquentiæ studiis præclarè vigilias locant. Quæ de Rhetoricorum sedulitate atque modestia commemorata sunt, ea externis fuere communia. Humanistæ siquidem Rhetoricos æmulati, à quibus vincerentur doctrina, cum iis certarũt industria. Ipsi etiam Eclogam habuerunt suam, ipsi sæpenumerò intra priuatos parietes exposuerunt carmina, atque declamarunt: quasi dicerent se non tam voluntate impediri quàm classe & infirmitate, quòd aliis euadere nequirent pares; nòn despondere tamen animo quominùs eadem aliquando, aut etiam fortasse plura conentur. Hinc fit vt tanta adolescentum ac puerorum vis ad nos confluat, quantam scholarum capere angustiæ non queunt; plurimi cùm admitti non possint dimittuntur, ac si loci copia suppeditaret, duplicarentur classes omnes excepta Rhetorica. Academia Parthenia in tanto scholasticorũ ardore minimè languit. præter alia multa, die sacro Annuntiationis atrium versibus & emblematis conuestitum, habita oratiuncula cum poëmate, duæ paulo celebriores Eclogæ recitatæ, vna funebris de morte Christi Liberatoris humanæ salutis; altera piscatoria, cùm Humanistæ Rhetoricam exeunte iam anno cogitarent. Vtraque varietatis & elegantiæ notis

insignis

insignis mirum in modum placuit spectatoribus. Adolescens ab ancilla verbo lacessitus tacuit: admiratus rem famulus, Quin,inquit,propulsas iniuriam? At enim,ille ait, atrociora nostri caussa perpessus est Deus. Quidam adeò abhorrebat à non castis cogitationibus, vt si occurrerent etiam in schola,statim ad magistri aures adiret,vt eas & patefaceret, & oraret opem: hunc deinde Deus vberrimis suæ gratiæ muneribus cumulabat, vt lacrymas copiosè funderet, quibus sua detestaretur errata Hic se scholarum & gymnasij cancellis nostrorum continuit fructus. Quæsitum sæpenumero vinctis subsidium ostiatim, quod vel ineunte anno cunctis vestimenta suppeditauit. Antecineralibus feriis varij variis foris & compitis inter se diuisis ad populum de rebus diuinis,odio peccati,pœnis inferorum, morte disseruerũt cum fructu non pœnitendo,qui in confessionibus maximè consistit. Quidam circulator viris ac mulieribus deprauandis addictus,auctoritate Prætoris extra vrbem abactus est. Vndecim Turcæ nostrâ operâ Mahometem eiurarunt. in quo summum perspeximus aduersus ipsos Dei beneficium, aduersus dominum seueritatem.etenim ex his nonnulli seruitutem seruiebant cuidam homini, si fidem Christianam excipias planè barbaro; nempe qui miseros sine caussa seruos identidem malè mulctabat,& quod in homine veris imbuto sacris est inauditum,ab impia superstitione nolebat eos recedere. Adit noster sacerdos ad ipsum,rogat vti salutis iter ingredi conantibus aditum ne obstruat. tum ille vt erat arrogans & elatus, contumelias iactat. Vix foribus abierat Pater,cùm furibundus tergo cum fuste insistit, putabat se cum sacerdote acturum perinde quasi cum seruis ageret. Hunc igitur non assecutus,impetum conuer-

tit in seruos, iisque cupiditatem exprobrans Christianæ fidei verbera crudeliter inflixit quamplurima. Non tulit hanc importunitatem impunè; pauci dies effluxerunt, cùm in itinere a familiaribus propter nonnullas suspiciones in conspectu seruorum, ipsis saluis & incolumibus, nec tamen defensionem afferre valentibus, interfectus est. Omnes, qui mores hominis norant, ac de feritate in seruos audierant, subitò diuinam vltionem notarunt. Vxor ipsa nulla interposita mora Patrem rogauit ad se venire ne grauaretur; itaque & ad sacrosanctum lauacrum seruos adhortata est, & verè etiam quo primùm die baptismi mysteriis sunt initiati, eos libertate donauit. Vnus è nostris centum ampliùs homines ad sacram Eucharistiam octauo quoque die ritè obeundam induxit. Ex his quidam testamento reliquit filiis, vt hanc eandem inirent salutarem consuetudinem: nimirum quos habiturus erat facultatum, eosdem & virtutis habere cupiebat hæredes. Quatuor ex hoc Collegio missi sunt in Indiam.

Collegium Genuense.

FVNCTVS est mortali vita P. Guido Bellinus trium votorum professus, cùm ad 94. annum peruenisset, ex quibus 40. degit in Societate senio planè nulla vel febricula, vel pituita consumptus est: vir singularis virtutis, diuinæ gloriæ cupidissimus, ideoque vitiorum censor liberrimus, erga Societatis institutum animatus optimè, moderatorum obseruantissimus, laboris amantissimus, atque in confessionibus audiendis ad vltimum vsque spiritum constans. Templi ædificatio bellè processit in dies, duobus sacellis hinc inde cœptis ad vsum venire rei diuinæ, quæ magno iam sum-

ptu

ptu locupletantur ornanturque; nam cella maxima SS. Eucharistię dedicata vsuros nos speramus propediem. interim sacrarium nouum, pulcherrimum & spatiosum habemus. In his quatuor millia nummorum aureorum dissoluta, tria conclauia præterea ędibus addita satis ampla in vsum scholarum, deinde verò Sodalitatis B. V[irginis]. Scholę numero & nobilitate proximos a[nnos] superarunt: speramus forę vt crescant quo[tid]ie magis, nimirum situ iam, opportunitate & pulchritudine loci longê meliores. Aduentus & Quadragesimæ temporibus conciones habitæ ingenti primariæ nobilitatis frequentia. frequentiæ suus respondet fructus; eleëmosynæ tantum collectum quantum vix vnquam antea. Institutum Contubernium pœnitentium IESV. sic enim appellari placuit. patet locus mulieribus ab impudicitia reuocatis ob eam caussam, vt matrimonium deinde vel religiosam familiam ineant: quam procurationem susceperunt primarij ciues, à quibus auxilio iuuantur & consilio. Vir nobilis possessionem adierat quarundam ædium; quæ tametsi non satis de iure constaret ad alterum pertinerent nec ne, hominum dumtaxat grauium auctoritate res veniret in controuersiam; ipse tamen à nostro sacerdote admonitus, & testibus fidem habuit, & domino eas restituit. Dominicus Grimaldus, quæ familia multam ab antiquitate commendationem habet, in febrim inciderat grauissimam, & admo[ti]tis B. Ignatij reliquiis statim conualuit; sed iisdem semotis iterum tentari febricula cœpit. at rursus adhibitæ morbum penitus omnem repulerunt, cùm priùs tabulam argenteam, quam deinceps Romam ad sepulcrum misit, vouisset. Emmanuel Belleronus Madridij laborabat ex febre lethali & pestifera, quæ miseris modis animum & corpus cruciа-

cruciabat, vt diu extra mentis potestatem deiiceret, & adeò crebris singultibus miserum quateret, vix vt animam trahere posset. Iamq; medici spem omnem cum curatione deposuerant: interea Aloysia Saldagnia coniugis filia ægrotum B. P. Ignatio commendat, suis vt obsecrationibus salutem oret. nec incassum missæ preces. & spem salutis, & salutem nõ ita multo pòst recepit; nunc omni asseueratione confirmat se vitam secũdùm Deum B. Ignatio debere. Idem cùm venisset Genuam, eodem morbo conflictatus est, qui iisdem per eum remediis, & præterea B. P. reliquiis vsus breui valetudinem recuperauit.

Collegium Taurinense.

VERSATI sunt hoc anno in Collegio Taurinensi vigintiduo, præter Patres quatuor in proximas villas Pontificis Max. iussu destinatos; sacerdotes decem, magistri tres, reliqui Coadiutores. Doctrinæ Christianæ in multis templis tradendæ vsus, qui ob annorũ superiorum luem refrixerat, à nostris restitutus maiora in dies capit incrementa. E sacris concionibus toto anno habitis fructum retulimus non pœnitendum. Cùm aliquando sacerdos in nostro templo de condonandis iniuriis ad populum verba faceret, duo inter se capitalibus odiis dissidentes tantopere sunt commoti, vt concione dimissa mutuos in amplexus ruerint, dextrasque dederint obsides, & grata pignora mutatæ voluntatis. Eucharistiæ & Pœnitentiæ Sacramenta affatim præbita. Confessiones generales exceptæ quamplurimæ, non sine magna confitentium vtilitate. Dissidia inter multos sublata, & quidem nonnulla inter necessarios & contubernales antiqua & periculosa. Quadragenarij

genarij ieiunij tẽpore excursum in vicinos pagos, ac rudes populi diuini verbi pabulo refecti. Hæretici quatuor à cacodæmonis faucibus ad Christi caulas adducti. Nobilis mulier calumniis ab æquè nobili viro grauiter lacerata, dolore atrox vltionẽ parabat: sed diuinitus accidit, vt rem vni è nostris aperiret; cuius monitis ab immani consilio deterrita pepercit inimico tanta alacritate, tanta lætitia, vt planè constaret ferocem animum à Deo mitigatum. Duæ mulieres post grauissimas contumelias viriliter ad arma venerant: qua in pugna cùm altera vulnus accepisset, furore amens vulnere vulnus vlcisci pertinaciter decreuerat. timentibus multis, ne muliebris impotentia graue aliquod maritis periculum crearet; nostrorum hortatu effectum est, vt quæ plagam imposuerat ad inimicæ pedes accidens veniam petierit, atque impetrarit. Quidam suorum criminum fœditate perterritus de propria salute actum esse putabat; itaque velut orco deuota victima, nec diuinæ benignitatis vnquã meminerat, nec misericordiam vllis precibus implorabat. prostratum animum confessarius è Societate firmis rationibus ad spem salutis erexit, & ad intermissum sacrarum precum & psalmodiæ vsum reuocauit. Congregationes Sodalium numero & virtute florent. earum vnam Serenissimi Principes nonnunquam pręsentia sua cohonestarunt. Quæ D. Pauli auspiciis militat, alumnorum suorum vicit singulari in proximos charitate. Multorum egentium, quorum numerus ob temporum difficultatem in vrbe hoc anno maior fuit, ære in medium collato subleuarunt. Feminas duas, quarum domus erat officina venalis pudoris, à turpi mercatu abduxerunt. Illustrissimus Nuntius Bariensis Archiepiscopus plurimis officiis & beneuolentiæ significationibus

studio-

studiosissimum se nostri Ordinis prębuit. Sępissimè in nostro templo sacris est operatus: communi mensa cum nostris nonnunquam in triclinio humanissimè vsus est, & extremis legationis suæ diebus apud nos diuersari voluit. Nō disparem in eius successore Foroliuiensi Episcopo humanitatem experimur, qui eleganti oratiuncula, carminum & epicherematum apparatu in Collegium exceptus omnia sibi gratissima fuisse ostendit. Sanctorum corpora in nostro templo condita insigni miraculo claruerunt. Mercator honesto loco natus exitiali febri pęnè confectus propiùs à morte aberat: nocte intempesta tres Thebæi milites Solutor, Aduentor & Octauius ter oblati decumbenti suam opem polliceri taciti videbātur. Quo viso æger mirificè recreatus vouit se sacellum illud, in quo martyrum reliquiæ asseruantur, singulis hebdomadis vno anno religiosè inuisurum. Nequaquam surdis auribus preces & vota ingessit. à lethali morbo illicò releuari cœpit, breuique conualuit. Igitur vt primùm pedibus ingredi potuit, voti reus ad nostrum templum se contulit, liberatoribus suis gratias acturus. Aliud in eodem genere accidit silentio minimè prætereundum. Pauper mulier acu suam domesticorumque suorum vitam tolerare assueta ex pollice tam grauiter laborabat, vt solito suendi munere perfungi non posset. Multis remediis incassum adhibitis tandem in templum Collegij venit, torpentem digitum admouit B. Iulianæ vestigiis, quæ in cubitali saxo cernuntur impressa. mirum, digito repentè primus vigor restitutus. Sacram templi supellectilem lychno argenteo pensili, qui 70. aureis æstimatur, auxit pij cuiusdam viri religiosa liberalitas. Primaria femina 150. aureos sacrario legauit. Alius 200. ad templi fabricam promouendam.

Colle-

Collegium Comense.

BENE in proximos nauata opera est. Duo qui annos quatuordecim in turpitudine vixerant tandem legitimo matrimonio copulati vitam piè degunt, summaque animorum voluptate. Vnus sacerdos Quadragesima in opidũ profectus quotidie sermones habuit ad populum, confluentibus etiam vicinis pagis ad audiendum. plurimi confessione expiati. restincta odia multorũ. Christianæ doctrinæ rudimenta pueris quotidie tradita. Sodalitium institutum. In tribus B. MARIÆ Sodalitatibus, quarum vna nobilium est, altera discipulorum, opificum tertia, vigent studia pietatis. Vnus ex discipulis in Dominicanorum familiam se recepit. Parochi nonnulli, atque adeò religiosi viri piis meditationibus exculti, & ad sui munus officij reuocati.

Collegium Vercellense.

DONATVS est meliore vita P. Andreas Lucinus Collegij Rector, vir cùm ceteris sanctimoniæ notis insignis, tum singulari facilitate mansuetudineque mirabilis. Habuerat sæpiùs conciones in summo templo, conscientiæque officia palam exposuerat non sine ingenti fructu. Exacto iam penè triennio sub Augusti exitum corripitur morbo. gliscebat mali vis, & ad vltimum periculum spectare videbatur: socij interea, qui dies noctesque seruabant ęgrotum, olei sacri mentionem iniiciunt. tum æger, qui sensibus vtebatur integris: Abite, inquit, cubitum, cùm vestra mihi opera opus erit, faciam vt adsitis. paruerunt illi, relicto

tantùm

tantùm socio qui præstò foret. sub auroram eosdem aduocat, iam adesse tempus affirmat, quo Extremæ vnctionis præsidio muniatur; itaque ritè inunctus precum partem, quas animam agentibus accommodauit Ecclesia, audire voluit, partem in tẽpus oportunius reseruari. Die insequenti pari cum dolore, lætitiæq; spiritualis vi translacto, secundùm cœnam dormitum cunctos dimisit, cùm diceret, se, si res exposceret, daturum operam ne abessent. Hora deinde quinta sacerdotem vocat. paulo pòst præsentibus aliquibus & audientibus, clara voce sublatis in cælum oculis, & commissis inter se manibus, Regio, inquit, Beatorum, Regio Beatorum. nec multo pòst: Chorus virginum, ait, Chorus virginum. ex hoc coniectura capta formam illi & speciem cælestis domicilij, & sanctarum virginum obiectam. Huius viri obitum vt par erat ciuitas vniuersa luxit: nec defuere ciues tum nobilitatis, tum prudentiæ laude præstantes, qui rerum frustula, quibus ille vsus esset, sedulò curarent sibi. Illud porrò singularem, vel in mortuo virtutem, vel in Vercellensibus pietatis ac doloris sensum indicauit. Efferebatur de more corpus, cùm adfuit ad ianuam Generalis Vicarius cum magno Canonicorum comitatu, & R.P. Inquisitor ex Dominicanorum Patrum familia, qui singuli cereos manibus præferentes nobiscum optimo patri parentare voluerunt. Confitentium numerus maior extitit, quàm pro numero confessariorum. In caussa fuit sacri iubilæi promulgatio facta Pedemontanis ad ædem B. MARIÆ, cui à Monte Regali nomen est. ex vicinis maximè opidis ac villis adeò multi confluxerunt, vt vel ab vno sacerdote generales confessiones ad 400. & eo amplius exceptæ sint. Cæterùm vincti aditi, & Sacramentorum præsidiis instructi. Do-

Piam Christianam, ac B. Mariæ Sodalitas in dies magis magisque promota. Maiorum autem sacerdotum spiritualibus commentationibus exculti: per quos deinde adductæ virgines non [illegible] in [illegible] mansuit vilitas. Adolescens religiosi [illegible] famam grauiter læserat: is opera nostrorum adhibito iureiurando palinodiam cecinit. Alter confessioni frequenti deditus epistolam a puella acceperat, in qua se illa in ipsius potestate futuram pollicebatur, si eam nostris rem indicasset, non a facinore modò deterritus est, sed vt puella in matrimonium collocaretur, studiose curauit. Tyronis fuit adolescens [illegible] a diuitiis paratus: qui a-licet a vxore multis annis abusus, cum viri vitam neque veneno, neque plumbeis glandibus intercipere potuisset, furam [illegible] cogitauit. Qui structa res est, & parta iam dies aduenerat, cum repentino mulier oppressa morbo abstrahitur a sensibus, [illegible] mortuæ similis [illegible] quidquam proprius factum est, quam vt tumulo mandaretur, nisi perditus adolescens prohibuisset. euentus autem accidit huiusmodi, vt non illa tantum ad sensus rediret, sed vterque ad bonam frugem [illegible] ita confessione generali. Narrauit in familiari sermone illa [illegible] femina, visa illa atrocia sibi quædam, & immania spectra visa, rapientium se ad inferorum supplicia [illegible] vrgentibus [illegible] satellitibus, sola B. Mariæ obsecratione ereptam, dum [illegible] pœnitentia [illegible] elueret. Puella nobilis ad adolescentis [illegible] gestabat [illegible] quæ cum [illegible] a suis. [illegible] ipsa [illegible]. Dei [illegible] ita [illegible] post multas [illegible] difficultates matrimonium [illegible] ambo [illegible] & [illegible] & Sodalitatem [illegible] colunt. &

ſæpenumerò Sacramentorum inſtaurant vſum. Adoleſcens alius a materteræ amicitia, qua cum nefariam diu conſuetudinem habuerat, abductus eſt. Puella à viri primarij poteſtate reuocata, certa nummorum ſumma tradita, qua honeſtè matrimonio iungeretur, cautumque ne prior ille amicus in poſterum machinationem poſſet vllam ad ſcelus adhibere: cui rei ita prouiſum eſt, vt obuiàm etiam ſit itum cædi, ad quam ſine dubio factionum iam duarum partes inclinabant. Quatuordecim mulieres à quęſtu pudicitiæ abſtractę, ac tuto loco conſtitutæ. Virgo ſexdecim annos nata ab adoleſcente robuſtæ ætatis atque ingenij, cui fuerat in cuſtodiam tradita, per tres annos ad flagitium ſollicitata, & quaſi compreſſa, inuocatis ſemper IESV ac MARIÆ ſalutaribus nominibus, importunum à ſe repulit amatorem; cùm octauo quoque die ſacra confeſſionis & communionis obiret myſteria, dictitaretque ſe quàm turpitudinem committere mori malle. Quidam latrociniis ac cædibus vias habebat infeſtas, vxore non conſcia modò ſcelerum, verùm etiam adminiſtra; noſtrorum tamen operâ Deo iuuante perfectum, vt vterque cum aliquot conſceleratis ad officium redierint. & vxor quidem graui preſſa morbo, qui finem vitæ attulit, illud vnum ſe formidare dictitabat identidem, ne vitæ prorogaretur vſura: adeò cæleſtis domicilij cupiditate flagrabat, peccatique illecebras, ne eòdem relaberetur, oderat. Viri quidam nobiles grauiter ex morbo laborantes ſecundum confeſſionem ac communionem puellas tres rei familiaris anguſtiis oppreſſas Chriſti cauſſa ſubleuarunt. hæ tum primùm ad communionis admiſſæ myſteria bene de ſe meritis, vt credere par eſt, ſalutē precibus impetrarunt. tantum valuit ſiue pia liberalitas ęgrotantiū, ſiue piarum

aut puellarum obsecratio, siue vtrumque. Alij deinceps iisdem remedijs salutis suæ fecerunt medicinam.

Collegium Montis Regalis.

NOSTRI hoc anno pro numero maximo cum fructu suam in animorum ope operam impenderunt. & verò materia laboris duobus præcipuè mensibus Septembri & Octobri non defuit; cùm tanta ad expiandas animi sordes, atque ad amplissimos iubilæi fructus percipiendos ex omni Gallia Subalpina hominum multitudo conflueret, vt omnibus audiendis non dies non nox esse potuerit satis. Occupabant nostri duabus aut tribus horis diluculum in excipiendis confessionibus, ad [illegible] vsque noctem persistebant, vix tanto tempore excepto quantum ad necessariam corporis quietem, ac preces horarias persoluendas sufficeret: cùm interim tantus accederet omnium ordinum ætatumque concursus confessionis locum [illegible] occupantium, vt confessarij penè obruti non minus sæpe in turba summouenda, quam in confessionibus audiendis negotij haberent. Et extitit [illegible] fructus tum in nostros, tum in externos. Nostri quidem ex assidua animi contentione in morbum delapsi plerique, & labore laborum [illegible], [illegible] promerendi materiam [illegible] nacti sunt. Externis verò quanta vtilitate officia Societatis præstita verbis explicari vix potest. plurimi ante [illegible] ad eam diem [illegible] [illegible], [illegible] sacrilego [illegible] silentio tum primum indicarunt. multi cum nullo [illegible] discrimine [illegible] contraxissent, ab [illegible] quæstu abducti [illegible] [illegible], vt quæ mala fide possidebant suis dominis restitue-

 rent;

rent. Quidam à destinatæ cædis consilio deterriti; nonnulli pellicibus alendis profusi à flagitiosa vita ad honestatem venerunt; alij, qui desperata salute orco sese deuouerant, ad spem meliorem erecti. Interim non pauca contigerunt diuinæ bonitatis argumenta, quæ memoria digna videntur. Femina spe futuri matrimonij ab impudico iuuene delusa cùm de morte sibi consciscenda cogitaret, ad sacerdotem nostrum adducta resipuit, confessioneque expiata, & rebus quibusdam piacularibus contra dæmonem armata lætior ac melior accessit quam recesserat. Sequitur aliud simile, in quo præcipuè salutaris signi virtus enituit. Mulier pertæsa vitæ, quam miseriis confertissimam degebat, sic animum desponderat, vt de afferendis sibi manibus nocte dieque meditaretur. Igitur consilij, quod tacita voluebat oportunitatem nacta, domo cum resti clam aduolat, infelicem quærens, ex qua penderet, arborem. secedit in interiorem syluam, nodum collo innectit; antequam se ex arbore præcipitem det, nescio quo spiritu ducta crucem manu ad pectus admota format. Mirum dictu: crucis illico beneficio sanam mentem cum recepisset, Deo Deiparæque grates in ipsius templo persoluit Iam quod sequitur miraculo simile. Quidam vitiis omnibus notatissimus nunquam maculas mentis confessione absterserat, neque cæleste Christi conuiuium inierat, eoque venerat dementiæ atque impietatis, vt Deum scelerum vltorem nullum esse persuaderet sibi, sacra omnia, quibus Ecclesia sanctissimè vtitur, aut rideret, aut impurissimis vocibus execraretur: cùm interim mali dæmonis consuetudinem, qui se illi viridi in veste identidem videndum dabat, familiariter coleret. ab hoc ille veterator inducitur, vt Geneuam, amicam scilicet vrbem,

[illegible] confessum [illegible] ibi rursum pacatumque fore [illegible]. atque iter infelix: vix mille passus processerat, cum amisso oculorum sensu, ac densa veluti caligine circumfusus domum cæco simillimus non sine multorum admiratione reuertitur. Hic recepto oculorum vsu sequentes noctes traducit insomnes, quòd summo ardore præcordia [illegible] tertio demum die rei sacræ dum interesset, diuinam hostiam sanguinis guttis [illegible] conspicit. itaque & malo [illegible], & tot signis admonitus, animoque in meliora [illegible], ad Deiparam confugit, & iubilæi vsus opportunitate vniuersæ vitæ flagitia confessus, tum demum Christianum se hominem esse cognouit. Nec in animis tantùm, sed in corporibus etiam [illegible] sanandis diuina [illegible] ostendit. Vir quidam nobilis ex agro Geneuensi cum euulso violenter maxillis dente præ dolore [illegible] omnem [illegible], ac [illegible] tantam e maxilla sanguinis [illegible], vt sisti non posset, [illegible] imaginem B. Virginis, ad eam quæ hîc [illegible] expressam, [illegible] quæ pariete [illegible] am capi[illegible] ad-[illegible]

 vtitur

uinæ erga se bonitatis monumentum suspendit ad ædem. Emanauit etiam in hæreticorum commoda nostrorum opera. Iuuenis Gallus non minus ingenio, quàm genere nobilis medios educatus & susceptus inter hæreticos cùm Societatis nostræ Collegia frequentare cœpisset adolescentulus, eiurarat errores: non ita multo pòst reuersus ad genium disciplinam impietatis rursus acceperat. & quanquam Catholicorum concionibus, & librorum lectione, crebrisque morbis ad veram doctrinam compelleretur; tamen diem ex die ducens in iisdem errorum ac flagitiorum tenebris iacebat. Denique cùm Dynastam quemdam comitatus ad hoc templum iubilæi tempore venisset, in itinere diuinitus immutatus ad confessionem instituendam animum adiecit. quare nactus sacerdotem suæ linguæ peritum, auditus & in fide confirmatus est. Femina nobilissima ex matre hæretica, quamuis hæresim detestata esset, vt Equiti Catholico nuberet; tamen deficiente copia sacerdotis dies noctesque dubitationum stimulis angebatur. hæc a viro ad templum adducta in magna confessariorum multitudine in eum incidit, qui alias inter hæreticos in missione cùm degeret, domum ipsius aliquando frequentauerat, vt eam lucrifaceret Christo. Hunc ergo cum nacta esset qualem optabat, cui intimos animi sensus aperiret, scrupulos mentis proposuit: quibus exemptis magnopere in fide corroborata est. Hoc penè de domesticis exciderat, dirutas ædes Collegio continentes, ac temporarium templum extructum, dum piorum beneficentia iuuante Deo laxius ædificetur.

Colle-

Collegium Cremonense.

CREMONENSE Collegium in suis istis initiis dum supellex domestica instruitur, bibliotheca apparatur, domicilia disponuntur, ne alienum æs contrahere cogeretur, duodecim tredecimúe Socios aluit, sacerdotes sex, ceteros partim præceptores, partim Adiutores domesticos. Scholæ & multitudine & conditione discipulorum floruerunt. Scholastici supra expectationem ac spem modestiam probarunt suam. adeò in hac vrbe iacebat instituendæ iuuentutis disciplina; ad id consequendum plurimum valuit præceptorum industria & studium, qui strenuè magnaque cum laude suo munere perfuncti sunt. Cæsar Specianus Illustrissimus huius vrbis Episcopus pergit in dies nouis nos semper ac maioribus beneficiis cumulare, cùm dicat se magna in spe esse fructum singularem per nostræ Societatis homines in hac ciuitate aliquando perceptum iri vel vberrimum. Ante scholasticas vacationes præmia discipulis suo sumptu magnificè distribui voluit, adfuit tota ciuitatis ferme nobilitas; quo die maxima cum iucunditate atque approbatione audiuit discipulos egregiè inter se de rebus litterariis concertantes; probati verò maximè sunt, qui contrariis orationibus disseruerant præmia danda forent, nec ne. accessit iudex tertio loco, qui totam controuersiam sapienter & æquo iure diiudicauit, magno cum plausu & laude audientium. Idem Episcopus huiusce Collegij amplificandi studiosissimus, emit nobis hoc anno quinque aureorum millibus domum valdè amplam & commodam, quam quondam ad maiores suos pertinuisse, ibique sedem eos habuisse confirmat. Quo verò die

prædictæ domus possessionẽ adiuimus, eum officij caussa placuit inuitare. Exceptus est in ipso ingressu oratiuncula grati animi plena; totius verò domus nouæ porticus visenda erat poëtico apparatu cum insigni fornice, elegantibus symbolis argumentisque ornato, picturis, elogiis, epicherematis, variisque insignibus aptè atque vndequaque dispositis, quæ vitam omnẽ Antistitis, ipsiusque præclarè gesta, & legationes ad Imperatorem, ad Catholicum Regem repræsentabant. Exhibita secundùm prandium ecloga pastoralis in Christi Domini natalitia: qua etiam celebrata est beneficentissimi Pastoris erga Collegiũ ac Societatem liberalitas. Ex his ille mirificam animi iucunditatem cepit, atque inde magis affectus est erga nos, resque nostras benignè fouendas atque amplificandas. totum porrò illum apparatum apud se voluit habere descriptum. In summo templo ad nostrum concionatorem per sacrum Quadragesimæ tempus audiendum omnium ordinum concursus factus maximus. & adeò probatus, totque precibus est expetitus, necesse vt fuerit ipsum reliquo deinceps anno cõciones continuare, sẽperq; eadẽ frequentia, vel in summis caloribus, maximaq; vi frigoris auditus est. Festis diebus ad Christianam doctrinam tradendam omnes domestici præter ianitorem egressi. cùm deinde redibant domum, confessariis templum petendum erat ad confessiones excipiendas eorum, qui doctrinæ addiscendæ operam dederant. Hortationibus sacris atque extraordinariis confessionibus monialium cœnobia ad meliorem frugem reuocata, atque ad perfectionem capessendã incensa. Damnatis ad mortẽ præstò fuere sæpenumerò nostri. Quidam desperatis rebus suis omnem penitus salutis mentionem respuebat, nulliusque aut sacerdotis,

dotis, aut amici consilia precesque volebat admittere. at hunc hominem perditum aduocatus vnus è nostris curauit, Dei in primis gratia vt lucem aspiceret, ac diuino primùm timore concussus, deinde spe veniæ erectus sua peccata per confessionem aperuit cum singulari animi ac pietatis sensu, & volens libensque stupente Deoque gratias agente circumfusa hominum multitudine, ad carnificinam properauit. Dissidebant capitali odio duo fratres viri nobiles, quos inter se componere nullius vnquam potuerat charitas aut industria. Hos noster sacerdos ita conciliauit, vt eadem nunc in domo degant summa animorum ac voluntatum consensione. Adhæc in gratiam redierunt cum viris vxores, atque ex animis euulsæ suspiciones, è quibus vulnera necesque facilè existere poterant.

Domus Probationis Aronensis.

TIRONVM in spiritualibus studiis ardor hoc anno sic emicuit, vt superioribus non concedat. Quidam suorum iniussu, quòd potestate nunquam facta diem semper a die ducerent, Societatem adierat. Impetrarunt illi a summo Pontifice, vt apud Vicarium adolescens constitueretur periclitãdæ vocationis caussa. sed Dei gratia consilia longè superauit humana; tantum animi atque roboris cælitus impertitũ est, vt nõ solùm patrios astus, verùm materna etiam lenocinia pro nihilo putarit. Fructus maximè visus in conciliandis, atque penitus extirpandis odiis implacabilibus, in quibus multum industriæ atque laboris collocatum. Fratres intestinis ardentes & inueteratis inimicitiis, feminæ item, quarum in publicum procacitas atque petulantia pessimo exemplo

prodierat, in amicitiam redierunt. Et quantum apud cæteros infamiæ collegerant, tantum iam consuetudine atque congressu admirationis excitant, Deumque omnes laudant pacis auctorem. Lites infinitis penè difficultatibus implicatæ, Dei primùm, deinde nostrorum etiam operâ dissolutæ. Quidam sicarius prædium emptum habebat, vt inimicum suum malè fuste mulctaret. rescitum à nostris est impeditum. Tres B. Virginis Sodalitates, vna adolescentum, altera plebeiorum, tertia honestiorum maiorum capiunt in dies incrementa. vltima præsertim, quæ ad Sodales 80. peruenit. qui numerus, vt alibi videri fortasse mediocris posset, in hoc opido non frequentissimo maximus est existimandus. Neque verò paruo fuit emolumento aggregatio cum primaria Romana, cuius celebritas incidit in Annuntiationem B. Virginis. Res quanta maxima fieri potuit ceremonia transacta est, tum in Congregatione ipsa priuatim, tum in tẽplo publicè, vbi generalis Indulgentia aggregationis beneficio concessa omnibus. Ingens populi numerus cælesti se pane refecit. Sodales quidem ipsi vnà & rei diuinæ interfuerunt, & Christi corpus ritè sumpserunt. Eum diem totum celebritas tenuit exposito palàm Sanctissimo Sacramento. Secũdùm prandium vnus è nostris ad populum concionatus est extraordinario concursu super huiusmodi aggregatione. Doctrina Christiana multos adduxit ad confessionem generalem, 30. 40. & 50. annorum; quòd anteactas error aliquis antiquasset. Inter cætera exemplum quod sequitur accidit memorabile. Multos iam annos mulier traduxerat in libidine. hæc ad confessionẽ ita veniebat, vt longè plura ac grauiora peccata celaret quàm exponeret, nimirũ impedita pudore. Cognitum est diuino instinctu à confessario

fami-

feminæ filētium, à quo & metu eorū cruciatuum, quibus apud inferos adiudicātur malefici, ad integram & sinceram pœnitentiam deducta. Hęc narrabat deinde cùm sæpiùs ad confessionem accederet, animo se totam penitus indicandi, tanto sub ipsam confessionem impedimento teneri solitam, vt non rubore solùm suffunderetur, sed etiam fauces penè sibi sentiret elidi. tantam sibi in eam iam dæmon vindicauerat potestatem. Commemorabat etiam cùm sacræ synaxeos tam impura conscientia mysterium obiret, assiduis mentem stimulis concuti; cùm verò sacrilega lingua diuinum cibum exciperet, non panem excipere, sed flammam sibi ignemque videri. Quidam confessionem petere consuetus sine vllo dolore noxarum, neque de promissis confessario factis admodum laborare, inflicta verberationis pœna resipuit. Alius chirographo proprij sanguinis exarato notis diabolo deuouerat animum, exusta scheda reuocatus ad sanitatem mentis. Alia item mulier quo liberiùs impudicitiæ seruiret, pellicatum matrimonij nomine contegebat. huic sese varia sæpenumerò specie videndum obtulit infernus hostis, qui suadere conabatur, vt vel præcipitio, vel alio genere mortis vitam finiret; per nostros autem fugata dæmonis importunitas, & expiatum scelus. Sodalis Parthenius graues sustinebat carnis incursus. cùm primo diluculo euigilasset aliquando, vimque libidinis maiorem in modum erumpere sentiret, aperuit oculos; cùm ecce tibi conspicit hominem procerum corpore, specie terribilem, colore fuscum, cornibus deformem. occurrit animo statim suspicio mali dæmonis, seque & obsecrationibus armat & signo crucis. Eum deinde animo iam collecto prosecutus abeuntem, vt magis de diabolo constaret, egredi visus

ſus eſt ille quidem ianua, ſed occluſis atque obſeratis foribus. Idem non ita multo pòſt acceperat de more candelam in Sodalitate die ſacro Purificationi B. Virginis: quam valere plurimùm contra dæmonum impetus cùm audiiſſet, lætus aduolat domum, vt ad lectulum ſuſpendat. vix cœperat ſcalas conſcendere, cùm occulta vi, nulla ſe forma oculis obiiciente, pedem alterum retineri ſenſit, vt moueri loco non queat, nedum vnum gradum facere; precibus tamen & cruce, vt antea, malefici dæmonis fraudes abegit. Hic idem alias nulla ſubeunte cauſa, corpore toto ab imis vnguibus ad ſummum vſque verticem perhorruit, erecto capillo & ſudore manante; ſed oratione ac fiducia in Deum præſertim ac Deiparam, priſtinæ quieti ac tranquillitati eſt reſtitutus.

Reſidentia Alexandrina.

ANNO 1600. repetita eſt Alexandriæ miſsio aliquamdiu intermiſſa; & hoc anno 1601. in Reſidentiæ formam redacta, cum voluptate Reuerendiſsimi Epiſcopi ac ciuitatis. ita & auctus eſt numerus noſtrorũ, & eleëmoſynis piorum ciuium alitus cœptus; quin & in proxima opida aliquando excurſum. Excurſio verò etſi anni tempore non valdè oportuno, nempe illo quo demetendis & colligendis frugibus plebs vniuerſa deſudabat, vt prima fuit in his locis hominum Societatis, ita omnium opidanorum in ipſos & oculos & animos conuertit. Nec defuerunt qui quòd par noſtrorum ſacerdotum iis diebus ac menſibus, quibus de ſacris rebus minimè cogitari conſueuerat, matutinis ac veſpertinis horis, in templo concionibus habendis, & confeſsionibus excipiendis diligenter & aſsiduè laboraret; imminere dictitarent aduen-

aduentum Antichristi; & idcirco sacerdotes religiosos popularium animis ad pietatem infirmandis, & Sacramentorum pane corroborãdis ritè ac laudabiliter operam dare. Accidit etiam in horũ Patrum ingressu in quoddam opidum, vt coorta tempestate rusticus plaustrũ agens fulmine percussus repentè interiret: vnde illi occasione arrepta diuini iudicij prædicandi tantum profecerunt, vt sub finem concionis qui ceteris præerat Parochus, primus omnium ad vnius è nostris pedes accideret in templo peccata confitens: quem ita consecuta est plebs, vt vniuersa simul, quemadmodum in paschate fit, expiatis animis sacram communionem sumeret. Omnino magnus perceptus est pluribus in opidis ex magnis non multorum dierum laboribus & incommodis fructus; qui quòd magna ex parte ad Sacramẽtum confessionis pertinet, idcirco reticetur. Hæc foris. In vrbe Reuerendissimus Episcopus de Societate optimè cogitans, eius operâ vtitur quantum potest per nostrorum paucitatem; tres enim ferè sacerdotes hactenus in ea degunt, & Fratres duo Coadiutores. Ita vt seminarij quod nuper fundauit, clericos in templo nostro confiteri peccata; & Ordinibus initiandos tum minoribus, tum sacris erudiri à nostris, & spiritualibus etiam commentationibus exerceri iusserit; & in maius templum ad conciones habendas, & in aulam suam ad sententiam de rebus Ecclesiasticis in concilio dicendam, aliquem è Societate libenter accersat. Ciuitatem habemus nostri Ordinis peramantem, ex ea infirmi auxilium à nobis expectant ac petunt. Quare pluribus nostri morientibus adstiterunt. ex his patricius quidam Societati testamento peluim ac manubrium ex argento legauit, ex quibus aureorum ampliùs septuaginta summa

redacta

redacta bibliothecam auxit. Operam etiam nostri damnatis, atque in furcam agendis attulerunt. Instituta est Congregatio puerorum nobilium, quæ quasi seminarium erit, vnde maior Congregatio virorum continenter augeatur. Confessiones demum generales auditæ plures. Domi hæc, omissis minutioribus & communibus.

Missiones in Valles.

INTERMISSAS missiones ob luem, quæ duobus annis in Subalpina regione grassata est, Clementis VIII. Pontif. Max. iussu, & Sereniss. Ducis hortatu repetere placuit. itaque quatuor sacerdotes missi sunt, Lucernam duo, totidem ad Castrum Delphinum.

Missio Lucernensis.

QVAMDIV nostri ab opido & valle Lucernensi abfuerunt; Ministri, qui nostrorum operâ in remotiores Alpium recessus fuerant reiecti, quasi è latebris & cauernis egressi per totam vallem impunè cœperant volitare, non sine magna animarum iactura: & in opido ipso Lucernæ, vnde antea nostri radicitus pestem extirparant; palàm in ipsa platea & mercatu nemine contradicente versabantur. vbi tamen nostri rediere, non alia vi aut armis, quàm sacris Litteris & disputationibus fugarunt, quibus in publico foro eos lacessebant, cùm identidem sacræ Scripturæ locum aliquem proponerent Ministris enucleandum: quem cùm pro sua inscitia explicare nescirent, sese iterum lucem vitantes vmbrarum assectæ in suas cauernas abdiderunt. Nouem transfugæ ad Ecclesiæ castra redacti, ex Catholicis quamplurimi ad sacram synaxim, qui diu multumque abstinuerant: spes-

que

que est, vt Archiepiscopi Taurinensis aduentu, qui in dies in hæc loca expectatur, maxima res Christiana capiat incrementa, plurimaque opida hæretica lue purgentur.

Missiones ad Castrum Delphinum & Draconense.

CASTRVM Delphinum in summis Alpibus situm Salucensem prouinciam à Delphinatensi disterminans iam pridem Caluinistarum operâ labefactatum fuit hæresi,& quod erat consequẽs,ibi sacerdotes Catholici crudelissimè enecati, & in eorum locũm Caluinistæ Ministri suffecti. sacra templa diruta,aræ subuersæ, sacrosancta supellex nefariè sublata, asportatæ campanæ, turres sacræ, vbi priùs dulce campanarum melos personabat,æquatæ solo;fundi ipsi redditibus Ecclesiæ olim piè à maioribus assignati,iam ita impiè confusi, vt multis locis à fundis sæcularibus nequeant discerni. & hæc quidem omnia præter innumera alia facinora quodam prædone Nello, perditissimo homine hæretico, vel potiùs atheo, Castri Delphini Præfecto maximam partem contigerunt: qui & ipse non ita multo pòst in arce dormiens iusto Dei iudicio meridie gladiis confossus, & ex præalta turre, vnde sacerdotes ipse præcipites egerat, à suis præcipitatus miserè interiit. Ex quo factum est, vt castrum illud cum tota ditione Salucensi in potestatem Serenissimi Sabaudiæ Ducis venerit, & magna ex parte ab hæretica labe fuerit expurgatum; postea tamẽ pace inter Christianissimum Galliæ Regem, & Sabaudiæ Ducem inita, castrum illud à Salucensi ditione ad Delphinatenses rediit. quæ caussa fuit vt hæreticæ rursus potestati subditum teterrima

luę

huc contaminatum ſit. Ecce enim protinus Miniſtri hæretici vndique ex antris illis, & vallium cauernis erumpentes nefarium ſuum illud munus exercent, intonant Marotti pſalmos & Bezæ cantus muſicos. præficitur caſtro Gubernator hæreticus; circumſiſtunt milites hæretici, ludimagiſtri conſtituuntur hęretici, magiſtratus cum ſumma poteſtate nimirum ſupremus iudex creatur hæreticus; & quod omnium peſſimum fuit, ipſe caſtri Regi cliens à Catholicis tranſiit ad hæreticos, ita vt iam Italiæ ipſi finitimæ non leue periculum videretur imminere. Quæ cauſſa fuit cur ſummus ac vigilantiſſimus Paſtor & Pontifex Clemens VIII. miſsionem hanc noſtræ Societatis hominibus prudentiſsimè decreuerit. Quid autem memoria dignum in ea contigerit perſtringam breuiſsimè. In prima noſtrorum ingreſsione procurata eſt Gubernatoris cæterorumque beneuolentia, quæ quidem citra religionis cauſſam ſatis prolixa erga nos fuit, quamdiu Gubernator moribus & natura valdè lenis & humanus in caſtro degit: vbi verò ille in Galliam profectus eſt, & alteri qui arcem regeret prouinciam demandauit; minæ cùm à vicario ipſo, tum ab aliis inſolentioribus hæreticis & militibus non rarò nobis intentatæ. Quamobrem Gubernator poſtea cùm rediiſſet certior factus ægrè tulit, & milites malè mulctauit, & vicarium magiſtratu mouit, & nobis ſuam denuò beneuolentiam atque præſidium benignè obtulit, vt nullus iam in nos non modò ſæuire, ſed ne hiſcere quidem audeat. Confutati ſunt crebrò verbis & ſcriptis hæreticorum Miniſtri, idque tum priuatim, tum publicè, & quidē ſępiùs quando hęreticę conciones, & Caluinianæ preces videlicet haberi ſolent. Miniſtro cuidam de more aduerſus Miſſę ſacrificiū oblatranti,

latranti, atque disputationem publicam refugienti oblatus est aliquando à nostris libellus optimis certissimisque rationibus è sacris litteris, & SS. Patrum interpretationibus desumptis refertus: quē ille cùm legisset, & dies aliquot apud se habuisset, nec refutare posset suæ inscitiæ cōscius, per hominem internuncium libellum restituit sine vlla responsione. Adolescens hæreticus ædium, in quibus nostri degebant, apud Castrum Delphinum dominus, nescio quo furore percitus, vt nostros domo eiiceret, aliorum fortè hæreticorum suasu, aut dæmonis, facto impetu repentè baculo armatus domum ingressus vni è nostris, qui tum ad mensam fortè librum tractabat, verbera intentat, nisi subitò domo migret. Noster primò blandis furibundum rationibus conatur demulcere: iste nihil mouetur. fit hominum concursus, qui & innocentem Patrem tuentur, & furentis adolescentis petulantiam coërcent. itaq; coniiciunt adolescentem in carcerem: vnde post aliquot dies nostris deprecationibus egressus, ita mansuetus & amicus nobis euasit, vt abiecta etiam hæresi fidem Catholicam se suscepturum receperit. Per idem ferè tempus fasciculum litterarum ad Illustrissimos dominos de rebus ad hanc missionem pertinentibus non leuis momenti cuidam Catholico datum hæretici interceperunt, & suspicio erat venditum pretio à tabellario ipso. quod factum cùm Sereniss. Sabaudiæ Dux intellexisset, coniecto in carcerē nuntio, quòd suæ subesset potestati, iudicum sententiæ eum ad triremes, vel ad mortem damnauerunt: sed dum nostri interueniunt deprecatores, cognita innocentia & integritate liberatur non sine magna gratiarum actione. Iterum ac sæpiùs redeuntes Ministros magno semper animo nostri sunt aggressi, vt falsam doctrinā

quamplurimis teſtibus confutarent: qua quidem ex re non minùs confirmantur Catholici, quàm hæretici infirmantur. adeò vt Caſtri Delphini Gubernator vir ſanè notæ prudentiæ, cùm videret Miniſtros in diſputatione ſemper ſuccumbere, publicam eis diſputationẽ interdixerit, & eos palàm ignaras beſtias appellarit. Multi hæretica priùs labe contaminati occultè religionem noſtram ſequuntur, nec audent palàm cõfiteri, quòd domeſticorum impediantur aut affinium metu; itaque non tantùm doctrinam veram, ſed à nobis agnos etiam cereos & ſacras icunculas petunt. Speramus fore aliquod tempus, cùm omni timore ſublato vnum Deum & corde & ore fateantur. Subornarant hæretici, non ſolùm ſuæ factionis homines, verùm neophytos quoſdam Catholicos, vt à Rege Galliæ diploma extorquerent, quo caueretur, ne quis publicè hæreſeos promulgationi ſe opponeret. obſtitimus acriter nefariæ contentioni; itaque iam ſummi Pontificis operâ factum eſt, vt Rex Galliarum litteras ſcripſerit, quibus litteris prohibet publicas conciones hæreticorum & Miniſtrorum cõcurſum, & etiam ne in poſterum quis Caluinianus Caſtro Delphino præficiatur, vetat. Eorundem item hæreticorum dolis & occultis cuniculis pro virili obuiàm itum eſt, dum Catholicos & hæreticos matrimoniis copulare conantur; vt interea qui Catholicus eſt ob propoſitum quæſtum deficiat ad hæreticos. Non procul à Caſtro Delphino Præpoſitura eſt S.Petri non ignobilis, vbi fructuosè opera collocata eſt in concionibus habendis, adducendis hęreticis ad fidem, audiendis cõfeſſionibus. magna pars expetit Eccleſiam Catholicam; vna familia integra veritati reconciliata. Hoc in opido vir pius natum habebat domi adeò valetudinarium,

vt

vt salute viueret planè deposita. eum B. Ignatio commendauit: nec ita multo pòst planè conualuit. modò parens votum cereum cogitat. Quidam sacerdos perditorum morum ad officium traductus. Alter item fuit Ponti (opidum est non procul à Castro Delphino) qui cùm Parochum ageret, suis perniciosis exemplis faciem ad omnem nequitiam ac vitiorum turpitudinem prætendebat. à nobis tertiò ac sedulò commonefactus resipuit, atque, vt salubri pœna culpas superioris ætatis emendaret, peregrinationem sua sponte vouit ad D. Iacobi Compostellani. hic, dum se ad iter comparat instituta priùs salutari confessione, suos interea inuisens domesticos, est ab ipsis crudeliter interfectus magno hæreticorũ dolore; quòd ita dictitarent plus ad Caluinianam disciplinam disseminandam pessima eius sacerdotis exempla quàm suorum Ministrorum commenta valuisse. Draconerium opidum est in valle maxima nobilissimũ ac primum Salucensi ditione. hìc & nostra desudauit indùstria: nec frustra. hæresim abiecerunt multi, & quidem è prima nobilitate, libri præposteræ doctrinæ adempti non pauci. Mulier, quæ nouem integros dies abstinebat cibo, neque in animum inducere poterat, vt Ecclesiæ Sacramenta admitteret; hortatu nostro cibis vsa est, & peccatis expiata cum testificatione Catholicæ fidei. Præterea se multi hæretici nobis in disciplinam tradere decreuerùnt, nisi aliò moderatorum iussa vocassent.

Missio Niciensis.

NICEA vrbs est Duci subiecta Sabaudiæ in orà maritima & Italiæ finibus, non procul à Varo, quod flumen Galliam discriminat. Ea sicuti inter

Gallos & Italos ſita eſt, ita mores hinc inde traxit ab vtriſque.vtitur iure, ac penè lingua Narbonenſis prouinciæ, à qua & religioſus clerus pendet totus; contrà in publicis actionibus atque conciliis adhibet ſermonem Hetruſcum. Ratio Reip. in democratia fermè conſiſtit; quadrifariam enim ciuitas vniuerſa diſtinguitur, in nobiles, mercatores, artifices & operas. Suffragia in conuentibus paria, magiſtratus etiam communes. Ager non admodum latè patet; ſed ob collium identidem aſſurgentium amœnitatem, vbertatem ſoli, ac denique cæli clementiam, qua nullum in Europa dicitur eſſe ſalubrius, omnino viſendus. Arcem habet ſitu manuque munitiſsimã in ſummo colle ita poſitam, vt vrbi pelagoque impendeat atque dominetur; nulla tamen ratione peti, ac ne propemodum oculis aſpici queat. quocirca eam partem quæ vergit ad mare ſimilitudinẽ ventris referre voluerunt, ſiue ad hoſtium ludibrium, ſiue ad oſtentationem ſui; quaſi vterum arx opponat, in quem qui velint, ſi modò poſsint, tela contorqueant. Locus opportunus eſſe potuit mercatoribus ad emporium celeberrimum, niſi careret portu; nihilominùs vrbis commoditas, & vltro citroque commeantium frequentia maxima parit mercaturæ compendia. D. Pontius Seua vir non magis pecunioſus ac diues, quàm pius, pro ſua & erga Deum religione, & erga patriam charitate, R.P. Generalem exorauit duos ſacerdotes, qui in hac Nicienſi vinea vigilias collocarẽt, vel Miſſionis gratia, vel etiam ad iacienda Collegij fundamenta. Venerũt huc primò anno 1597. XVI. Kal. Nouemb. quo tempore in Gallos & Sabaudos exitioſiſsimi belli flagrabat incendium. ac initio quidem multum nobis negotij faceſsitum eſt ab hominibus noſtrarum rerum imperitis, qui ad

cætera

cætera illud molestius adiunxerũt, vt Episcopum Societatis ignarum conarentur impellerę, nostris vt conciones & publicas adhortationes interdiceret; sin minùs, vellet discessionem imperare. quare priuatim in circulis, ac publicè in conciliis de Societatis fama detrahere, commemorare nos eiectos Gallia, nonnullorum vitam carpere qui à Societate defecerant, ea demum efficere quæ nostris rei domesticæ angustias afferrent, atq; adeò viam ad alienæ salutis procurationem præcluderẽt. Compescuit nihilominus obtrectatores Episcopus auctoritate sua, quin etiam re bene cognita penitusque perspecta iam de Collegio cogitabat sedulò, nisi eum Deus, vt piè credimus, in cælitum collegium cooptasset. Illius mors nostram caussam grauiter afflixit, aduersariis in sententia atque peruicacia persistentibus. nec defuerũt qui populum sollicitarent, ac palàm famosos libellos exponerent, donec nostris necessitatem imposuere, vt scriptis veritatem contra calumniam defenderent. Cæterùm intestinis odiis magis in dies gliscentibus visum est R. P. Generali cedere tantisper tempori, nostrosq; reuocare. iam ad discessum erant omnia comparata, cùm amici subito dolore perculsi palàm conqueri, virgines ac matronæ nulla sexus ac conditionis habita ratione cateruatim in publicum prodire cùm lachrymis atque lamentis; viri magnæ auctoritatis ostiatim domos obire, vt eos in album singillatim referrẽt, quibus Societas in vrbe placeret. Nostri cùm temperare lachrymis non possent suis, aliorũ tamen lachrymas præ obedientia contemnebant, primarij ciues contrà resistere, ædes seruare ne pedem efferrent, rogare etiam atque etiam, & obsecrare per amorem filij Dei ne se desererent, nec repentè in ipso gerendarum rerum articulo, quos ad pie-

 tatem

tatem erudire cœperāt, eorum animos derelictos esse paterentur. vno verbo, tamdiu sermones seruerūt, donec misso nuncio nauigium iussum esse soluere relatum est. His de rebus certior per litteras factus R.P. Generalis, morem gessit pietati bonorum, nostrosque diutiùs Niciensibus concessit. Itaque res paulo meliori conditione fuere, nec obstructum iter est ad salutem proximorū. Conciones variis oratoriis habitæ, & exhortationes sextis quibusque feriis ad scholas publicas. Officia conscientiæ declarata, institutus Sacramentorum vsus, cùm priùs confessionis & communionis in Paschate dumtaxat mysteria celebrarentur. Adolescentes ad religiosam vitam permoti. puellæ à nuptiis abstinere persuasę, nouo in his locis exemplo; vt, nisi monasterij copia deesset, vti breui non defuturam speramus, haud exiguus Christo numerus in religiosa familia nomen daret. Par coniugum vna consensione continentiam vouit. initæ paces, & confessiones generales quamplurimæ. Doctrinam Christianam ab vno è nostris, ante annos 12. qui per Quadragesimam conciones habuerat, ritè fundatam, negligentia, vt assolet, iam penè dissoluerat. ea nunc postliminio reuocata est, & piscatoribus atque agricolis bis intra hebdomadam in publico foro explicata non sine maxima vtilitate; fremente licet atque furente diabolo, qui neque paucas, neque leues molestias exhibuit, hominesque induxit, qui contra nos agere quærerent iudicio. Magna vis librorum vel hæreticis vel magicis superstitionibus deprauatorum combusta. Hæretici & apostata vnus, qui desciuerat ad Turcas, Ecclesiæ reconciliati. Quidam cùm fluctibus atrocissimè iactaretur in salo timuit ne tempestatem, quos secum aduexerat librorum impietas excitasset. itaq; dolore plenus

&

& metu libros extemplò abiicit in mare; cùm subitò remittentibus ventis pelagus ad tranquillitatem rediit. Octo mulieres peccandi licentiam reliquerunt. Christiana virgo Hebræorum seruitio subtracta. VI. Non. Octobris 1600. Narbonenses Galli per noctem magnis viribus vrbem adorti sunt, eamque expugnare conati. ciues omnes atque adeò Ecclesiastici, feminis ac virginibus in tutum receptis, pro mœnibus excubabant vt hostem repellerent. hoc etiam ipso tempore nostri suam industriam charitatemque probarunt; diu noctuque vrbem ac muros obiere, singulos ad Christianam fidem semper tuendam, ad æternæ vitæ cogitationem, ad crimina detestanda cohortati sunt. Ex quibus omnibus illud assecuti sumus, vt modò maximam partem mente mutata veniant ad nostros tum confessionis, tum consilij caussa: neque beneuolentiam tantùm, sed etiam beneficentiã magis augeant in dies ac magis. Excursum item in vicina opida, & omnia præstita, quæ præstari solent à nostris hominibus, vel possunt. Inter cætera abstinentiam non satis mirari poterant opidani; quid esset caussæ quamobrem pro tot tantisque laboribus ne teruncium quidem vellemus admittere. Tantum potest ad sanctitatis opinionem, & proximorum vtilitatem earum rerum quas suspicere mortales solent despicientia. Quod sequitur priùs fortasse dicendum fuerat, sed vltimo loco positum magis hærebit in mente. Dux Sabaudiæ suam illam prolixam erga nos beneuolentiam atque liberalitatem nouis quotidie patefacit argumentis. Ille cùm de Niciensium contra nos tumultu rescisset, misit qui eos de Societatis instituto doceret, & suam erga nos significaret voluntatem. Ille à R.P. Generali Collegium non magnopere postu-

lauit folùm, fed etiam impetrauit. ille iniquiores Nicienſium conditiones perfregit, eoſq; P. Prouincialis arbitrio ſtare iuſſit; ille denique oportunum locum habitationi, atque extruendo Collegio nobis non petentibus liberaliter dono dedit.

Miſſio Ticinenſis.

TICINVM eſt vrbs Iuris hodie prudentiæ ſtudiis, olim etiam Gallorum clade nobilis. à flumine Ticino alluente mœnia nomen accepit, vulgò Papiam nominant; ciuium frequentia & nobilitate in primis clariſſima. Venerunt huc noſtri primùm 15. Nouemb. accerſitu Illuſtriſſimi D.D. Baſtonij Epiſcopi, & enixè iuuante Præpoſito S. Donati. Miſſus eſt initio P. Carolus Regius cum ſocio; deinde etiam duo ſacerdotes cum Coadiutore. Vitam ex piorum liberalitate tolerant, & maximam partem ſumptus ſuppeditat Epiſcopus & Præpoſitus. Habitant interim ad D. Theodori templo ſatis incommodo, quod à ciuium longiùs frequentia diſtet, ſed ſperamus melius aliquando domicilium. hìc interea habitæ conciones pomeridianæ non ſine ciuium concurſu. Concionatus eſt vnus è noſtris in templo maximo feriis Aduentus vſque ad octauum diem Natalitiorum Chriſti incredibili voluptate ciuium. & conſtitit egregiè fructus; plurimi ad rectam viuendi normam conuerſi; confeſſionum autem tanta vis extitit, vt duo ſacerdotes à primo diluculo ad multam vſque diem additis etiam veſpertinis horis, tamen omnibus facere non potuerint ſatis: eorum autem qui generalem confeſſionem totius anteactæ vitæ inſtituerunt præ multitudine numerus iniri non potuit. Conciliati nonnulli eiuſmodi inter ſe odiis diſſidentes, vt aliis alij per operas ac

ſicarios

ficarios machinarentur necem. Famosæ mulieres à peccandi consuetudine abductæ. Illud autem ad memoriam & exemplum insigne fuit; damnauerat pro concione comœdias sacerdos noster: cuius verbis commoti ciues plurimi, qui circulatoribus illis & histrionibus coronam augebant, ab incœpto destiterunt. eoque res adducta, vt ludiones quæstus gratia non imminuti modò, verùm etiam penè detracti ad nostros adierint expostulandi caussa, cùm pro comœdiis acerrimè idq; ingenti clamore disputarent, ac dicerent sibi vnde viuerent surripi, ideoque de discessione cogitandum. Mantuam igitur secundo fluuio cùm nauigarent, nauicula qua vehebantur in scopulũ adeò vehementer impegit, vt immani hiatu fatiscente carina aquam admiserit. Illi autẽ rebus magnam partẽ amissis de vita periclitabantur, nisi aliquot nauigia diuino beneficio præstò fuissent. Inuisuntur nostri à primariis ciuibus tam sæcularibus, quàm Ecclesiasticis: vocantur ad ægrotos. Doctrinæ Christianæ iacta iam optima fundamenta in nostro templo, vt quanquam longinquitas frequẽtiæ debere videatur obsistere, lætos tamen ac vberes speremus diuinæ gloriæ prouentus.

Missio Intimeliensis.

INTIMELIVM vrbs est Genuensi Reip. subiecta ad Rutubam flumen in extremis finibus Liguriæ. Huius vrbis Episcopus cùm sese nostrorum cupidissimum præbuisset, vnum sacerdotem cum socio impetrauit, vt sacris temporibus Aduentus conciones haberet, ac cætera obiret Societatis munera. Excepti sunt ambo non ab Episcopo solùm, sed à primariis etiam ciuibus summa cum humanitate atq; significatione lætitiæ. adeò pro-

batus eſt concionator, vt ter ſingulis hebdomadis habendæ fuerint conciones, toties veſpertinis horis familiariter diuinis de rebus verba facienda conuenientibus diebus Dominicis atque feſtis in ſummum templum Sodalibus, quos vocant diſciplinantium. Præterea pomeridiano tempore data eſt opera Chriſtianæ doctrinæ rudimentis, & ſecundùm veſpertinas horas alteri concioni: quibus laboribus ſuus reſpondit fructus tum in confeſſionibus, tum extra confeſsiones. ex quibus illud non videtur omittendũ, depoſitas eſſe ſimultates inter Epiſcopum & vrbis Præfectum. Cùm de alio viro ex primoribus cum eodem Epiſcopo conciliando ageretur, Epiſcopum ipſum Deus ex hac vita mortali vocauit (vt ſperamus) in cælum. Conuenerunt ad funus ex omnibus circumcirca locis Parochi, cæterique ſacerdotes ac religioſi viri quamplurimi. Sacerdoti noſtro demandatum eſt, vt haberet orationem funebrem in demortui laudem. Expletis feriis ſacri Aduentus excurſum in alia opida finitima, non ſine magno incolarum bono: qui non ſacerdotem dumtaxat, quoad licuit, apud ſe habere voluerunt, ſed & verbis & promiſsis liberalibus cupiditatem Collegij, cuius vterentur operâ, præ ſe tulerunt.

PRO-

PROVINCIA VENETA.



ABVIT hoc anno prouincia Veneta Socios omnino 376. Venetiis in Professorum Domo 39. Patauij in Collegio 36. In Nouitiatu 48. Brixiæ 30. Bononiç 28. Parmæ 42. Nouellariæ 29. Veronæ 20. Mantuæ 19. Ferrariæ 24. Placentiæ 22. Mutinæ & in Foro Liuij quaterni deni. In Resid̃etia Forocorneliensi, Vicentina, Cretensi quaterni. Migrarunt è vita sex. allecti in Societatem 29. Calcar ad perfectionem ex vocationis nostræ instituto addidit non exiguum visitatio prouinciæ iussu P.N. Generalis facta hoc anno à P. Ioan. Francisco Vipera.

Domus Professa Veneta.

ANNALIBVS hinc digna multa. Frequentatur templum, confessiones crebræ, incumbunt nostri diligenter. Itum ad multa sacrarum virginum monasteria, auditæ patienter & magno cum fructu. Animarum facta commutatio in permultis eiusmodi, vt, cùm antea Iesuitarum nomen ferre vix possent, nunc sibi ex iis confessarium bene crebrò deposcant. Cælibatum aliquot amplexę puellæ propriis in ædibus castitatis propositum vrgent magno animo & exemplo. A complurium annorum concubinatu nonnulli ad legitimas nuptias traducti. Quidam annos amplius quinque concubinam domi cùm haberet, binosque ex ea liberos; toto illo tempore sacerdote nostro identidem monente, hortante, obsecrante, vt eam aut

miſſam faceret, aut vxorem duceret; tandem bene monenti paruit, & illicitos amplexus cum matrimonio commutauit. vix Deum reſpicere homo cœpit, cùm illum reſpexit Deus, & in cæleſtem patriam euocauit. Honeſtus adoleſcens cum improbis quibuſdam & conſceleratis hominibus conſuetudinem habere, & paulatim furta facere, latrocinia agitare, cædes etiam audere cœperat. Id vbi eſt reſcitum, vnius è noſtris litteris ab illo improborum conſortio ad meliorem frugem reuocatus frequenti peccatorum confeſſione & Euchariſtia contra dæmonis inſidias ſeſe muniens, laudabiliter ac piè viuendi rationem auidè eſt amplexus. Alij permulti ex libidinis, aliorumque vitiorum cœno feliciter extracti. Meretrices aliquot cùm in eo vrbis loco domicilia collocaſſent, quà non ſine dolore ac pudore tranſire honeſti viri ad noſtrum itantes templum poterant; noſtrorum operâ inde expulſæ, ac longiùs ſummotæ. Patricius quidam ducta in matrimonium puella non ignobili illa quidem, ſed tamen paupere, parentem ſuum, contra cuius id fecerat voluntatem, veritus, cum illa profugerat. is vbi conſumpta paulatim, quam domo ſecum extulerat, pecunia, premi inopia cœpit, venenum temperare & ſibi ſtatuit & vxori; quòd ſibi perſuaſerat honori & exiſtimationi ſuæ conſulere ſe hac maximè ratione poſſe, & huius delicti paratam à Deo veniam fore. Incidit in ſacerdotẽ ex noſtris, conſilium ſuum aperit, docetur diligenter cùm de cogitati ſceleris grauitate, tum de certo vt corporis, tum etiam animæ exitio. Saluberrima pij patris oratio tantum apud miſerum, & mori iam certum valuit, vt mutata mente atque abiecto veneno multis cum lachrymis gratias homini ageret, vitamque ſe illi atque animæ ſalutem debere teſtaretur.

ſtaretur. Matrimonia cōtra leges aliqui, & in gradibus illicitis contraxerant, inque iis multos annos vixerant; perfectum à noſtris vt legibus pontificia auctoritate ſoluti eaſdem vxores retinere ſine peccato poſſent, & initæ quæ fuerant nuptiæ, ratæ iam vt haberentur.

Collegium Patauinum.

NONNIHIL funeſtus Collegio noſtro hic annus morte trium Fratrum: ex quibus Scipio Vimercatus nobilis adoleſcens, quanquam tertium ab ingreſſu Societatis annum vix abſoluerat; eos tamen in veræ pietatis atque omnium virtutum curſu progreſſus habebat, vt multos non modò ſuæ ætatis tirones, ſed etiam grandæuos ac veteranos Chriſti milites longo poſt ſe interuallo relinqueret. Atque eum talem breui fore iudicabant ipſa religioſæ vitæ principia. Poſtquam enim vocante Chriſto in hanc militiam dare nomen decreuit, atque ad noſtra ſigna accedere; ita ſe ipſe abnegauit, ita ſe ſuaque omnia reliquit, vt omnem ſui ſuorumque amorem ad vnum Chriſtum tranſtuliſſe, illum vnum cogitare, in illo vno conquieſcere facilè cerneres. Illius igitur ad imitationem cùm ſe totum compoſuiſſet, nihil iam ex huius vitæ commodis amare aut appetere, paupertatis eſſe amantiſſimus, veſte gaudere attrita, vili, lacera; elegantiore, niſi iuſſus, nunquam vti; de pane oſtiatim mendicando ſæpe agere cum Rectore; tanto ſui contemptu, vt ſe infra omnes infimos deprimeret; tanta vitæ innocentia, vt confeſſionibus vix vnquam materia ſuppeteret abſolutionis. Hæc tanta adoleſcentis in nouo homine formando alacritas, & pietatis ardor, incredibile dictu eſt quantum habuerit momenti ad connouitios

uitios animandos, & ad veræ pietatis ſtudium excitandos. Nam, cùm & propter morum ſuauitatem, & ardentem in omnes charitatem, impensè eum omnes amarent, multumque cum eo ac libenter eſſent; diuturna conſuetudine ac multa familiaritate factum eſt, vt, cuius ingenio ac moribus mirificè gaudebant, & in quem, velut in perfectiſſimum veri nouitij exemplar, intuebantur, in ipſius vitæ ſimilitudinem paulatim non ſine magna Superioris voluptate tranſirent. Et quoniam nouos Chriſti milites ille eſſe quàm optimos cupiebat, ita cum iis perpetuò vixit, vt in ipſo quod reprehenderet, nemo; quod laudarent atque imitarentur, haberent omnes. Verbum otioſum ex illius ore poſtquam Societatem eſt ingreſſus, aut nunquam excidit, aut perquam rarò: patriæ, parentum, conſanguineorum nulla vnquā mentio, niſi re ita cogente. in ipſo Societatis ingreſſu illud precatus à Deo eſt, vt niſi Societatem in patria videret, patriam ipſe nunquam videret. Aliam videlicet ille patriam ſpectabat, alios ciues, alios amicos: atque huc, quoniam imbiberat ieiuniis, orationibus, caſtigatione corporis faciliùs peruenire ſe poſſe; tanto ſtudio atque ardore ea eſt amplexus, vt ne valetudinis quidem periculo quidquam de iis remitteret, aut omnino temperare ſibi potuerit. Tulit magnum ſuæ pietatis fructum. Cùm enim lenta febricula, qua paulatim contabuit, lecto eum affixiſſet, iamq; ex perpetua multorum menſium cubandi neceſſitate totum condoluiſſet corpus; in tam longo moleſtoq; morbo ita ad omnem patientiam à Deo eſt animatus, non modò vt nihil vnquam vlla de re quereretur, verùm etiam vt grauiores cruciatus ferre paratum ſe diceret, ſi ad Dei gloriam id conducere videretur. Quamdiu ægrotauit (ægrotauit autem diu)

diu) nullus illi iucundior vnquam ſermo, quàm de Deo, nulla gratior lectio, quàm eorum librorum, qui vel ad pietatem valerent, vel cæleſtium rerum amorem excitarent. Aſſidebat ægrotanti frequens magiſter eius in humanioribus, & ex pijs ſcriptoribus petenti ea legebat, quæ & tempori maximè conuenirent & perſonæ. Sub vitæ finem rogauit eum adoleſcens, vt Dominicę paſſionis hiſtoriam per partes ſibi legere ne grauaretur. Datum hoc ei libenter, atque ita, vt ipſius arbitrio permitteretur quantum ſibi legi quotidie vellet. Cùm lectio à Matthæo cœpta per omnes Euangeliſtas ita duceretur, vt complures dies in primo, complures in ſecundo, complures in tertio ponerentur & quarto; ita attemperatè vltimi Euangeliſtæ vltima pars in vltimum vitæ diem incidit, vt iam tum ab initio, quantum ſibi ad mortem ſpatij ſupereſſet præſciſſe, & pro dierum ratione, partium quoque ſtatuiſſe modum videretur. Quo die viaticum ſumpſit, animaduerſum eſt tanto eius animum gaudio perfundi, vt manantibus lachrymis celare iam ipſe non poſſet, & cæleſtis vitæ arrham ei à Chriſto datam, facilè appareret. Aduentante iam morte, dici non poteſt quanta in illo vultus ſerenitas, quanta animi conſtantia & tranquillitas. Iacebat compoſitis in crucis formam brachiis, dulciſſima IESV ac MARIÆ nomina creberrimè vſurpans. cumque in Redemptoris pendentis in ligno effigiem aliquoties oculos coniecisſet, iiſq; mox clauſis, totoque corpore immoto, vel mortui iam, vel ſopiti ſomno ſpeciem aliquantiſper præbuiſſet; repentè veluti excitatus, & Chriſtum præſentem cernens, Libera (inquit) animã meam; cedo enim iam, nec diutiùs reſiſto aut fero. Quo dicto placidè & quietè ſtatim in Domino obdormiuit. Hanc acerbitatem & triſtitiam fuere quæ

tempe-

temperarent, non pauca, Congregationum fructus, maximè Transalpinorum, doctrinæ Christianæ incrementa, frequentes & publicæ de ea disputationes, vt solemni apparatu, ita cum incredibili Episcopi gaudio, vt ipse affirmaret vix tenere se lacrymas potuisse. Duo ingeniosi adolescentes exercitiis spiritualibus exculti, qui & in Societatem postea recepti. Mulierculæ aliquot flagitiosæ atque impudicæ ad æternæ salutis curam, & melioris vitæ studium excitatæ. Hebræorum Rabinus, magni vir & ingenij & nominis, ab natiua suorum perfidia ad Christi fidem cum quaternis liberis traductus; cùm priùs domi nostræ diu Christianæ doctrinæ moribus, petente Episcopo & Canonicis, probè institutus esset, & cum ingenti totius ciuitatis gaudio in summa æde summa celebritate baptizatus. Inter liberos, virgo erat nubilis honesta facie ac liberali. Voluit hanc Prætor, flagitantibus id Iudæis, de mutandæ fidei voluntate interrogare. Aderant ex altera parte Iudæi, ex altera Christiani. Illa ad hos cùm se recepisset, conuersa ad illos, primùm salutari se muniit signo (idque, vt ipsa affirmauit, ea gratia, ne quid sibi suæ gentis, quæ bonam mentem ipsi inuiderent, præstigiæ nocerent.) Deinde iudaismum detestata, Christianam se esse velle clara voce testata est. Perspecta puellæ fide ac voluntate Prætor gauisus est vehementer, eaquê collaudata, sibi illam filiæ loco esse iussit; se illi paraturum maritum, se numeraturum dotem. At illa, Ego verò (inquit) mi pater istum animum libenter accipio, de nuptiis ac dote totum remitto; quando sponsum mihi ego iam delegi Christum. atque hæc verba paucis pòst diebus re comprobauit, inter Christo sacratas virgines perpetuam castitatem amplexa. Consentiente P.N.Generali tra-

traductus est nouitiatus Nouellaria Patauium, vt infrà dicetur, itaque dispofita habitatio Patauina atque partita, vt quamquam eodem domicilio vtantur Theologi nostri & nouitij; nulla tamen fit inter eos communicatio aut consuetudo: atque vt vix paulo plus quàm viginti Nouellariæ nouitij ali poterant, Patauij nunc fermè quinquaginta sustentantur, magno, vt speramus, in posterum totius prouinciæ bono.

Collegium Brixiense.

MAGNA hoc anno Collegio nostro tranquillitas, & non contemnendum in omnibus nostris vitæ ad Societatis normam dirigendæ studium: sacerdotes, magistri, scholastici, Coadiutores strenuè in suo quisque munere versati. Doctrinæ Christianæ cuiusmodi ratio sit, vel hinc intelligas, quòd in eam ex prima nobilitate viri ac feminæ pari studio incumbant. Docentium industriæ discentium respondet alacritas & profectus. Repertę puellę infra quartum ætatis annum, quæ mutuis interrogationibus, publicè præposito præmio, ita se exercerent, vt pariter appareret & ingenij bonitas, & memoriæ firmitas, & piæ institutionis amor. Factum hoc à puellis etiam nubilibus, inter quas duę ex illustri vtraque familia tanta cum vincendi cupiditate, ac simplicis animi significatione, vt magnam afferrēt omnibus cùm voluptatem, tum admirationem. Vtiliter etiam posita à nostris opera cùm in sacrarum virginum confessionibus, carceribus, nosocomiis, aliisque locis piis, tum maximè in templo nostro. virgines aliquot rebus humanis nuntio remisso, monasticam vitam amplexæ, aliæ apud suos castitatem Christo perpetuam dicarunt. Famosa

HH quædam

quædam mulier, quam ob laſciuum corporis ornatum vulgò mimam dictitabant, mariti precibus, vt ad noſtras conciones accederet, fruſtra diu fatigata; tandem importunitate victa, cùm acceſſiſſet, adeò delenita eſt ac permota, vt ſtatim cogitare de deligendo ſibi ex noſtro Ordine, de quo malè antè, & loquebatur, & ſentiebat, confeſſario cœperit. Qua in cogitatione cùm dies ampliùs quindecim, nihil aliud quam nimiam ſeueritatem (ita enim ſibi animo finxerat) verita fluctuaſſet, tandem diuina ope adiuta ſe ipſa confirmat, ſacerdotem adit, peccata aperit. Senſit illa ſtatim pietatis igniculos: quibus paulatim excitatis breui temporis ſpatio adeò eſt inflammata, vt totius anteactæ vitæ criminibus diligentiſſima confeſſione detectis ac purgatis, tota iã veluti alia facta in ſalutis ſuæ ſtudium incumberet, & in amorem Ieſu Chriſti raperetur. Poſiti igitur extemplò amethyſti cæteræque gemmæ; poſita monilia, inaures, armillæ, poſita totius corporis ornamenta: pro ſerico iam in deliciis illi eſſe lana, eaque vulgaris, pro pretioſo elegantiſſimi operis, quo gaudere ſolita, colobio, lineum geſtare ad collum & humeros velum; nuncupato etiam voto hoc tam vili neglectoque habitu ſe vſuram per omnem vitam. Inuidere illico mulieri in tam ſalubri conſilio dæmon, pietatis ſemina ne adoleſcant, turbare eius animum ac labefactare variis tentationibus aggreditur; ſed nequidquam. Perſiſtit in ſancto propoſito illa, hoſtemque vincit, ea ratione maximè, quòd à confeſſarij conſilio nunquam ne latum quidem vnguem recedat. Tota nunc eſt in quærenda virtute, in rerum ſpiritualium ſtudio, & contemptu domitura carnem, ſi per confeſſarium liceat, quotidie flagellis, cilicio, ieiunio, ſtibadio, ſeparatione tori. Nullum intermittit diem

feſtum,

festum, quin cælesti pane se reficiat. Christianæ fidei elementa diligentissimè atque optimè docet; multas iam feminas suo exemplo & oratione nostrum in templum confessionis ergò adduxit; in iis impudicæ vitæ quandam, quæ relicta amasij, à quo alebatur, consuetudine, apud piam quandam mulierem nunc vilissima in veste, ieiuniis, orationibus, lacrymis, diuerberatione corporis propitiare sibi Deum tota mente insistit. Quidam honesto loco natus cùm confessione aliquot annos abstinuisset; sacerdotis nostri operâ, apud quem de totius vitæ peccatis est confessus, adeò ad lenitatem flecti, ac respicere se ipse cœpit, non modò vt inimicis libenter ignoscere, sed etiam magnam pecuniæ summam restituere nihil recusarit; illud etiam confirmans paratum se esse quidquid habeat tradere, modò animæ atque æternæ saluti consulatur. Insignis verò alterius cuiusdam pietas, & animas Christo adiungendi studium. Hic cùm puer olim nostra frequentans gymnasia præceptorem audisset de B. Mariæ Magdalenæ laudibus disserentem; adeò in illius amorem exarsit, vt adultus iam, & sacerdos Massiliam atque ea loca, quæ illius vestigiis impressa, & angelicæ vitæ ratione nobilitata & consecrata sunt, omnino sibi adeunda, pieque veneranda existimarit. Hinc Bergomum ad suos reuersus toto animo ad reuocandas à turpitudine meretrices se conuertit. Congregatis igitur in quodam templo principum virorum auctoritate compluribus, adeò ardenter eas per mensem integrum singulis diebus ad Magdalenæ imitationem est cohortatus, vt ab impudicissimi corporis quæstu ad castitatis & Christianæ vitæ cultum septem iam traduxerit, vndecim aliæ eiusdem oratione permotæ, non longè ab hoc consilio abesse videantur. Hanc ille

mentem, & hunc pietatis fructum maximè secundùm Deum, nostrorum hominum cohortationibus, ac piæ institutioni libenter acceptum refert. In domo hospitali excepta à nostro sacerdote confessio adolescentis, qui quartum & vicesimum ætatis agens annum, nunquam tamẽ antea erat confessus, nunquam ad sacram synaxim accesserat. In publico carcere auditi complures, quorum alij sex, alij septem, alij etiam decem annos confessione abstinuerant. Reperti ibidem ægroti, qui, nisi accessissent eò nostri, morituri fuerunt absque confessione, vti mortui sunt sine Eucharistia & sacra Vnctione. In fide etiam nonnemo, in qua diu summo cum periculo nutauerat, confirmatus, & ad orationis confessionisq; vsum multos annos intermissum (eò quòd de diuina prouidentia, de dæmonibus atque inferis, de gehenna cæterisque rebus eiusmodi vehementer dubitaret) ita reuocatus, vt se ipse iam vlcisci cogitet, & perniciosum errorem Capucinæ vitæ austeritate corrigere se velle dicat. Gymnasia sunt frequentia cum reliqua omnia, tum maximè Logicæ. Ea cùm est legi cœpta, discipuli fuere ad centum sexaginta, plures etiam futuri, si plures capere locus potuisset: pauculis ex eo numero delapsis, reliqui adhuc acriter incumbunt. De Congregationibus B. Virginis vtraque satis copiosa. Egregia adolescentulorum indoles, magnũ Christianæ perfectionis studium: ex iis eodem penè tempore septem facti Capucini, duo in nostrum Ordinem cooptati, alij in alias Religiosorum hominum familias se aggregarunt. Et quoniam ad sanctissimæ Matris patrocinium quotidie confugiunt plures, ad superiores duas addita est hoc anno tertia, seminarium videlicet futura illis. Congregationum numerum æquare etiam oratoria

toria cœperunt. Ex iis vnum sacerdotum, alterum inferioris ordinis clericorum, tertium nobiliorum ciuium. De omnibus magna spes atque expectatio, sed maximè de primo, quò concurrit quidquid est alicuius pretij in tota ciuitate.

Collegium Bononiense.

Etsi in Collegio hoc Socij minùs triginta habitarunt, adeò tamen frequentes alios è nostris habuimus, dum vltro citroque commeant, vt aliquando vno mense ducenti nobiscum suis quisque diebus vixerint. Et verò hic annus aduentu P. Visitatoris, qui hîc duos menses hæsit integros, & diuturniore apud nos duorum Prouincialium alterius alteri succedentium commoratione, non vnum huic Collegio peperit bonum. Vna cohortatione, nostri quidquid apud se rerum piarum superioribus annis permissu sanctę Obedientię collectum habebant, vno animo omnes attulerunt, ea maximè B.P.N.Ignatij sententia permoti: *Quanto quisque erga Deum erit liberalior, tanto liberaliorem erga se ipse experietur Deum.* Rependit igitur vicem bonus Dominus, qui plurimos ad templum nostrum expiandos, adolescentes autem nobiles ad scholas, neq; verò paucos ad Societatem, plures etiam ad exercitia nostra spiritualia, tum in Collegio, tum foris peragenda adduxit. Ex duodeuiginti, qui Societatem poscebant, quatuor primi admissi. Eorum vnus patrem, cui erat vnicus, impulit, Deo ipsum vt libenter offerret; id quod factum, non sine lacrymis: reliqui tres vocantem Deum secuti statim, strenuè se gesserunt. Parentes, quibus inscijs atque inconsultis id acciderat, re cognita, dolore permoti, Nouellariam, quò profectos au-

dierant, cùm contendissent, à filiis egregiè ad pietatem animati reuerterunt. Et vnus eorum, à quo magis metuebatur, vti viro potente ac nobili, Bononiam vbi venit, eo ipso in cubiculo, vbi filius rerum cælestium commentationibus piè vacarat, generali confessione se expians, filium denique alterum, & fratris filium excolendos in nostris scholis tradidit. Memorabile etiam in eo, qui filium vnicum obtulerat, illud est, quòd cùm & ipse filium iam nouitium visisset, quasi nouo spiritu afflatus, exclamans inquit, Vidi, vidi castra Dei: vtinam mihi vxor non esset! nam & ipse ad vos confugerem, vt me vnà cum filio salutis æternæ præceptis imbueretis. Cæterùm aliis data spe admissionis ea est cura, non modò vt se ipsi seruent, sed vt variis pietatis operibus addicti, scholasticos nostrarum classium, & alios quoscunque possint, ad meliorem adducant frugem. Est inter illos clericus annum agens decimumquintum, cuius ingenium ac diuinæ voluntatis cognoscendæ studium ex ipsius litteris, quas ad P. Rectorem dedit, intelligi potuit. In iis erat, cùm quodam die Sanctissimam Eucharistiam nostro in templo sumpsisset, iniectam sibi esse diuinitus religiosæ disciplinæ cupiditatem, ac potissimùm Societatis; de qua quoniam statuere ipse nõ potuerit, diffisum ingenio suo, à Deo quærendum & petendum consilium putasse, flagris, ieiuniis, precibus demerenda sibi illius voluntate. Diuerberaui igitur me (inquit) manè tantisper, dum psalmus *Miserere* bis, vesperi, dum ter recitari facilè potuerit, idque per dies quindecim; ieiunaui in honorem Beatissimæ Virginis diebus sabbati item quindecim; Officium Spiritus sancti recitaui integro mense. Addit deinde alia sanè magna pietatis indicia, duos integros tria & triginta templi B. Stephani

phani (quod à S. Petronio olim extructum) altaria se visitasse, ad quæ etiamnum adeat quotidie; singulis diebus festis ad sacram synaxim accessisse, eam consuetudinem sibi manere; adiunxisse alia opera pia, aliasque precationes vnum id agentem, vt in deligendo vitæ genere voluntatem ei Deus significaret suam. Hæc omnia dum fecerit, auctũ esse in se quotidie desiderium Societatis, & quidem adeò, vt sibi temperare, quin illud nostris apetiret, nulla ratione potuerit. Nunc, vt tu scias, inquit, Pater, si aut tua aut aliorum Superiorum culpa acciderit, vt impediar quominùs exequi diuinam voluntatem possim, hoc te monitum & Superiores volo, huius rei atque incommodi te atque illos Deo reddituros esse aliquando rationem. Viget enim in me animus ita promptus atque alacer, vt quamuis mihi vel millies singulis horis esset moriendum, velim tamen in vestram Societatẽ, si per vos liceat, admitti. Quamobrem te per viscera misericordiæ Iesu Christi benedicti, mi Pater, oro atque obtestor, vt meam caussam suscipias, atque ita agas, vt ab aliis suscipi agique tuam olim, cùm eadem tibi iniecta mens esset, ipse cupiebas. Vale, ac tuis precibus Deum mihi propitium redde. Hæc ille Italicè, sed suo marte. Manet in voluntate bonus adolescens, & in dies excitatur magis alacriter expectans Piscinæ motum. Messis quidem hîc est tanta, speraıe vt audeamus etiamsi aliunde ad Nouitiatum alij nulli mitterentur, ex hoc tamẽ Collegio ferè eum posse suppleri. Nam & Bononienses nostro instituto apti, & iam multos Societati operarios non ita multorum annorum spatio dederunt. Porrò quod ad spiritualia pertinet exercitia, hæc & nostris & cœnobitis & nobilibus adolescentibus, qui publicam academiam frequentant, non sine fructu tra-

dita. Sacerdotes nostri propè omnes post alium alius in ea per dies quindecim se abdidere, rationem, qua B.P.Ignatius ea tradere solitus accuratè secuti. In religiosæ cuiusdam familiæ nouitiatum eadem impensa est cura, cùm id à nostro Rectore Cardinalis, qui eius Ordinis vniuersi est protector, per litteras, & suas, & R.P.N.Generalis magnopere contẽdisset. Sed & Generalis alius, qui alium Ordinem ducit, idem effecit. Viginti enim quinque diebus in eandem rem vnà cum socio collatis, mox ad visitandá suorum tota Italia loca dedit se in viam tanto pręsidio munitus. Tam verò altè in illius pectus earum meditationum spiritus descẽdit, quàm haud scio an vlli vnquam nouitio. Nam & industriis P. N. Generalis perpendendis totum se addixit, & ex eiusdem epistolis de renouatione spiritus, ac de perfectione capita, quæ ad informandos suæ disciplinæ homines pertinebant, studiosè excerpsit. Viri præterea illustres, & litterarum studiosi adolescentes, nec non sacerdotes, vt interim de lectissima taceam matrona, tantum huius studij in se fructum experti, libenter etiam alios ad nouum hoc armorum genus commemoranda iis vtilitate accenderunt. Hisce iam actis superuenit spectatæ vir pietatis atque auctoritatis, cui & ipsi spiritualia exercitia fermè per mensem sunt tradita, ac deinceps industriæ P.N.Generalis cõmunicatæ: quo vtroque præsidio Ordinem suum promouere mirificè pergit. Augustinus hic est Caruaialius Augustiniani Ordinis Theologus Hispanus, qui cùm & Indiam Occidentis peragrasset, & in Hispania variis muneribus functus esset, Italiæ quoque cœnobia sui Ordinis Assistens pro Hispanicis prouinciis à summo Pontifice delectus, visitasset, Bononiam denique ab eodem Pontifice Visitator

Aposto-

Apoſtolicus miſſus eſt ad D. Iacobi cœnobium in veterem diſciplinam reſtituendum. In hoc tanquam inſigni tanti Ordinis ſeminario tam nouitiorum, quàm litterarum ſtudia colentium ipſe inſtructus Societatis armis, vbi exercitia abſoluit, remotis quibuſdam obicibus, ſtatim ea magiſtro nouitiorum tradidit, vt per hunc deinceps nouitij excolantur; in reliquos autem idem eo libétiùs deriuaturus, quo ipſe aut ægriùs caruit, aut diutiùs quæſiuit, aut ſeriùs inuenit. Teſtatus eſt nobis hoc ipſe, ſe quamdiu in Religione vixerit, rationem aliquam, qua rectiſſimè incederet ſemper optaſſe, fruſtraque tamdiu quæſitam, nunc demum, cùm in hæc B.P. Ignatij incidit, inueniſſe. Quæ quidem ille auidiſſimè hauſta, atque in intimum pectus demiſſa tanti facit, vt in iis verè diuinum ineſſe aliquid apertè dicat. E Collegio nunc in templum. Præter pœnitentium frequentes confeſſiones, quibus excipiendis operam dant continenter ſacerdotes octo ordinarij (extraordinariis laboribus ſuppetias ferunt etiam reliqui) præterque conciones toto anno, præcipuè autem in Quadrageſima habitas, quibus vtriuſque ſexus complures ad bonam frugem cõuerſi, & ablegata vitæ turpitudine, cõſtanter pietatẽ retinent; etiam Bacchanalium tẽpore, quo & Sanctiſſima Euchariſtia per triduum Quadrageſimæ proximum expoſita eſt, ac feria quinta præcedente, qua ſumi à frequentiſſimo populo ſolet, tanta ad nos cõuenit multitudo, vt illa vna die ab vno è noſtris, qui & in ipſo ſacro ad altare ſermonem illo de myſterio habuit, diuina dape paſti ſint circiter octingenti. reliquo etiam triduo à prima luce vſque ad multam noctem idem noſtrum templum eadem frequentia celebrauit. Et in templo quidem hæc. Præterea feſtis diebus nunquam intermittitur nec

matutinus ſermo ad Sodalitatem Perſeuerantiæ, nec doctrina Chriſtiana ad meridiem: qua partim in ſacello parœciæ (hoc in templo eſt clathris interſeptum) puellæ ad centum, partim in templo pueri totidem imbuuntur; nec veſpertinus cœtus nobilium, & præfectorum & magiſtrorum omnium eiuſdem doctrinæ. Hi diebus Dominicis in publico conuentu poſtquam expoſuerunt quod quiſque geſſit, excipiente id ſcriba actumque eſt iis de rebus, quæ ad opus hoc totum conſeruandum atque augendum pertinent; breuis ad eos à Patre ſpirituali concio habetur, qua animati, & rationem meditandi per hebdomadam edocti diſcedunt, in ſua quiſque vrbis regione reliquum populum exemplo & verbo, vbicunque ſe occaſio obtulerit, inſtructuri. Aliis etiam diebus feſtis præter Dominicos conueniunt quidem iidem, & eodem tempore; ſed collationes ſolùm habentur iis de rebus, quæ ab eodem Patre fuerint propoſitæ. Ita fit, vt ipſi diſcere ea, quæ maximè volunt, & alios inſtituere in ſua quiſque ſchola faciliùs poſſint. Sunt autem ſcholæ Chriſtianæ doctrinæ in hac vrbe quadragintaſeptem: eas omnes noſtri & conſilio regunt, & diligenter inuiſunt, & magiſtros iiſdem & præfectos parant. Ad ſcholas venio. Vna eſt Caſuum conſcientiæ, & in ea auditores ferè centum: in claſſibus quatuor inferioribus ad ducentos. Ex his Sodalitates B. Virginis duæ, in quarum vna circiter ſeptuaginta, illuſtrium plerique familiarum. Pietatis in iis non modò ſtudium, ſed etiam ſigna & experimenta. Reperti adoleſcētuli, qui amore in B. Virginem detractos ſibi annulos, & alia etiam chariora ita illi obtulerint, vt nomina tamen ſua diligenter celarint. Sed has ſcholas magnopere illuſtrauit Collegium nobilium prope ædes noſtras hoc anno ad diem reſur-

resurgenti Domino sacram institutum, eo consilio, vt in nostris gymnasiis vnà cum litteris discāt etiam pietatem ac bonos mores. Adsciti etiam in illud ex primariis familiis non modò Bononiensium, sed etiam Venetorum, Veronensium, Vicentinorum nobilissimi adolescentes quadragintaduo; plures idem cogitant. Actæ in eo Collegio aliquot fabulæ, quas nŏster sacerdos studiorum præfectus & scripserat, & docuerat, adeò scitè atque eleganter, vt adolescentulorum ingenia, & actionis venustatem ciuitas admirari potuerit vniuersa. Illud quidem affirmare non dubitauit vir grandæuus, & nobilitate ac scientia æquè clarus, vnicam hanc restituendæ ciuitatis rationem ab respiciente eam Deo per Societatem IESV fuisse institutam. Idem hic ad nostros aliàs, Quæ de Sinarum (inquit) populis atque Indis afferuntur magna quidem sunt & splendida: sed si altiùs Bononienses isti labores vestri pensentur, quis non videat multo vberiores fructus ad vniuersām Christianam Remp. ex hac tanta vinea redundaturos? Præter Collegia sunt hic in propinquo quatuor aliæ scholæ, vbi ab sacerdotibus externis pueri prima docentur elementa, vt nostris magistris tanquam artificibus materiam tradant per se dedolatam, & ea re aptiorem. Interea curatum est sedulò, vt impudicæ mulieres circumquaque ex vicis Collegio nostro proximis eiicerentur. Qua in re maximum Illustrissimi Prolegati studium extitit, vt in omnibus etiam aliis rebus, vbi fuit opus, magna cum voluptate experti sumus. Hæc bona aliis bonis liberaliter diuina bonitas cumulauit. Vtiliter à nostris positus labor in xenodochiis, ad quæ accersimur crebrò; in magna mendicantium domo (octingenti numerantur) in qua doctrina Christiana instituta est; in publicis custo-

custodiis, vnde eductis aliquibus familiæ egentes fuere subleuatę; in pacificationibus plurimis: duabus autem insignioribus, altera Sodalitatis laicorum, quę biennio iam scissa in partes ruebat ad interitum; altera primariorum Academiæ publicæ scholasticorum, qui cum pontificijs equitibus rixati in eum locum rem adduxerant, vt multorum metueretur cædes, ni fuisset itum obuiàm. At hi omnes nostrorum operâ, ad quos erant à Prolegato missi, non solùm pacem composuere, sed ex iis aliqui piis commentationibus exculti generali sese peccatorum confessione expiarunt, atque omnes in templum nostrum ad cōcionem, quam ea de re noster habuit, spectante atque admirante confessum populo, conuenerunt. Suus consistit fructus etiam missionibus. Est apud nos sacerdos linguæ peritus Germanicæ: is Germanos duorum Prolegatorum Bononiensis & Rauennatis, & præterea Ducis etiā Mutinensis stipatores egregiè iuuat. Nam cùm in hac vrbe toto anno id libenter præstet, post Pascha quoque Rauennam & Mutinam eadem de caussa excurrit. Rauennæ igitur præter alia sicarius quidam capite damnatus, cùm sacerdoti nostro, qui diu cum ipso egerat in vinculis, vt resipisceret, totius vitæ peccata confessus esset; nobilissimos viros, quos crimine læsæ maiestatis falsò accusauerat, nominatos publicè omni prorsus suspicione liberauit, mortemque sceleribus suis debitam libens oppetiit. Iucunda ea res ciuitati, nostroq; sacerdoti vt auctori actæ gratiæ diligenter. Ad ædificationem quod pertinet, non magnæ impensæ res, sed tamē non contemnenda. Tēpli sacella inter se facta peruia magno sacerdotū cōmodo: Collegij autē porticus aduersus aëris iniuriam ita clausæ, vt tamē aperiri, cùm videtur, queant. Ea res salubritatem attulisse Collegio visa

Do-

Domus Probationis Nouellarienſis.

NOVELLARIÆ ſunt hæc. Mortuus eſt è noſtris vnus, admiſſus in Societatem alius, Coadiutor Nouellarienſis. In vniuerſum recepti hoc anno, & huc ad nouitiatum miſſi 29. & quoniã tam multos alere Nouellaria non potuit, tranſlatus eſt in Collegium Patauinum nouitiatus circiter Kal. Nouembris: quo ſimul conſultum eſt eiuſdem domus fabricæ reſtituendæ, & perſoluendo æri alieno, quo tenebamur non exiguo, minoreque incommodo rei familiaris, & maximo, vt ſperamus, fructu noſtrorum inſtituta tertij anni probatio ad normam à P. N. Generali præſcriptam. Conſtat ea decem ex noſtris ſacerdotibus, quorum tres cum Patre inſtructore, ſeu magiſtro ex prouincia Mediolanenſi conuenerunt, ex noſtra reliqui. ſed de hac probatione ſequenti anno. Redeo ad nouitiatum. ex iis, qui recepti, litterarum ſunt candidati viginti (in his duo ſacerdotes) domeſticis miniſteriis obeundis nouem. Sacerdotum alter Philoſophus & Theologus, alter Iuriſconſultus. Hic poſt ſeptem annos actitandis cauſſis conſumptos, tutiorem ſalutis viam ingredi cupiens, preſbyterque factus in eorum ſe numerum aggregat, quos de Congregatione Oratorij Romæ appellant. vixit apud pios viros piè ac ſanctè annos quindecim: perſpecta hominis integritate ac virtute, committitur ei ab eadem Congregatione regendæ domus cura. Hîc ille diuino inſtinctu perfectioris vitæ deſiderio ad noſtram Societatem animum appellere, agere de ea re cum noſtris, rogare, atque omnibus precibus contendere, ſe vt admittant. Fit voti compos, mittitur Nouellariam ſtatim, ex veterano Congregationis preſby-

presbytero Societatis nostræ futurus tiro, & qui modò vir viros imperio atque auctoritate regebat sua, nunc veluti adolescentulus inter adolescentes aliorum ipse facturus imperata. Quod ille iam plusquam quadragenarius adeò facit promptè & alacriter, vt nouitiis omnibus non modò obedientiæ, modestiæ, demissionis, sed etiam reliquarum virtutum omnium egregium præbeat exemplum. Est inter scholasticos ex non obscura familia bonæ indolis adolescens, quem patruus non contemnendæ auctoritatis Prælatus ad Ecclesiastica vocabat Beneficia, quæ multa resignare & conferre in ipsum parabat: verùm ille meliore consilio vsus multam salutem Beneficiis ac fortunæ bonis, quæ vocāt, cùm dixisset, tanquam graui excusso onere, Nouellariam alacer ad nouitiatum venit. Mittitur ex consanguineis statim, qui hominem ad suos retrahat. Is vbi venit, agit cum eo de patrui Beneficiis, & agit vehementer, simulq; ostendit familiæ totius exitium, si in hoc religiosæ vitæ proposito persistat; denique omnes adhibet machinas, quibus frangi ac labefactari etiam viri animus posse videatur. sed frustra omnia Ita enim respondit adolescens, vt in tam tenera ætate tantam ingenij maturitatem & constantiam, & miraretur consanguineus, & tentasse iam nollet. Multi ex nouitiis correpti morbo, nonnulli diuturno ac graui; vt nòn defuerit, in quo infirmi documenta darent patientiæ, & sani charitatis. Qui ex nostris obiit scholasticus fuit nouitius Iacobus Sanuictor Veronensis, adolescens vt egregiis animi ornamentis, ita summę etiam expectationis: obiit autem cùm ad integrum nouitiatum vnus solùm ei deesset mensis. Ægrotauit is dies quindecim: tertio ante obitum die petita à P. Rectore benedictione conuersus ad socios, qui ad

cum inuisendum, vt fit, multi conuenerant, cum lachrymis in hunc modum locutus est: Fratres charissimi, nouitiatum ego meum absolui: malo exemplo si cuiquam nocui, aut si quid aliquem offendi, veniam delicti peto: rogate pro me Dominum: si in Beatorum sedes, vti spero, hinc euolo, reddam vicem. Confitentium hic ingens fuit numerus, confluentibus ad nos non modò Nouellariensibus, sed etiam ex finitimis locis; quod minimè tamen mirum. Sacerdotis nostri operâ quadã in ciuitate Bulla cõtra monomachos, cùm eam pauci scirent, pauciores etiam timerent, factum vt innotesceret suumque haberet pondus. Illud etiam memoria maximè dignum & animaduertendum, quòd cùm Illustrissimus Dominus Comes Camillus fel. mem. domus nostræ fundator testamento cauisset, vt de nostræ Societatis Patribus, qui tum ex Gallia erant eiecti, decem ipsius sumptibus alerentur, certumque ad id vectigal iis attribuere cuperet, donec in sua restituti essent loca; re maturè deliberata, tandem septem annorum præfiniuit tempus, in quos de suis bonis illam pecuniam attribui oporteret. Vix tempus exierat, quod factum media hac æstate, cùm in Galliam iisdem patefactus est reditus; vt, quòd Societatis vir amantissimus institutam in nostros liberalitatem certum in tempus contra voluntatem votumque suum inclusit; idipsum cælestibus monitis, ac diuino consilio factum esse videatur.

Collegium Veronense.

SOCIETATIS ministeria, in quibus nostros strenuè versari superioribus annis dictum est, eadem animi contentione & fructu retenta. Itum

eſt ad noſocomia & carceres magno multorum bono, præcipuè illorum, quos ad extremum vitæ ſupplicium proſecuti ſumus. Moniales cùm ſermonibus, tum confeſſionibus extraordinariis vtiliter adiutæ. Mulieres duæ viris ſuis poſt fractam fidem reconciliatæ. Puer è Congregatione Parthenia lampadem domi ante imaginem ſacratiſſimæ Virginis de more die ſabbati ſub veſperam accenſurus; ſcalas loco admotas dum aſcendit, labi incipientes Virginem ſanctiſſimam extenſo brachio eas, ne ruerent ſuſtinentem clarè cernere ſibi viſus eſt: qua ex re maiori in Diuam pietate accenſus per menſem integrum quotidie illi certas orationes in animi grati ſignificationem perſoluit, ac deinceps illi addictiſſimus viuit. Eundem cœtum celebrare ſolitus vir honeſtus acerbo in caſu non minori fortitudine, quàm pietate armaſſe ſe in ea officina pectus aliquando declarauit. Etenim nocte quadam cùm ſomnum capere non poſſet, in mentem ipſi venit illo die, qui noctem præceſſerat, B. Virginis Officiũ à ſe, vt quotidie flexis genibus ſolebat, non eſſe recitatum. Nulla igitur interpoſita mora è lecto ſe eiicit, conſuetum pietatis penſum perſoluturus: mox cùm in via neſcio quos ſtrepitus audit, & eos propinquos, domui timens ſuæ, cubiculi feneſtram aperit, quid rei ſit perſpicit. lucente luna videt ille quidem in tenebras abdentem ſe quendam; ſed eo vtcunque agnito, nihil iam ſuſpicans præterea mali, paulo ibi diutiùs etiam caloris, qui moleſtus erat, ſedandi cauſſa miratur; cùm ecce tibi repentè coniecta ab impio fiſtulatore glande, periculoſum ac penè mortiferum in hominis capite vulnũs ſiniſtro oculo propemodum excuſſo. dum, vt in re trepida, nonnihil etiam animo conſternatur; auxilio tamen Virginis, cui præcipuè confidebat,

bat, implorato, ſtatim quaſi cæleſti monitu, Ignoſco, inquit, homini, ignoſco, quiſquis eſt, qui læſit; ac mox cum ſumma animi tranquillitate B. Virginis Officium, cuius rei cauſſa ſurrexerat, recitare aggreſſus, de obligando vulnere nihil, niſi illo priùs abſoluto, quidquam ſibi cogitandum putauit. Tunc igitur denique domeſticos excitat, parari medicinam iubet, quid acceptum ſit incommodi, exponit; ſed ita vt auctorem minimè prodat. Enimuerò ardere illi iracundia, ſciſcitari nomen, toti eſſe in vltione. At ille, Ego verò iam ignoui, & ex animo ignoui: de perſequenda iniuria, neque ipſe cogito, neq; cogitare meorum quemquam volo: medicinam ſi poſſet volo. Eadem fuit hominis conſtantia, cùm ad eum Prætor miſit, qui de tanti facinoris auctore interrogarent. Neque enim vllis aut precibus aut minis aut artificiis adduci vnquam potuit, illum vt indicaret. Nec verò ſolùm ipſe tam inſignem iniuriam voluntaria obliuione deleuit, ſed etiã Deum ſæpenumerò idem vt faceret quanto maximo potuit ſtudio & infirmus, & commodiore iam valetudine, rogauit. Tantum in pio animo potuere, quæ in tenera ætate ex noſtræ diſciplinæ fontibus hauſerat veræ charitatis documenta. Adde illud, quòd cùm latens adhuc in capite plumbea, qua ictus pilula poſt tot menſes ne nunc quidem educi, aut omnino inueniri vlla medicorum arte potuerit, eaque continuò eam partem dolore afficiat lancinetque; ille tamen hoc, quidquid eſt, in magni beneficij loco numerat, & à veriſſimo Dei erga ſe amore, quo videlicet frequentiùs dolore hoc admonitus animum mentemque ſuam ad diuinæ benignitatis memoriam excitet, profectum in ſe libenter prædicat. Virgines duæ grandiores in templo noſtro pietatem ſuam Sacra-

mentis fouentes, dum aliquando turpia falsò sibi ab impudente muliere, quæ nec re, nec verbo læsa temerè in eas exarserat; præclara conscientia sustentatæ, & patientiæ exemplo, quod à confessario non ita pridem audierant, excitatæ insignem iniuriam, tanquam ad se nihil pertinentem, vno silentio vindicarunt. Generales multorum confessiones à compluribus non sine fructu auditæ, pecuniæ veris dominis restitutæ, pax inter multos conciliata. Vni è nostris biennio antequam Societati nomen daret, frater fuerat interfectus. reliqui fratres superstites octauum iam annum armati ad vlciscendam cædem non modò ipsi incumbebant, sed etiam filios, quantum poterant, crebris sermonibus & querelis incitabant. Res eruptura videbatur in magnum malum: huic noster vt occurreret, in patriam profectus, cùm in eum, in quo præcipua cædis culpa hærebat, fortè incidisset, præclarã diuturni odij aliquando extinguendi occasionem, quasi diuinitus sibi oblatam ratus; vindictæ loco in percussoris amplexus ruit, & magna charitatis significatione, non secùs ac delicias amoresque suos deosculatur. Perculit ea res animum, & hominem multum sibi suisque fidentem, ac propterea non, vt par erat, de reconcilianda gratia cogitantem, ad pacis cupiditatem accendit. Permouit & fratres, qui hoc exemplo serius de condonanda iniuria, & honestis conditionibus pace firmanda cogitare cœperunt. In eum iam res adducta erat locum, vt pro confecta haberi videretur posse: cùm interfecti vxor paulatim se reuocare, ac mox habiturã se cum illis vnquam pacem, apertè negare; permagno Socij nostri dolore, qui ea ratione feliciter iam à se iacta pacis fundamenta conuelli, totumque suum consilium, & egregios conatus ad nihil recidere molestissi-

mè

mè ferebat. Aggreditur de integro mulierem, amicos adhibet, deprecatores parat. Postquam expertus omnia apud furentem ira animum nihil se proficere animaduertit; sine mulieris autem voluntate, cuius præsertim curæ ac fidei commissi essent liberi, nihil confieri aut sperari posse, re desperata, ne diutiùs inutiliter tempus illic terat, tandem discedit. Vix abierat; cùm illa mutata iam in melius mente, eò cœpit recurrere, vnde paulo antè refugerat, & id cupidissimè appetere, quod antea contempserat, obfirmatoque animo recusarat. Quid multa? datur negotium communibus amicis, qui rem transigant, initur ratio, audiuntur conditiones, probatis vtrimque pax constituitur, eaque senatus auctoritate firmatur. Societatis existimatio quanta hîc sit, non modò ex Congregationum frequentia aut multitudine eorum, qui apud nos confitentur, cognosci facilè potest; sed etiā ex incredibili erga nos Episcopi & amplissimi cuiusque studio atque amore. Expressiora atque illustriora fecere hæc nuper impuræ cuiusdam mulieris conficta de nobis, spargīque iam cœpta crimina & impudētissimæ calumniæ. Hæc adhibito filio & sorore, quam sibi ancillam dictitabat falsò, egregiè simulata cùm conditione & honestate, tum pœnitentis animi sensu ac pietate; iam propè biennium id agebat, vt, aut turpem Societati notam inureret, aut turpitudinis suspicione aliquid de illius existimatione & gratia detraheret. Sceleratissimè cogitata non minùs astutè exequi dum gestit, commentum suum cum aliis quibusdam, tum maximè religiosæ cuiusdam familiæ sacerdotibus aperit, maiori videlicet, si hinc porrò manare cœperit, futura fide. aperit autem tanquam rem gestam minimeque dubiam, duos esse sacerdotes è Societate IESV enormibus flagi-

tiis implicatos, quorum cum altero ipſa quoque, dum peccata apud eum ſæpe confiteretur, turpem & ſacrilegam conſuetudinem habuerit; eam aliquamdiu à ſe intermiſſam, vbi repetierit, conceptus fuiſſe cauſſam; dolorem ſe ex eo trahere ſanè grauem & acerbum. Denique eò ventum impudentiæ, vt noſtros ſuo etiam nomine, vt iam aliquando reſipiſcerent, commonefactos oportere diceret. Noſtri de mulieris oratione docti, quamquam conſcientia freti, rideri fabulam, & à læuiſſima muliercula temere confictum crimen ſine periculo contemni videbant poſſe; tamen cùm de mulieris ingenio ac moribus, tum etiam de toto eius conſilio ac ratione certius aliquid cognoſcendum rati, rem ad amicos referunt principes ciuitatis. Suſcipiunt illi negotium, rem inueſtigant, ad feminam adeunt, de Ieſuitis religioſi viri turpiter quæ loquantur, hæc an ad eos ipſa detulerit, quomodo ipſi dicant, quærunt. Illa verò negare & mirari ſatis non poſſe, adeò perfrictæ quemquam eſſe frontis, vt ex ſe audita dicere audeat ea, quæ nunquam ipſa ſomniarit; Ieſuitarum nomen ſeſe venerari, illorum vitæ ſanctitatem ſuſpicere, numquam de iis, niſi honorificè, & ſenſiſſe, & locutam eſſe; atque hæc ita conſtanter, veroque vultu, vt verè ex animo loqui illam facilè crederes. Viri pij & noſtri Ordinis ſtudioſi, qui tam turpem hærere in Societatis nomine maculam indigniſſimè ferrent, ac proinde quāprimùm eam delendi cupiditate arderent; extemplò properāt ad eos, qui tam improbi rumoris mulierem nominarant auctorē, quid de illius genere, quid de moribus ac fama, quid de tota vitæ ratione compererint, quid cum illa egerint, quid reſponſi tulerint, ordine exponunt. Poſtquam vident falſiſſimam opinionem, quæ ſemel inſederat,

rat, euelli ex eorũ animis non posse, ac plus apud religiosos viros id valere, quod ipsis ab improbissimo satanæ mancipio erat inculcatum, quàm perpetuum nostrorum hominum, & inoffensum integerrimæ vitæ cursum; cùm tam apertè viderent, quàm apertè falsa, quàm etiam pugnantia cùm ipsa, tum eius filius loqueretur. enimuerò permoti tanta rei indignitate ita reuertuntur ad nostros, vt & seriò iam suscipiendum esse negotium censeant, & mendacium primo quoq; tempore opprimendum. Placet consilium nostris. aduolat Veronam statim Patauini Collegij Rector, hac ipsa cura à P. Prouinciali delegata. Is vbi Prætoris auctoritate selectam mulierculam cum filio & ancillula honestum in locum, vbi rectè custodiatur, abduxit; diligenter in ipsius vitam inquirens, comperit esse impurissimam. eius rei testes cùm alij permulti, tum præcipuè Parochi, qui illam ne suas oues corrumperet, à suo grege depulerant. Interrogata ancilla simplici puella ingenio, totam rem, vt erat, ita aperuit, vt iam non vestigiis, vt antea, sed ipsius ductu ad cogitati sceleris cubile nullo negotio sit peruentum. Hinc iam ad mulierem: grauidam se dixerat, & grauidam ex nostro. Extabant ea de re litteræ, & ipsius manu conscriptæ, & iureiurando, quò maior esset fides, firmatæ. Adhibentur ergo obstetrices, quæ id cognoscant. renuntiant, toto in mulieris corpore signa esse eiusmodi, quæ illam non modò in præsens, sed etiam in totos septem, qui proximè abierint menses ab omni prægnantis vteri suspicione vindicare facilè possint. Et tamen ita res erat composita, vt pariendi dies esset ille, cùm è lectulo domoque sua extracta supponendi pueri facultatem, quam sperarat, omnem amisit. Simulabat iam dolores, expectabatur medicus, expectaba-

tur confeſſarius (vtrumque accerſierat, vtrique data erant verba) ſed, ô diuinam prouidentiam! ecce tibi pro medico à Prætore miſſus ſatelles, pro confeſſario iudex. Quid multa? vbi videt improba teneri iam ſe vndique, & conſilia ſua patêre omnia; confitetur ſcelus, confitetur calumniam, noſtros, quos in crimen vocarat, & nobilem matronam, quam omnis flagitij conſciam & miniſtram eſſe dixerat, omni & culpa & ſuſpicione liberat. Proferuntur litteræ, quas iureiurando firmatas eſſe paulo antè diximus. agnoſcit ſignum, agnoſcit manum, & ſimul qua ratione ducta, & cuius conſilio ea ſcripſerit, oſtendit. Poſtquam veritate è tenebris eruta, de noſtrorum innocentia, & publicis litteris teſtata dubitari iam nihil poſſe noſter videt Rector; nulla interpoſita mora ad nimiùm credulos de nobis ſacerdotes ſe confert, oſtendit ampliſſimorum hominum teſtimonia, Parochorum, puellæ, obſtetricum, mulieris denique ipſius & calumniæ confeſſionem, & eorum, quæ in nos ſceleratè cōfinxerat, palinodiam. tum ſubdit, ſi quid ſit prætere, quod ad omnem huius rei tollendam ex eorum animis dubitationem deeſſe videatur, gratum ſibi futurum, ſi liberè dicant; certum ſibi eſſe Verona non diſcedere, niſi priùs veritatem ſe agnoſcere, & meridiana luce clariora iam omnia eſſe apertè ipſi fateantur. Tum verò omnes, & illi inprimis, qui in falſam illam opinionem fuerant adducti, ſatis ſuperque iam videre ſe dicere, ſatis tenebras diſiectas, rogare enixè, vt ignoſcat, ſi nouo & inuſitato artificio in errorem acti minùs bene de noſtris hominibus ſenſerint, aut de eorum innocentia dubitarint. Quæ cum Patribus illis egit Rector Patauinus, quæ Patres reſponderunt, litteris conſignauit vir nobilis & magnæ auctoritatis, ſuoque ſigillo

gillo muniuit: qui & illo die cùm hæc agerentur interfuit, & in tota caussa egregiam operam præstitit, quemadmodum & Notarius publicus, & insignis Iurisconsultus in huius generis figmentis explicandis probè versatus. Quare cùm multi iudicarent agendum publico iudicio, & de illa femina sumendum supplicium, ne illa, vel alię blandiente impunitate assuescerent talia in magnum religionis detrimentum mentiri; præclarum lenitatis exemplum visum est, & gratum in vulgus, quòd nostri non solùm ab accusatione abstinuerint, sed ne denuntiari quidem periculum voluerint; imò & cautè duxerint agendum, ne fortè amplissimi quidam viri, si quid iis suboluisset, nostri amore ducti tam grauem Societatis iniuriam iracundiùs persequerentur, aut grauiùs vindicarent. Sed dici nō potest quantū fuerit in hac caussa amicorum nostrorum studium, quàm sollicitis de nostra existimatione animis, quàm seriò rem susceperint, quàm ex animo, emergente tandem veritate, & nobis, & inter se gratulantes, quàm veras præ gaudio lacrymas profuderint. Enituit etiam beneficentia erga nos generosi Equitis Dauidis Odasij. Is enim morti proximus pensionem exigendi ius, quam ei quotannis numerabamus, aureorum duorum & quadraginta, cùm in alium quem vellet transferre posset, secum omnino esse extinctam voluit. Virgo nobilis, quæ magno pietatis exemplo erat ciuitati, ducentos aureos moriens nobis legauit. Accessit Collegio domus, quæ quòd erat contigua, ac propè in ipsis visceribus ita posita, vt eam tribus ex lateribus nostræ ædes ambirent; cùm esse cœpit venalis, non negligendam putarunt nostri; emerunt aureis bis mille trecentis. Quo commodiùs pro ea solui posset, vnus è nostris mille quingentos aureos intra

cè dilectum sibi Christum, quò toto iam animo ferebatur, lætus euolauit. dignus omnino longiore vita. Is in lucem edidit antè dictæ Leonoræ sanctissimæ Principis vitam italicè, non minùs prudenter, quàm accuratè a se cõscriptam. Habitæ in templo nostro conciones toto fermè anno magnum tulerunt fructum. frequentatę sunt cùm ab aliis lectissimis viris, tum à Ferrariæ olim Ducis coniuge cum omnibus suis. In eodem nostro templo die Dominico Quinquagesimæ Illustrissimus Episcopus habita ad populum concione adeò ad verum Christi cultum omnium animos accendit, vt tribus Bacchanaliorum diebus, per quos ludis ac spectaculis vacari solet, ad nostras conciones diuinasque preces & laudes, quæ modulatè decantabantur, admiranda conuenerit multitudo, tantusque fuerit communicantium numerus, quantus vel ipso Paschatis aut Pentecostes die vix vllo in alio totius vrbis loco. Doctrina Christiana mirificè hic floret. Qui in oratorium templo nostro proximum nomina dederunt, diligenter eam diuersis in locis tradunt; sed omnium tamen scholarum præcipua nostris delegata cura. Hi eas obeunt, inspiciunt, suis legibus & institutis moderantur. Puellarum scholæ cùm labascerent, ac propè negligerentur, data est opera à nostris, vt Sereniss. Ducissa eam rem susciperet, ac sui esse muneris putaret Fecit non grauatè, conuocatisque ad oratorium tota vrbe matronis hortata eas est, vt in tam sancto opere sedulam præstarent operam, à Christo, cuius id amore facerent, laturæ præmium: præfecitq; singulis scholis binas ternasque maximè illustres, quæ viderent, ne qua ex eis, ad quas ea cura delata, suo officio deesset. Ea ratione factum, vt ad pristinam laudem reuocata omnia, & cum puerorum indu-

ſtria ac profectu, nunc etiam puellarum diligentia, ac diſcendi alacritas certare poſſe videatur. Eſt in hac vrbe ſchola gratuitò erudiendis ad legendum, ad acu pingendum, ad alia muliebris aut elegantiæ, aut ſtudij opera puellis, quæ parentum inopia vitæ ſibi ſubſidia comparare non ſatis commodè poſſunt. Hanc ab Leonora Auſtriaca piè inſtitutam, & ab eadem in morte diligenter ſibi commendatam, Sereniſſima Duciſſa hoc anno in perpetuum ſtabiliuit. Nam cùm antea magiſtræ, quæ duæ in ea ſunt, altera virgo, altera vidua, caſtitatis voto vtraq; aſtricta, in conducta domo habitarent, nec ſalarium adhuc iis conſtitutum eſſet certum; nunc haud procul à Collegio, & domum iis commodam comparauit, & reditus, quibus ſuſtentari optimè poſſint, attribuit. id eo conſilio, vt propinquò noſtrorum templo faciliùs per noſtros & concionibus & confeſſionibus, tum ipſæ, tum etiam puellæ adiuuarentur. Magnum in hoc opere ad Dei gloriam momentum. Eſt enim non modò caſtitatis ac virginitatis ſchola hæc domicilium, ſed & monialium quoddā quaſi ſeminarium Sed externa hæc. ad domeſtica reuertamur. Confeſſionum & communionum frequentia apud nos non parua: concurrunt ex finitimis etiam pagis permulti, celebrioribus præſertim anni diebus, non ſine aliquo melioris vitæ guſtu. Feminæ aliquot à turpi quæſtu ad honeſtæ vitæ ſtudium traductæ. Virgines, quæ Chriſto nubendi ſtudio inflammatæ propter paupertatem recipi inter moniales non poterant, per noſtros in quærenda dote adiutæ. Adiuti etiam in noſocomiis, & domi ſuæ ægroti, & ad bene moriendum animati. Expiati in carceribus vincti: in iis Iudæus cùm ad Chriſtum adiicere animum cœpiſſet, à noſtris inſtructus, acce-

pro baptiſmo in corporis & animi veram libertatem ſeſe vindicauit. Alius cùm innocens in vincula ex ſuſpicione ſola eſſet coniectus, noſtrorum operâ eſt liberatus. Duo Germani, quorum alter primò Lutheranus, poſtea Huſſita; alter ab infantia Huſſita, cùm ad vrbem acceſſiſſent, abiurata hæreſi Eccleſiæ reconciliati, & apud noſtros confeſſi, nunc Catholicè viuunt. Item alius in Lutherana hæreſi ita obfirmatus, vt vel igne cremari ſe malle diceret, quàm deſciſcere à Luthero, nunc animo ad abiurandum parato, in Eccleſiæ redire ſinum cupit. Mulier ætate florens ab longa adulteri conſuetudine ad caſtitatis laudem & Sacramentorum frequentiam reuocata. Excurrerat Patauium lena; inde ſingulari fraude abductam è pio loco virginem viri potentis libidini exponere parabat. Re cognita noſtri ſummo ſtudio quæſitam prædam ei extorſerunt, & Patauium ad ſuos integram remiſerunt. Alterius puellæ eximia forma commotus alius vir potens omnibus artibus eam ſibi reddere obnoxiam nitebatur. Cùm iam totus in eam, quam deperibat, pudicitiam immineret; animaduerſo periculo pater, noſtrorũ ope puella in tuto collocata, feliciter eius pudicitiæ famæque proſpexit. Gemmæ, monilia, pecuniæ aut furto ſublatæ, aut fraude auerſæ veris dominis reſtitutæ, aliæ ad aureos quadringentos, aliæ ad ducentos, aliæ etiam minores. S. Officij præſides in rebus grauibus adhibere gaudent noſtros. In Chriſtiani officij quæſtionibus ſi qua difficultas, ad nos, tanquam ad oraculum concurritur. Ea re fit, vt iniquis conditionibus ne quid contrahatur, aut contractum iam ſi eſt, tametſi magna de re, vt nuper ab ampliſſimo viro; tamen & reſcindatur ſtatim, approbantibus quorum res agitur, & minimè grauatè. Diſſidia etiam inter duos ex illuſtri

illuſtri familia fratres noſtrorum rogatu ſublata: inter alios multos pax aut reconciliata aut confirmata. Acuunt hæc vt induſtriam noſtrorum, ita etiam animos: quos eoſdem adiuuat non parum B. etiam Ignatius, cùm ſuum erga clientes ſtudium inſigni aliquo, vt nuper, miraculo oſtendit. Pia quædam matrona latens in pectore non ſine dolore aliquot annos aluerat virus: hoc tandem anno duobus locis ita erupit, vt fœda illic vlcera reliquerit. Accerſiti medici & chirurgi, nihil ſe afferre opis rei tam deſperatæ dicunt poſſe, nec illam diu viuere; ne tamen fruſtra veniſſe videantur, medicamenta quædam adhibent, ſed ea, quæ cruciarent miſeram potiùs, quàm curarent. In tam trepida re non deeſt ſibi mulier, ad B. P. Ignatium perfugit, & nuncupato perſolutoque voto, ſalutem ei ſuam commendat. Non multi abierant dies, apparuit auditas à patrono mulieris eſſe preces. Ex vlceribus altero iam curato, altero etiam mitiore, vt & templum adire liceat, & à domeſticis negotiis obeundis non prohibeatur, non modò præſenti mortis periculo ereptam ſe eſſe gaudet; ſed, vt ſe habent initia, propediem etiam integram ſibi ſanitatem eodem freta patrono pollicetur. In noſtris gymnaſiis nobiles adoleſcentuli multi & præclara ingenia. Data in iis aliquot dramata non ſine magna approbatione. Ad eorum vnum cùm Sereniſſimus Dux à nemine inuitatus veniſſet, tantam ex eo cepit voluptatem, vt eius quæſitu aliud dandum fuerit in palatio ante Cineralia. Datus eſt latinè Clemens longo interuallo parentem vtrumque, & duos germanos, nec opinatò agnoſcens. Acceſſerunt variis linguis varia epiſodia ad oblectandos animos mirificè accommodata. Affuit ibi Epiſcopus, affuit tota familia Principis, affuit cuiuſque generis hominum

magna

magna multitudo. Difficile dictu est, quàm cumulatè sit omnibus satisfactum. In Congregationem B. Virginis nomen dant quotidie plures: perspicitur eorum pietas, cùm & animi maculas decimoquinto quoque die abstergant, & Sacratissimo Christi Corpore pascantur. Eorum octo aut plures alij alia religiosæ vitæ instituta amplexi: præter hos etiam alij sacris Ordinibus initiati diuino se obsequio manciparunt. In templo facta subsellia accipiendo ad conciones auditori: vnicè sacellis nouus accessit decor. Nam præter beatorum Patrum Ignatij & Xauerij imagines alteram in altero altaris latere politissima arte depictas, etiam gypsea in eo emblemata ita nunc auro distincta rident, mens vt addita sacello videatur. Cœptum est exornari etiam alterum, quod reliqua huius templi sacella splendore & elegantia longè superabit; atque hoc sumptibus Ducissæ quondam Ferrariæ, quæ beneuolentia nostros prosequitur propè singulari. Dux ipse quanti nos faciat, vel hinc apparet, quòd Ferdinandũ filium Philosophiæ & sacræ Theologiæ siti ardentem nihil ex earum fontibus haurire volens, nisi aperientibus nostris, in Germaniam ad Collegium nostrum Ingolstadiense tam procul à patria, suísque omnibus ablegarit. Egregium patris animũ, ac de Societate nostra opinionem quantopere probent filij, declarauit nuper ex iis natu maximus. Nam cùm Patris Folcarij obitu alius ipsi quærendus esset à confessionibus, neminem sibi, nisi de nostro Collegio deligendum existimauit. id quod nostris summoperę iucũdum & gratum. Eadem est Episcopi erga nos volũtas, qui & eleëmosynæ nomine centum Collegio aureos donauit, & concionatorem in æde summa à P.N. Generali in proximam Quadragesimam impetrauit.

Princi-

Principum exemplũ cætera facilè ſequitur multitudo, propè iam vt vniuerſa ciuitas cum illis in noſtri amorem conſpiraſſe videatur. Affert ea res & negotiis agendis facilitatem, & nobis aliquem etiam fructum. Vir quidam nobilis tapetes & aulæa, quibus ſummi ſacelli parietes in præcipuis Eccleſiæ feſtiuitatibus conueſtiantur, Collegio donauit. Laxatæ etiam Collegij anguſtiæ, ædibus, quæ foris locari ſolitæ, retentis, & ad noſtrũ vſum accommodatis. Sic Bibliotheca, quæ priùs in abditum ac retruſum conіecta angulum deliteſcere videbatur, nunc in amplum & illuſtrem locum tranſlata, non modò commodè frequentari à noſtris, ſed viſi etiam ab exteris, ſi quis velit, ſine vlla noſtrorum moleſtia poteſt.

Collegium Ferrarienſe.

PROSPERA hoc anno Sociorum omnium valetudo, ardens virtutum ſtudium. Qui ſacri Aduentus, & maioris ieiunij tempore in templo noſtro conciones habuerunt, frequenti virorum nobilium conſeſſu, & libenter auditi. Exemplo fuit maximè Illuſtriſſimus Cardinalis, S. Clementis Ferrariæ Collegiatus cum alijs vrbis magiſtratibus ciuibuſque primariis, vultu atque animo in Eccleſiaſten ſemper intento: qui idem noſtro in templo à concione ter ſacris operatus cum egregia beneuolentiæ ſignificatione. E noſtris nonnulli magno conatu in catechiſmi expoſitione & puerorum Chriſtiana inſtitutione deſudant, tum in noſtro, tum in aliis vrbis templis ad hoc officium deſignatis. Et cùm iam diu in more poſitum ſit, vt ex omnium, qui condocentur puerorum numero aliquis ſurgat, qui ſelectum pietatis ac religionis exemplum memoriter narret; nobilis

vir

vir ac Iuriſconſultus multa id genus exempla à filiolo ſuo annũ vix octauum agente, ſingulis fermè hebdomadis recenſita in libellum ab eodem referri, diligenterq́; cõſeruari voluit, vt in omnem vitam, id quod rectè ille cenſebat, maximopere profutura. E noſtris ſacerdotibus duo in opidis finitimis doctrinæ Chriſtianæ rudimenta per dies aliquot non mediocri cum fructu tradiderũt, ibidemq́; binas marium & feminarũ ſcholas inſtituerunt, curaruntq́; vt eſſent, qui eas in poſterum ſtudioſiſſimè gubernarent. Hoc item anno mulierculæ multæ è fœtidiſſimo voluptarum cœno noſtrorum operâ emerſerunt. ſperari etiam poterat multo plures ad meliorem frugem & ſalubrem peccatorum expiationem breui acceſſuras; ſi domus, cui à ſuccurrendo nomen indiderunt, plures capere potuiſſet. Perfectum præterea vt puella procax, quæ ex nobili adoleſcente conceptum apud eundem enixa erat fœtum, ab illius conſuetudine abſtracta, honeſto in matrimonio locaretur, dote numerante eius, qui virginitatis florem delibauerat, parente. Adſciti in Societatem tres bonæ ſpei adoleſcentes, præterea ad domeſtica miniſteria alij. Honeſto loco natus adoleſcens amiſſo patre, eò impietatis deuenerat, vt vix à propriæ matris percuſſione ſacrilegas cohiberet manus. Quare afflictiſſima femina cùm apud filium quidquam poſſe conſanguineorum amicorúmve animaduerteret neminem, illud videlicet expectabat in horas, vt ab eo, quem vtero geſtauerat, domo expelleretur. Quid faciat miſera tali in re ac tempore? Quoniam in terris præſidij nihil, è cælo petendum neceſſariò putat. Ad B. P. Ignatium confugit, eius opem implorat, mirum dictu, poſtero die accidentem ſibi ad pedes, præter omnem expectationem videt filium, multiſq́;
cum

cum lacrymis ac gemitu, sceleris atque impietatis suæ veniam orantem. Est in hac vrbe domus, quam annos ampliùs viginti infestam habebant lemures, horrifico in ea singulis noctibus strepitu. dat consilium domino noster confessarius, vt cubiculo suo, quod præcipuè infestabatur, B.P.Ignatij affigat imaginem. paret ille, affigit; proximè quidem sequenti nocte idem strepitus, idem horror; sed ex illo tempore omnia postea quieta, omnia tranquilla. Vocatus quidam è nostris, qui ægrotum audiret confitentem; ad quem cùm venit, adeò graui somno ac veterno oppressum hominem offendit, vt nulla medicorum arte studióve potuerit excitari. Igitur confessarius cùm humana arte profici nihil posse cognosceret, domesticos admonet, vt ad sacram orationis ancoram pariter omnes confugiant, ac tantillum temporis à Deo Opt. Max. petant, dum conscientiam expiare suam valeat infirmus: se domi hac eadem de caussa sacrificaturum, & à sacro nulla interposita mora reuersurum. Singularem Dei bonitatē! nondum sacro absoluto affuerunt qui dicerent ægrotum ad se rediisse, & qui confessionem suorum exciperet peccatorum enixè rogare Peracta confessione, in eundem somnum cum recidisset, non ita multo pòst migrauit, è vita. Institutum est Sodalitium virorum, in quo vno è nostris præside sacris colloquiis excoluntur Mirabilem quotidie diuinam prouidentiam in magna Collegij paupertate, & redituum tenuitate, ac summam erga nos benignitatem experimur.

Colle-

Collegium Placentinum.

De Placentino Collegio breuiter dici hæc possunt. Bona vsi omnes valetudine ad exitum fermè anni. Admissi in Societatem duo bonæ indolis adolescentes, vnus studiosus Rhetoricæ, alter Iuris ciuilis. Nostrorum in spiritu instituti nostri, omnisque religiosæ perfectionis non pœnitendus fuit profectus, præsertim verò scholasticorum, quorũ hìc est Humanitatis seminarium, qui mortificationis studio ad omne laudabilis obedientiæ genus, se promptissimos ostendunt: nec verò dissimilis eorum in litteris profectus, tum scribendis orationibus, tum etiam carmine pangendo, & priuatim ac publicè cum opinione doctrinæ elegantis nostrorum, recitando. Hoc primùm anno cœptæ in æde nostra quadragenario ieiunio conciones quotidianæ non mediocri concursu nobilium, & publici magistratus frequentia: & diebus Veneris ac festis à prandio sermones habiti de Sacrosancta Eucharistia & passione Domini, atque à Pentecoste ad finem anni, atque eo ampliùs vnus è nostris ab Episcopo, qui nostrorum operâ libenter vtitur, impetratus manè conciones habuit in summo templo, & à prandio lectiones in nostro, non leui auditorum commendatione & fructu. Facta est etiam nostris potestas doctrina Christiana pueros per vrbis parœcias imbuendi, difficultatibus iis, quæ à sæcularium quorundam conuentu obiiciebantur, cùm modestia, tum Episcopi ac Vicarij eius auctoritate superatis; & constitit operæ fructus. Nam ad templa sæpe adducti, cùm ea traderetur, iuuenes otiosi, & vel in viis alea ludentes, vel circum vrbis mœnia fallendi temporis gratia deambulantes.

Horum vnus inter cæteros cùm Patri noſtro confeſſione peccata aperuiſſet, & ſe eiuſdem officij cauſſa ad eum reuerſurum Deiparæ aſſumptæ feſto promiſiſſet; negotij ſui gratia Laudem Pompeiam profectus, datam fidem, ſiue negligentia, ſiue obliuione fefellit: vbi morbo correptus nonnihil ſe collegit, promiſſi memor, ſimul atq; conualuit, Placentiam reuerſus magno cum pietatis ſenſu ad eiuſdem Patris aduolutus pedes animum confeſſione purgauit. Probatum vniuerſæ ciuitati munus hoc doctrinæ Chriſtianæ diſſeminandæ per noſtros; ex eoque non è media ſolùm plebe homines, ſed etiam nobiles pleriq; ad eos audiendos non rarò conueniunt, laudantque vehementer. Hic item annus patefecit nobis aditum ad xenodochium, qui adhuc non patuerat. ea viſitatione multorum ſaluti proſpectum; exemploq; permoti aliquot è B. Virginis Sodalitio iuuenes idem charitatis officiũ magna cum laude ciuium expleuerunt. Quo die primùm eò eſt itum, in ſenem moribundum inciderunt, qui deſperata corporis ſalute, animæ remedia adhibuerat Sacramẽtis Eccleſiæ ritè acceptis. Eum noſter ad excipiendam hilariter mortem ex præclara corporis conditione, cuius in eo ſpem excitabat, quæ animum à culpis liberum conſequitur, hortatur. Ille vbi oſtendit non facilè ſe adduci, vt cadauer eſcam vermium, & mox cinerem futurum, rurſus vitæ, tanta præſertim ſplendoris acceſſione, quantam noſter prædicet, reſtitutum iri credat; item illa, quæ de extremo mundi iudiciique die ab illo dicta ſint, incredibilia ſibi videri ac fabuloſa; non deſtitit vrgere noſter, variiſque & ſacræ Scripturæ locis, & Sanctorũ exemplis eò redegit ſenem, vt iam ſe credere ita eſſe affirmaret, in eaque fide certum ſibi eſſe animam Deo reddere: id quod

paucis

paucis pôst diebus accidit. Vnius item Coadiutoris è nostris in eo munere eximia virtus enituit consolandis tanto animi ardore ægris, quem profusis lacrymis exprimebat, vt & assurgerent brachiis crucis in modum formatis, & præpotenti Deo, qui se tanto dignatus esset consolatore, gratias agerent immortales. In carceribus quoque verbo Dei refecti vinctorum animi, effectúmque, vt squalorem ac ærumnas carceris perferrent constantiùs. In monialium item monasteriis toto fermè anno habitæ conciones, cæterísque locis piis, & earum confessiones extra ordinem Episcopo postulante, iisdemque monialibus exorantibus, generales plurimæ exceptæ, quibus quæ celauerant totos viginti ac triginta annos peccata, maximo cum doloris sensu, & morum commutatione detexerunt. Valdè quoque auctus pœnitẽtium apud nostros numerus, præsidio maximè eorum, qui variis locis doctrinam Christianam explicãt, qui secum multos sæpe ad confessiones adducunt. multi porrò ad sedulam morum emendationem instituti, & peccatis venialibus euitandis, & corruptis naturæ atque consuetudinis affectibus coërcendis, & se quotidie aliquo pœnæ genere affligendis; & reddenda confessariis, seu negligentiæ, seu profectus ratione. In his mulier quædam in eo feliciter operã ponit, vt impudicas feminas traducat ad continentiam; & ad nos confessionis ergò traducit, vt nuntium faciliùs turpibus voluptatibus remittant. Alia etiam mulier ad confessarios nostros mulieres iam plus viginti adduxit. Virgo valdè pia ac religiosa, quæ diu cilicio domuerat carnem, cùm sibi non esse liberum videret per domesticos inimicos Deo se totam dedere per frequentem orationis & Sacramentorũ vsum; enixè precatur Deum feruore magis, quàm pru-

dentia ducta, sibi vt dæmonium immittat ad maiorem suorum peccatorum expiationem. impetrat, totos quinque annos dirè vexatur. ea acerbitate cùm intelligeret magnum sibi afferri impedimentum ad exercendas pietatis actiones, rursus Deum obsecrat se vt liberet. liberatur; & iam duo elapsi anni, cùm libera se totam Deo liberè tradit, iisque actionibus, quibus Deum promeretur. Generales totius vitæ confessiones plus centum exceptæ: multis item ope atq; præsidio industriarum B.P. nostri Xauerij extorta peccata, à quibus expromendis inanis quidam, siue metus, siue pudor retardabat, eorumque integratæ confessiones auditæ. Multi earum frequentia adiuti, vt è cœno emergerent libidinum, à quibus ne diem quidem vnum antea poterant abstinere. Inter bene de nobis meritos duo maximè insignes mortem sanctè obierunt. Alter D. Albertus Petra vir nobilis & sanctus, totos septem annos asthmate conflictatus: qui præterquam quòd Romani Anglorum Collegij rem hîc sanè copiosam diligenter curabat, atque id gratis, nostrumque Collegium liberalibus eleëmosynis iuuabat; etiam moriẽs quinquaginta ei nummos aureos legauit perpetuos instituta ex asse hærede hospitali huius ciuitatis domo. Altera D. Paula Quartirona Soncina vidua, quam verè atque optimo iure Collegij appellare possis matrem. Hæc quantum habuit facultatum, earum nos hæredes reliquit. Neq; hoc anno cessatum à Collegij fabrica, non paucis cubiculis perfectis atque ornatis, vt habitari iam possint. In eam porrò Collegij parẽs D. Leo Lazarus Haller arcis Placentinæ præfectus, non paruam summam pecuniæ attribuit quotannis: & verò addidit nuper pensionem annuam ab Rege Catholico sibi liberaliter assignatam. Nostram

quoque

quoque ædem nouis ſcamnis inter ſe ſimilibus ad pulchritudinem ipſius, & ad commoditatem accedentium inſtruximus, tum impenſis Collegij, tum eleëmoſynis piorum.

Collegium Mutinenſe.

LÆTA hoc anno cætera; illud acerbum, quòd deceſſit nobis cariſſimus Frater Ioan. Baptiſta Scontrius Ferrarienſis, anno ætatis ſeptuageſimoſexto, magno omnibus & ſui relicto deſiderio, & virtutum omnium exemplo. Aliqua in homine prudentia ex longo rerum vſu, ſed magna in eodem ſimplicitas, mirificus obedientiæ amor. Miſſæ ſacrificium ita venerabatur, vt quotidie volens libenſque vni atque alteri, modò per obedientiam liceret, inſeruiret. Eximio ſemper fuit erga ſacerdotes amore atque obſeruantia: quem pietatis affectum Deus placida tranquillaque morte compenſauit. Nam cùm veſperi præter cõſuetudinem ſe ad expiandas animi labes contuliſſet, confeſſario ſignificans (quaſi id, quod poſtea accidit, præſagiret) ſuſpicari ſe ea moriturum, poſtera die manè, cùm à ſacro ſederet ad ignem, adeò quietè obdormiuit in Domino, vt ne illi quidem, qui præſentes aderant, niſi multo pòſt animaduerterẽt. Ita enim rectus ſedebat iam mortuus, vt viuus eſſe non abſurdè omnibus videretur. In eius locum admiſſi adoleſcentes duo, alter gymnaſij noſtri ſcholaſticus, Coadiutor alter, probatæ vterque virtutis. Sereniſſimi Ducis Eſtenſis rogatu veteranus ex noſtris concionator in æde ſumma inſolito omnium plauſu, totiuſque ciuitatis bono conciones habuit per Quadrageſimam; quibus omnibus Dux ipſe, cùm propter fructum, quem ex iis maximum capiebat, tum etiam, vt hac ratio-

ne Societatis nostræ viros quanti faciat ostenderet, voluit interesse, multis grauissimisque negotiis in aliud tempus, non sine magno incommodo reiectis. Inter cæteros concionum fructus hi maximè insignes, quòd maximæ pecuniæ eleëmosynæ nomine in tenuiores ciues liberalissimè erogatæ; quòd præter aliquot rusticanorum hominum millia, quibus quotidie Serenissimus Dux stipem de suo dari voluit, publico etiam ciuitatis sumptu Mutinēsis agri pauperes, qui ob summam & annonæ caritatem & rei familiaris angustiam fame perituri fuerant, benignè alti; quòd tanta extitit ciuium quorundam liberalitas, vt ex contributa ab iis pecunia maximis, id quod erat necesse, in tantam multitudinem factis impensis, non pauci tamen aurei superauerint. Accedit huc, quòd, cùm antea vulgati corporis mulierculæ, si à meretricio quæstu pudicitiam respicere, & ad honestè viuendi rationem transire vellent, non haberent in hac vrbe, quò confugerent; eiusdem Patris hortatu, libentissimis animis, summoq; Mutinensium studio, inita ratio est, quemadmodum parata, quæ misellas recipiat, domo, earundem pudicitiæ ac saluti consulatur. Mirifica fuit huius Principis hac in re alacritas: ille nouæ domus curam vltro, ac perpetuam suscepit; ille nobilium virorum & feminarum Sodalitium, à quibus gubernari conditis à se legibus posset, instituit; ille locum ad habitandum dedit; ille pecuniam attribuit. Optimi Principis liberalitatem pia ciuitas libenter est imitata: parata iam in vsus necessarios permulta. recipi cœptæ mulieres, quæ vt corruptrices antea iuuentutis, ac ciuitatis pestes, ita nunc ad B. Magdalenæ imitationem inflammatę, egregiam de se spem præbent breui fore, cùm suum beneficium auctores bene positum esse, &
clarè

clarè perſpiciant,& ſummopere lætentur. Vtiliter à noſtris perſæpe poſita opera in carceribus, vtiliter etiam in morte multandis. Ex iis vnus penè ad ipſam ſupplicij horam ita obfirmato in iracundia fuit animo, vt diu multumque rogantibus viris bonis, vt depoſito tandem odio, atque omni inimicorum, ſi qua eſſet, iniuria Chriſto condonata, ſuæ ſaluti conſuleret; non modò id facere obſtinatè recuſarit, ſed illud etiam addiderit, in æternæ gehennæ flammas detrudi ſe malle, quàm iis, quorum culpa in eum locum adductus eſſet, veniam vnquam dare. Venit ad eum noſter, furioſè quæ dicuntur, audit patienter, cedit iræ, cedit tempori, exulceratum animum benigno ac molli ſermone permulcet. Paulùm vbi ſentit delinitum, inuitat ad paratam à Deo pœnitenti veniam, ad ſalubrem animæ expiationem blandè allicit, confitenti præbet aurem. Exitus fuit eiuſmodi, vt diuinitus repentè homo colluſtratus, cognito iam & mentis errore, & animæ periculo, ſcelus ipſe ſuum deteſtaretur, & manantibus lacrymis non modò ſibi à Deo peccatorum veniam ſuppliciter peteret, ſed viciſſim etiam aliis quidquid in ſe deliquiſſent, libenter & ex animo condonaret. Adoleſcentulus è Sodalitio B. Virginis, quod eſt hîc Mutinæ ſanè frequens, rus vnà cum ſuis profectus eſt domi relicto, quod percurrere quotidie ſolitus, roſario. laudabilem colendæ Virginis conſuetudinem ne intermittat, matrem rogat vtendum ipſi vt det ſuum; aufert, vtitur, condit, vbi viſum. Ludenti poſtea cum æqualibus, puerili, vt fit, incuria roſarium excidit; nec tum ille ſentit. Vbi primùm ſenſit ſibi illud abeſſe, primò, quoniam magni erat pretij, diligenter quærere, deinde, vbi non reperit, dolore angi. Matris iram veritus, & fortaſſe etiam verbera, ad B. Virginis opem con-

fugit; eam implorat, veneratur, obteſtatur. Piis adoleſcentuli precibus permota Virgo nocte ſe illi per quietem offert admirabili ornatu, ac facie ita ſplendida, vt ipſe perterritus, & conſilij inops obtutum in eam defigere, neque poſſet, neque auderet. Compellat hominem vltro, de roſario conſolatur, locum, vbi ſit, oſtendit. Experrectus ille eò contendit, quod amiſſum dolebat, reperit: ad matrem refert tanta cum geſtientis animi lætitia, vt præ lacrymis, quas vbertim profundebat, id quod ſibi acciderat, narrare vix poſſet. B. etiam P. Ignatij enituit hac in vrbe ſanctitas. Febri laborabat ex honeſta familia puer annos natus 12. valdè graui ac periculoſa: eius ſalutem deſperare ſe medici cùm apertè dicerent, ille ſe B. Patri diligenter commendat vnà cum matre vidua, vouetque ſi à morbo liberetur, imaginem ſe ex argento miſſurum Romam. Non irritum fuit votum. etenim non ſolùm habere cœpit meliùs, ſed relictus à febri paucis pòſt diebus, priſtinam ſanitatem ac vires recuperauit. Eiuſdem B. Ignatij in eundem puerum, alterum poſtea beneficium. Pauci abierant menſes, cùm tranſuerſa in eius gutture hærente ſpina, nihil propiùs eſt factum, quàm vt ſuffocaretur. In hoc tanto ac tam ancipiti malo nihil cùm afferrent opis humana ingenia, mater, vt quę iam antè re atque vſu didiciſſet, quantum in Patre præſidij eſſet pietati, remedium ab eodem petere inſtituit. Habuit illa tunc apud ſe neſcio quid reliquiarum, quas quòd à P. N. Generali acceperat, & B. P. Ignatij eſſe minimè dubitabat, magno eas ſtudio & ſeruabat, & venerabatur. His igitur admotis crucis ſignum pueri in gutture cùm formaſſet, extemplò, quaſi cæleſti refixa atque educta manu, ita ſine dolore ceſſit ſpina, nullus iam vt eius ſenſus, nullum vſquam veſtigium

ſtigium

ſtigium appareret. Diſſimili in re non diſſimilis feminæ cuiuſdam felicitas. Hæc cùm à dæmone diurnis nocturniſque ſpectris vehementer vexaretur, vnius è noſtris conſilio B. P. Ignatij imagine cubiculi foribus affixa, omni ſe moleſtia in perpetuum liberauit. Externis qui affuerat, deeſſe noluit ſuis. Iiſdem enim terroribus cùm agitaretur quidam è noſtris, eiuſdem Patris imagine ad lecti caput affixa, eadem ratione euaſit. Duos habet apud ſe Dux noſter Turcas optima indole adoleſcentes. Hos vbi Chriſtiana religione à noſtris vt optarat, ſatis eſſe inſtructos videt, baptizandos cum celebritate ac populi frequentia curat, è ſacro fonte ipſe leuat; nunc inter familiares piè benigneque alit ac fouet. Epiſcopus Societatis noſtræ viros quanti faciat, illud argumẽto eſt, quòd nullum eſt hominum genus, quorum operâ aut libentiùs vtatur aut crebriùs in animarum ſalute procuranda; quòd moniales huiuſce vrbis omnes frequentibus adiuuari concionibus per noſtros potiſſimùm cupit; quòd earum confeſſionibus extra ordinem audiendis eoſdem penè ſolos idoneos eſſe putat; quòd, cùm decreto ſummi Pontificis omnes confeſſarij à caſibus, qui Epiſcopis reſeruantur, abſoluere prohiberẽtur, ipſe ea in re quidquid habebat poteſtatis atque auctoritatis, vltro ad nos detulit, & vt acciperemus omnibus etiam precibus contendit. Præclara hæc de noſtro Ordine tanti viri iudicia, & tam egregia erga nos voluntas auget ſcilicet noſtrorum labores, ſed ſimul etiam animos. Ad ſacram ſupellectilem ducentorum aureorum facta acceſſio, ex quibus ſeptuaginta in argenteam pyxidem aſſeruandæ Euchariſtiæ affabrè factam inſumpti.

Collegium Feroliuienſe.

PIETAS erga Deiparæ Virginis imaginem, quæ in templo noſtro aſſeruatur, augetur in dies. Multa in hoc genere contigerũt memoria digna; ſed hæc in hiſtoria, quæ propediem edetur, ſcribentur ſeparatim. Filij parentibus, à quibus capitali odio diſſidebant, reconciliati: alij multi, maximè coniuges, operâ noſtrorum pacificati. Cum annonæ curatoribus actum, vt pauperibus extrema inopia laborantibus ſubueniretur. In ſumma ſiccitate ciuitas admonitu noſtri concionatoris ſacrum B. Mariæ vouit, & ſupplicationẽ ad ædem mendicantium cum eleëmoſyna iis diſpertienda, re peracta venit imber. Eiuſdem impulſu hiſtriones de magiſtratus ſententia vrbe eiecti. Nobiles feminæ nonnullæ ſuperflua capitis ornamenta & fucum depoſuerunt. Quidam viginti iam annos malè confeſſi, anteactæ vitæ ſcelera generali confeſſione purgarunt. Perſuaſum aliis, vt malè parta legitimis dominis reſtituerent. Iuuenes ad morum vitæque emendationem traducti complures. Scholæ auditorum frequentia creſcunt, & morum probitate; præſertim nouo Partheniorum Collegio excitato. Duo ingenioſi adoleſcentes in Societatem recepti. Nobilis matrona luculentum prædium, cuius annui fructus ad centum octoginta aureos, reſeruato tantùm ſibi in vita vſufructu, Collegio donauit.

Collegium Parmenſe.

INTERCIDIT commentarius de Collegio Parmenſi, qui nec tranſſcribi facilè poteſt propter anguſtias temporis. Vniuersè de eo Collegio hæc

dici


dici possunt. Cœptæ augeri scholæ, additis ad Grammaticam & Rhetoricam superioribus Philosophiæ duabus, & vnius Scholasticæ Theologiæ,id enixè postulante Sereniss. Duce Parmensi; atque vt sese dant initia, speramus proxima sequenti annua paulo maiora sumpturos. Aluntur in eo scholastici nostri nonnulli à reliquis domicilio, & disciplina magno cum fructu seiuncti. Nauata opera ingeniis adolescentum,quorum ad nouam illam Academiam magnus concursus; iis præsertim, qui Sodalitiis B.Virginis sunt adscripti. Itum ad nosocomia & publicas custodias, ad moribundos. nec defuit templo suus fructus ex assiduis confessionibus & cõcionibus nostrorum. Amor quo prosequitur Dux Parmensis nostros homines,testatissimus est,sed exemplum sit. Profecturus cum classe regia aduersus Turcas in insulas Baleares, atque inde in aulam Catholici Regis cùm excurreret, comitẽ semper habuit vnum è nostris cum socio, quo ad sacras confessiones subinde,Christianæ pietatis exemplo toti classi & aulicis edito vteretur. In hac profectione non defuit nostris magna charitatis & patientiæ exercendæ materia. Decessit in hoc Collegio, vt speramus, ad superos scholasticus è nostris vnus. Is Christianas virtutes, simplicitatem præsertim & mansuetudinem, quibus excelluit, dum viueret, decumbens longa tabe confectus mira patientia cumulauit.

Missiones.

TRES habet hæc prouincia Missiones firmas, & inchoata domicilia: in insula Creta, Vicetiæ & Imolæ,siue Forocornelij. pauci in singulis operarij,fructus tamen constat non pœnitendus, & par multo-

multorum labori, in omnibus Societatis muneribus obeundis. In Cretensi præterea antiqua schola feliciter succedit magna cum vtilitate, etiam Græcorum adolescentum. Ex multis Collegiis excursiones factæ ad circumiacentes diœceses, in quibus solita missionum munera, solitique labores suscepti. In agro Vicetino opido Tienensi sacerdos Quadragesimã totam cõcionatus, ad sacras confessiones, cultumque Sanctissimæ Eucharistiæ cunctos omnis generis, sexusque omnis excitauit & accendit, & à peccatorum cœno fœdissimisque voluptatibus, in quibus multos iam annos volutabantur, magnam iuuentutis partem extraxit. Idem præstitum in agro Bononiensi extra Quadragesimam, Patauino, Mutinensi, Mantuano, Ferrariensi, quibus præter Christianam doctrinam, qua imbuti sunt rustici, simul ad pietatem informati coloni & operarij nostri. Princeps etiam Mirandulanus cum coniuge ambo religiosissimi Societatisq; amantissimi, nullam prætermittunt occasionem accersendi ad se sacerdotes nostros Nouellarienses, in primis P. Antonium Valentinum. Toto illo tractu, qui Lombardiæ vmbilicus dici potest, magnam sibi hic apud omnes comparauit auctoritatem plurimorum annorum laboribus, ac doctrina, & charitatis exemplo, vt apud eum & confessionibus peccata expient, & cum eo consilia Christianæ perfectionis, qua maximè flagrant, communicent; magno ciuitatis exemplo, fructu, aulicorum etiam & ciuium, qui occasionem eam seipsos iuuandi libenter arripiunt.

PROVINCIA LVSITANIÆ.



CENSA sunt hoc anno in prouincia Lusitania Sociorum capita numero sexcenta. Olyssipone in Professorum domo ad sexaginta; in Collegio D. Antonij vndeseptuaginta; in domo Probationis duodetriginta. Conimbricæ viginti supra ducentos. Eboræ centum octoginta. Bracaræ vndequadraginta. Brigantiæ viginti. In Collegio Portuensi vno atque altero plus. Apud Algarbios in domo S. Iacobi non plures nouem. In Angrensi Collegio quinideni. Vno minùs in Funchalensi. In insula D. Michaëlis quatuor. Totidem Villauicosæ in domo Professa hoc anno inchoata. Decem ad meliorem, vt spes est, vitam demigrarunt: quinquaginta aut plures Societatem inierunt.

Domus Professa Olyssiponensis.

NIHIL prætermissum in hac domo concionum confessionumque muneribus, quod ad reparandas tuendasque animas pertinere videretur, fructu laborem superante Innumerabilia occurrunt vsitata & minùs illustria, sed quæ eminent ea dumtaxat afferam. Funestus etiam Olyssiponi hic annus pestilentia fuit: nostris verò, dum ægris corporibus animisque subueniunt, seges quædam & materia virtutis. Nec caruit admiratione, tertium iam annum gliscente lue neminem ex hac domo affectum esse. Interim verò in aliis quoque muneribus Societatis opera præclarè posita. Ex nequissimis feminis frugi factæ sunt octo; & in cœnobio, quo mulierculæ turpem vitam detesta-

tæ ſe conferunt, collocatæ. Quatuor item parentibus orbatæ, corrogata à piis hominibus dote, matrimonio iunctæ. Aliarum etiam honeſtati proſpectum eſt, quarum pudicitia ob inopiam periclitabatur. Mater quæ egeſtate ſuadente, filiam proſtituere cogitabat, meliorē induit mentem. Aliquot, quæ, ne flagitium vulgaretur, partum ſibi medicamentis abigere conſtituerant, ab ea cogitatione noſtrorum admonitu deterritæ. Quę precario viuere ſalua exiſtimatione non poterant, identidē adiutæ. Pellicem ablegauit vnus, quicum ſex annos vixerat exemplo turpiſsimo: repertique ſunt, qui longi itineris moleſtias occaſionis euitandæ cauſſa non ſubterfugerent. Nec minorem bene merendi materiam flagitia, quàm diſcordiæ dederunt, odiorumque ſegetes inde gliſcentes progredienteſque cum fibris euulſæ. Viginti circiter auerſiſsimo animo diſsidentes cùm ſemel noſtrum pro concione audiuiſſent magna & animi & vocis contentione dicentem, non ſine lacrymis pacificati diſceſſere. Inter parentes ac filios conciliata pax atque ſancita; diuortia impedita. Vir honeſtiſsimo loco natus, illatam ſibi iniuriam in luce atque in oculis ciuium magnam, Deo condonatam, neque priuata vi, neque publico iudicio perſequi voluit. Huius exemplum ſecutus ſacerdos, qui graue vulnus linteatus acceperat. Alter cùm inimicum occidere conaretur, noſtri oratione commotus, conatu deſtitit. Maritus ſine cauſa vxoris venerat in ſuſpicionem, eique non ſemel venenum dederat; cumque illud nihil nocuiſſet, atque aliud multo vehementius pararet, noſtro auctore rediit ad ſe, & cum vxore reductus in gratiam concordiſsimè viuit. Reconciliatæ familiæ, quas cognatione coniunctas odium diſtraxerat. Neque illud omnino

nino prætermittendum. Vnius è noſtris interuentu quidam a perdito conſilio Reipub. cuiuſdam florentiſsimæ deuaſtandæ reuocatus. Nec ſolùm in ciuibus, ſed etiam peregrinis noſtrorum elaborauit induſtria. Iudæi tres, liquata eorum duritie, totidemque Mauri Mahomete deſerto ſummam fidei edocti baptiſmoque luſtrati in templo noſtro, non vulgari celebritate & apparatu; viris è primaria nobilitate excipientibus. Ex his vnus recèns luſtratus in eo totus erat, vt obuios quoſque in Maurorum ſinu educatos ſuo & aliorum exemplo ad ſinceram fidem amplectendam excitaret: eamque ob cauſſam ab vno quem maximè Chriſtianum vellet interfectus, laurea martyrij coronandus diſceſsit. Noſtri apud ſe eius corpus humandum notabili apparatu ſuſceperunt. Ab hæreſi quatuor, eâdem operâ repudiatis impiis erroribus Catholico ritu, emerſerunt. vnus cùm in morbum periculoſum incidiſſet, nullius oratione adduci poterat, vt lucem ſequeretur; ad extremum paulo antè quàm ſpiritũ emitteret, Sacramentis Eccleſiæ ritè ſuſceptis, magna cum ſpe felicitatis exceſsit è vita. Catholici mercatores & nautæ, qui Olyſsiponem compendij quæſtuſque cauſſa commeant, non ſacris concionibus modò & exercitationibus catechiſmi, ſed & Sacramentorum adminiſtratione roborati. Cumque hìc tanta nationum varietas ſedem habeat, nulla Deo iuuante gens eſt, quæ noſtrorum operam officiumque deſideret: cùm ſint apud nos qui Germanicam, Gallicam, Belgicam, Hibernam, Italicam, cæteraſque linguas callidè norunt. Hiſpana claſsis huc appulit ſatis inſtructa militibus Hiberniam petitura: dum idoneæ nauigationis tempus expectat, noſtris occaſionem charitatis exercẽdæ præbuit. Longo namque dierum ſpatio aſsiduâ noſtrorum

operâ

operâ ſacra confeſsione luſtrata eſt. Proiectæ militum libidini frænum iniectum exactis repentè mulierculis antequam ſoluerent. Alia id genus effecta permulta tanto cum ipſorum bono, vt nihil ampliùs in milite Hiſpano deſideres. Naufragi præterea Angli in portum reducti conſilio, ope, gratia identidem adiuti. Ex iis vnus reſpexit Catholicam fidem. Nauata ſua quoque triremibus opera, ægris in valetudinario, vinctis in cuſtodia. & operæpretium fuit. Aliquot carcere demiſsi: decem ad extremum ſupplicium æquo animo ſubeundum erecti. Complures etiam ex foro noſtris deprecantibus ſine controuerſia diſceſſere. Quæſtus qui in odia hominum incurrunt, ſublati. Reſtitutiones factæ magni ponderis & momenti. Aleatores à ludo ad Sacramentorum frequentem vſum adducti. Tantum porrò eſt in hac vrbe huius domus nomen atque opinio, vt omnes omnium ordinum Religioſi ęquè ac ciues, ſi quid grauius inciderit, nos conſulant. Doctrina Chriſtiana tota vrbe indies perſonat auditorum frequentia inſignis & fructu, alliciente plebem animoſq; pueriles præmiorũ magnitudine. Amplius enim quàm quinque ſacrarum imaginum millia coronarumque B. Virginis totidem, aliaque id genus puerorum allectamenta minimè contemnenda, diſtributa. Doctrinam porrò Sodalitas, quæ ſibi B. Virginis à doctrina præſcripſit nomen, nouis aucta decretis Pontificiis ad peccatorum veniam cõſequendam ter in anno, celebriorem reddit. Vt autem ſolitudinis & inopiæ anguſtiis noſtrorum ſe charitas dilatauit, ſic etiam ciuium erga nos maximè enituit liberalitas. Procurata eſt ſex millium aureorum eleëmoſyna ad domus ædificium conſtruendum. Virorum aliquot illuſtrium, & lectiſsimarum mulierum dona minimè

vulgaria

vulgaria tacitus prætereo. Ad templi etiam ornatum non mediocris facta est accessio. Sex candelabra opere perfecto, totidemque vaporaria ad sacros templi suffitus, bini item cum pollubro vrceoli, lychnus pensilis, arcula asseruandis Martyrum reliquiis, sitella lustralis aquæ cum aspergillo, omnia ex argento multorum liberalitate coëmpta. Ad hæc multiplex sacerdotis sacrificantis ornatus non parui pretij additus est. quin etiam ipsum templi vestibulum quadrato lapide concinnatum. Itum frequenter in loca finitima, & verò etiam longiùs excursum. Vnus è nostris solemnis ieiunij tempore Villamuicosam à Brigantiç Duce euocatus, concionibus, catechesi, reliquisque Societatis officiis magno opidanis aulicisque vsui fuit. Hoc demum anno ipsius Ducis rogatu domus Professa ibidem inchoata; quæ quidem erit, vt speramus, optimi Principis de nostro Ordine optimè meriti non vulgare monumentum. Quapropter Dominici Aduentus tempore missi illuc sunt è nostris quatuor, qui solemnia Societatis officia exequantur, & ea quæ domui erigendæ necessaria futura sunt, comparent, & amplam domum & aream quæ Dux assignauit, in nostros vsus concinnēt. His rebus adeò lætis aspersit aliquid molestiæ obitus duorum è nostris. Primus fuit P. Ioannes Correa Portuensis, professus, admodum iam ætate prouectus. quadragesimum egerat annum in Societate, maximamque partem Olysipone: quo omni ferè tempore ita sedulò assidueque confessionibus excipiendis nauus extitit & industrius nullo vnquam discrimine confitentium, vt communis Pater ab omnibus diceretur. vir planè singulari mansuetudine atque animi submissione, &, quod caput est, excellenti studio instituti, legumque nostrarum

memorandus : ob id ipſum à Patre Noſtro huic domui aliiſque Collegiis, vt de noſtræ Societatis inſtituto atque officiis ſtudiosè inquireret, deſtinatus. Vbi ſuæ valetudinis ſpem extenuari vidit, ad cubiculum ſacello proximum deduci ſe iubet, vnde nullo negotio ſingulis diebus, donec excederet, ſacro intereſſe, & paſci epulo cæleſti poſſet. Cumulum mœrori addidit P. Ioannes de Madureira Profeſſus etiam, & Portuenſis, acerrimo vir ingenio; ea pietate ac religione, vt eius paucos pares Societati ea ciuitas tulerit. Poſteaquam diui Antonij Rectorem & huius domi Præpoſitũ egit, in tradendo catechiſmo ſtrenuam fructuoſamque operam collocauit; interim cùm à P.N. ad Braſiliam viſitandam de more Societatis mitteretur, à prædonibus noſtro mari diſperſis cum ſociis vndeuiginti captus, in Angliam cùm ſeptẽ è noſtris tamquam obſes deducitur, donec redderẽtur Angli, qui apud nos in vinculis retinebantur. Sed antequam ad hæreticorum oras perueniret, morbo ac nauigatione iactatus, in æternæ felicitatis portum, ex ſalo, vt par eſt credere, euolauit. Et quamquam eius profectionem viri nobiliſſimi litteris à Rege ad id impetratis impedire conati ſunt, inter quos Dux Auerienſis Societatis noſtræ valdè ſtudioſus, cui Pater à ſacris confeſſionibus erat, non minorem lapidẽ mouit; ille autem propoſiti tenax omnia religioni poſthabuit, néve aliis ſermonem, ſed exemplum daret, cum ſocio ſibi deſtinato nauem onerariam, noſtris inſalutatis omnibus, conſcendit, poſteris exemplũm memorandum. Magnus fuit in hac vrbe nunciato eius obitu, doloris ſenſus.

Colle-

Collegium Olyssiponense.

NIHILO minor in hoc Collegio aut nostrorum labor, aut animorum fructus extitit hoc anno. Et sanè, si res confitentium numero æstimanda, satis indicio est operam non inutiliter collocatam, vbi quingenti amplius iam inde à primis annis suorum scelerum memoriam replicantes, animum per confessionem expiarũt. sacra frequentantium numerus nunquã aliàs maior. Conciones nostrorum, vel in præcipuis vrbis templis, vel in æde nostra incredibili frequentia fructuque celebratæ. Primarius adolescens nostri sacerdotis hortatu, alteri à quo graue vulnus acceperat, multis præsentibus, non sine beneuolentiæ indiciis veniam dare non recusauit, à suisque contendit, vt idem efficerent. Miles à proposito interficiendi alterum, cuius vxori diu multumque assueuerat, deterritus. vxor deinde, quæ veneno maritum tollere meditabatur, vt eius morte aditum secundis nuptiis faceret, opportunè à nostro admonita, à cõcepto scelere destitit. Lis inter duos, quæ multorum diuortium fecerat animorum, eâdem operâ compressa. Ex illicito contubernio vir nobilis in legitimum thorum traductus. Feminæ aliquot ambitioso corporis ornatu, ac pulchritudine illices multorum cupiditatis, transtulere se ad animi cultum & amorem Dei. Iam verò nostrorum secundùm Deum beneficio complures adolescentes perdita nequitia, facta totius vitæ confessione ad bonam frugem se receperunt. Abducti aliquot etiam à fœnore exercendo, restitutumque æs alienum quater mille aureorum summa. Miles professione Religiosus post longos errores Deo nostroque monstrante viam, castra quæ deseruerat,

ſecutus eſt. Virgines quoque Deo ſacræ, quæ retrò vela dare cogitabāt, in portu Religionis ſtabilitæ. Multi ſublatis controuerſiis ad concordiam adducti. Tenuiores iniuria prohibiti Eluxit illuſtriũ feminarum charitas in ſubleuandis ſua benignitate mendicis, ita vt veſtes nonnunquam ſibi pretioſas detraxerint, vt egenorum nuda corpora cooperirent; vnius præſertim, quæ quòd veſtibus careret, pedem domo efferre nuſquam audebat. Repertus etiam qui ducentos aureos ad captum à Mauris redimendum contulerit. Coactum æs in frequentiſſima concione ad feminam parentibus orbam collocandam. Fuit & noſocomio vtilis noſtrorum opera, neque vulgaris. Præbuerunt ſe comites aliquot è Virginis Sodalitio. Interuiſæ identidem triremes & cuſtodiæ fructu non pœnitendo. Auditæ confeſſiones nauticæ turbæ huc vndique obeundi negotij, & conſequendi quæſtus ſtudio confluentis. Neque pauci ex Hibernia religionis conſtantia profugi ad nos ſe recipiunt, quibus ſacerdos noſter Hibernus conſilium præbet & auxilium. In gymnaſio quoque diſcipulis ampliùs mille non inutilis opera data. Horum in frequentandis ſacris reliquiſque pietatis officiis exequendis mira virtus enituit. Ad nonaginta Deo magiſtriſq; iuuantibus, tum in aliorum Ordinum familias, tum verò in Societatem ſunt adſcripti. Illud autem verè dici poteſt, Sodalitium Parthenium florem eſſe gymnaſij: in eum numerum excreuit hoc anno, vt congeminauerit. octauo aut quinto decimo quoque die, cæleſti dape veſcuntur Sodales. Cùm ſacroſanctum Chriſti corpus ad iram Numinis auertendam in æde noſtra ſolemni ritu magno cōcurſu frequentiáq; celebraretur, gratiſſimum præbuerunt ciuitati ſpectaculum noſtri auditores: ad ſexcentos enim diuinum

uinum conuiuium inierunt. inter quos Parthenij mirum pietatis ſpecimen præ ſe tulerunt. In repetitione ſtudiorum oratio habita eruditis auribus digna. Scholæ verò (quod & mirum fuit) graſſante lue nihil intermiſſæ: diuinaque prouidentia factũ, vt quo vſui pluribus eſſemus, nemo peſtem ex hoc Collegio hauriret. Prorex Illuſtriſſimus apud nos familiariter pranſus, vario epigrammatum & carminũ apparatu eſt exceptus: eius humanitatẽ ſemper promptiſſimam experti ſumus erga noſtrum Ordinem, & indies experimur ampliorem. Idem etiam noſtris deprecantibus multorum orbitati, inopiæ in cauſſis fauet. Archipræſul etiam noſter eſt, noſtrorumque operâ vtitur libentiſſimè ad vtilitatem animarum. Quæſtiones quæ de officiis incidunt, Religioſis æquè ac ciuibus enodantur, magnitudine fructus ſuperante aſſiduitatem laboris. Diem qui beato Ignatio familiæ noſtræ parenti atque auctori feſtus ducitur, celebrarunt noſtri maiori multis partibus quàm ſuperiobus annis apparatu. Pendebant ingeniorum monimenta varia diei locoque congruentia eleganti pictura, legendi materia ſtudium excitante. Magiſtri multis ſubinde vltro citroque habitis ea de re quæſtionibus magnum ingeniis & eruditionis ſpecimen dederunt. Ædificatio Collegij, quæ multos iam annos interrupta pendebat, hoc demum promoueri cœpta eſt. Octodecim numero cubicula concinnata, dilatandis habitationis anguſtiis, noſtriſque, quorum vſitata frequentia, nauigandi occaſionem expectantibus hoſpitio excipiendis percommoda. Sacra ſupellex non mediocriter etiam aucta. Illud exciderat minimè reticendum. Flagitioſus homo per quietem apud vnum è noſtris animũ exuiare ſibi viſus eſt: haud ita multo pòſt ſorte quadam diuinitus euenit, vt

in nostro templo ante prandium ab illo ipso sacerdote, quem in somnis viderat, vitiorũ laqueis absolueretur. Bacchanaliorum insania repressa. Catechismus populo traditus in templo incredibili plausu fructuque. Discipulorum nostrorum non doctrina tantum, sed etiam pudicitia enituit. Cuidam iter facienti procax femina occurrit, à qua cùm ad flagitium inuitaretur, non modò se in officio ipse continuit, sed ipsam graui oratione commotam vicinia ablegauit. Alter intactum virginalis pudicitiæ florem fugiendo reportauit. Extitit hic annus nostrorum nauigantium infelicitate infamis. Nam præter ea, quæ in Brasiliam nauigantibus acciderunt; octo circiter è viginti in Indiam missis, qui vna naue vehebantur, propter ventorum inconstantiam incommodissimè nauigarũt: vltra Æquatorem enim prouecti cum ventis ac mari aliquamdiu luctati non tenuerunt cursum, conuersisque ad extremum velis Olyssiponem inuiti irrita nauigatione repetere sunt coacti, maximis nauigationis periculis liberati: tantaque sunt cupiditate ad reditum incensi, vt eis nulli neque remi, neque venti facturi satis videantur.

Domus Probationis Olyssiponensis.

ADMISSI hoc anno non amplius decem. loci enim faciunt angustiæ, vt mos geri, nisi perpaucis non possit. Porrò omnes in studio domesticæ disciplinæ præclara sui tirocinij rudimenta posuere, dum alij alios æmulantes superare contendunt. Augent æmulationem veterani decem, qui post confecta studiorum curricula ex præscripto Societatis recoquuntur. Tantum ipsos Brasilicæ Indicæque profectionis tenuit desiderium,

rium, vt idipſum humi ſtrati ac ſupplices identidem efflagitarent. Tantus eſt ardor tenerioris ætatis. Quatuor voti compotes facti; reliquorum autem deſideria magis magiſque augẽtur in dies. Multi in varia loca antiqua religione & miraculis inclyta dimiſſi, non minorem modeſtiæ, quàm patientiæ laudem & fructum retulerunt. Namq; obuiis in opidis viciſque, vbicumque occaſio ſeſe offerebat, adultis æquè ac pueris doctrinæ Chriſtianæ elementa tradiderunt. Et panis fruſta per opida emendicata ad vinctos pauperes detulerũt. Neque verò catechiſmi prætermiſſa conſuetudo eſt, qui ad vrbem puerili traditur ætati. Nonnunquam etiam per celebriores vrbis vias pannoſi humeris cibaria in cuſtodias deferre conſueuerunt, non ſine magna admiratione ciuitatis. Sedulò omnes deuotioni ſtudent: tantamque cæleſti pabulo ſaturati diuinæ dulcedinis experti ſunt largitatem, vt à lacrymis temperare aliquando nefas eſſe ducant. Templi domuſque ſupellex amplior facta. Fuit qui ingẽtem pecuniam ad reliquiarum thecam pulcherrimè exornandam conferret. Cætera, quia communia, ſileantur.

Collegium Conimbricenſe.

CONIMBRICÆ, tres deſiderati. Vnius grauior iactura. Is fuit P. Antonius Caruallius Olyſſiponenſis, Profeſſus, Doctor Theologię, qui è quadragintaquatuor, quos vixit in Societate, triginta ferè annos in ſcholis conſumpſerat, per ipſos viginti Theologiam profeſſus. Et quamquam immaturus eius obitus non fuit (erat enim ſexagenarius) diuturniorem tamen lucis vſuram illi conceſſam cupiiſſent omnes, propter opus quod in manibus habebat, in ſecundam ſecundæ D. Tho-

mæ, quod tantum doctorem, lumenque desiderare videbatur. Cuius propria & præcipua laus fuit pietas animique deuotio non sine lacrymis: quæ virtus cùm semper in eo appareret, tum verò rei diuinæ tempore præsertim elucebat. Nunquam ex eo paupertatis vinculo, quo astrictus erat, laxari quidquam voluit. Vbi de sua salute actum esse cognouit ingentes Deo gratias agere non destitit, quòd in Societate eo ipso die, quo eam esset ingressus, moreretur. Grauiorem eius obitum fecit dolor Episcopi, quem merito eius amabat plurimùm. Hunc deinde consecutus est Baltazar Gondisaluus Frater, ex Coadiutorum numero, post curriculum annorum trium & triginta feliciter in Societate confectum. Magni vir exempli: cui ad res domesticas bene gerẽdas cùm quædam diuinitus adiuncta esset fortuna, viginti ipsos annos nauus semper extitit, egregij procuratoris munere functus. Tertio loco decessit Theologus in ipso ætatis flore, sed vberrimo fructu obedientiæ, reliquarumque virtutum. Superstites verò ita ab omni alia cogitatione ad perfectæ virtutis studia animum traducunt, vt ne literariis quidem vacationibus feriari liceat. Tantopere ad suam quisque & proximorum salutem procurandam, & suo, & communis Societatis studio incensi ardent, vti potiùs fræno, quàm calcaribus egeant. Argumento vel esse potest, quòd maior pars Collegij, ne dicam prouinciæ, vehementiori Indiæ, totiusque penè Orientis æstuat desiderio, quàm aliis vnquã retro annis. De scholis prætermissis communibus, dicam hoc tantùm. Discipulos quotidie & numero & pietate auctiores habemus. Dubio procul plures futuri, nisi pestilentia intercessisset. Quantos autem in litteris progressus faciant, publicæ de Philosophia ac Theo-

Theologia in luce atque oculis totius Academiæ disputationes cum laude habitæ testantur. Ita omnes ad pietatem innituntur, vt vna tantùm ex classe Philosophiæ, (vt de aliis coniecturam facere liceat) ampliùs quatuordecim hoc anno ad varia Religiosorum cœnobia se receperint. Id etiam constat è viginti circiter satis bonæ ad virtutem indolis, qui Societati aggregarunt sese. Virginis Sodalitium ex flore gymnasij lectum maiora capit indies incrementa, omnibus prælucens exemplo assidua perceptione Dominici corporis. Neque scholasticorum diligentiùs, quàm aliorum salus curata. Obeuntur à nostris vrbis compita, & frequentia populi loca, nunc sæpiùs, quàm aliàs vnquam, rudesque passim obuij, Christianæ disciplinæ capita edocentur, cum approbatione omnium, fructuque multorum. Semel præterea in hebdomada frequentissimo foro in ipso nundinatum die, confluente Academia vniuersa, noster sacerdos è loco superiori exemplum è vitis Sanctorum proferre consueuit, ac deinde appositum aliquem circumstantibus subiicere sermonem. Ea res plures ad confessionem vitamq; ritè instituendam incitauit. Ad alios etiam domi forisq; priuati de Deo diuinisq; rebus sermones sine operę iactura habiti. Hebdomadaria quoq; per Quadragesimam binis trinisúe diebus diuerberatio, vim suam obtinet vno è nostris breui aliquo argumento ex historia Christi patientis quasi virtutem accendente. De frequenti Sacramentorum vsu, nihil est noui. Frequentiæ porrò respondit vtilitas. ab iniqua fœneratione, quæstuque nefario complures reuocati. Ita malè parta, bene reddita. Cædes deinde multorum impeditæ. Libidinum extinctæ faces. Mitto reconciliationes gratiarum, crebrasque animorum commutationes. Confessiones

penè innumerabiles plurimo cum fructu auditæ: eorum præsertim, qui multos annos ab expiandis animis abstinebant. Miseris benignè factum: iis impensiùs quos à stipe emendicanda nobilitatis pudor, & carceris angustiæ prohibebant. Hi non semel prandio & doctrina recreati. Quatuor rerum omnium egeni propter cædem factam extremo supplicio afficiendi, nostrorum operâ liberati. Feminæ alioqui nobiles, suis orbatæ parentibus, ne quod honoris discrimen adeant, venia à summo Pontifice impetrata, in matrimonio intra cognationis gradum lege prohibito collocatæ. Cuiusdam etiam impio consilio, qui summa rerum inopia, & ære alieno oppressus vxorem cum liberis clàm deserere constituerat, oportunè occursum. Sed hæc iam toties decantata dissimulemus sanè silentio, neque de multis à persequendis iniuriis, itemque à diuturno pellicatu diuulsis, neque de condonatis multorum iniuriis, quæ nec paucæ fuerunt, nec leues, dicamus. Quod diu iam optabatur in hac prouincia, vt in Collegiis è tirocinio egredientibus seposita habitatio decerneretur, hoc anno demum perfectum est omnium approbatione: pergrata omnino fuerũt vigintiquatuor numero cubicula concinnata ad eam rem satis accommodata, in quę recentissimi quique magna vel lætitia sua, vel aliorum exemplo, solemni quinquagesimi diei celebritate, Patri Prouinciali aditum faciente colligendi sui caussa sese abdiderunt; speramus fore, vt ea res Societati bene atque feliciter eueniat. Cæterùm tirones ita ad nostram disciplinam auidè instituuntur, vt ab iis non tam hoc tempore postulandi sint fructus, quàm vberrimi in posterum expectandi. Sacrum instrumentum vario ornatu sacerdotali est auctum. Ad Virginis aram tabula miro artificio elaborata. Accedit

dit in cumulum ſtola ſacra B.P.Ignatij, qua P.N. Generalis hoc ſuum Collegium locupletare voluit. Eius vis ſtatim enituit perſpicuis teſtata ſignis. Vnum pro cunctis. E noſtris ſacerdos non ſine omniũ mœrore grauiſſimo affligebatur morbo. Is in extrema ſpe ſalutis ad parentem noſtrum Ignatium confugit, eiuſque ſacram ſtolam deuotè exoſculatus, breui magna omnium admiratione & gratulatione valetudinem recepit. Quod & aliis etiam accidiſſe memoratur. Epiſcopus nos colit, & obſeruat ſine vllo de Societate bene merendi fine. Nunquam in varia opida excurrendi intermiſſa conſuetudo: quia ex re mirum quantum in animarum ſalutem redundarit vtilitatis. Iam è placatis odiis inſigniora ſunt illa. Viro cuidam nobili frequentiſſimo templo ipſo Paſchatis die quidam alapam impegit: quam ille ignominiam non ferens totus ad vlciſcendum inimicum adeò exarſit, vt nullius deprecationi auctoritatiúe locum relinqueret. Nihilominus noſtri rem deſperatam omnino, à multis fruſtra perſæpe tentatam ſuſcipere non dubitarunt: hominemque iracundia efferueſcentem adeò flectunt, vt nulla ſuæ dignitatis ratione habita offenſam vltro condonauerit inimico. Repetita etiam vrbs Lamecenſis Epiſcopo Illuſtriſſimo reuocãte, quo in itinere & rudes cõdocefacti. Ibi verò aſſiduum ac noſtræ proprium Societatis munus tradendæ rudibus doctrinæ Chriſtianæ ſtrenuè & fructuosè obitum. Accidit aliquando, vt corroborata iam ætate homines adoleſcenteſque balbutire cum puerulis, ad eorumque exemplum imbui elementis doctrinæ Chriſtianæ non grauarentur. Concionum & confeſsionum fructus haud ſterilis. Exterminata iurandi, cantuſque profani conſuetudo altrix laſciuiæ; & in eius locum introducta

ſæpius

ſæpiùs confitendi. Corroboratæ odio ac tempore diſcordiæ ſedatæ, naſcentes repreſſæ. Diſſoluta ac libera in pluribus viuendi & fœnerandi licentia coërcita: vincti pauperes liberali prandio refecti. Introductus denique Sacramentorum vſus frequenter. Aliaque huiuſmodi præſtita ex inſtituto noſtræ Societatis.

Collegium Eborenſe.

NEc Eborenſis Collegij fructus, aut ſterilis, aut obſcurus fuit, vbi pari curſu contenditur ad virtutem & proximorū ſalutem. Crebra omnium Braſilicæ Indicæq; profectionis efflagitatio, non quaſi tantum à Deo expectent munus, ſed quaſi cupidiſſimè appetant. Id adeò vel hinc apparet, quòd litteris identidē Romam miſſis alterutrum impetrare conantur. Ad triginta hoc annò voti compotes effecti. Cæterùm qui reliqui facti ſunt, operam egregiè poſuerunt. Diſcipulorum pectoribus virtutis amor inſertus. ex iis ad octoginta religioſæ vitæ inſtitutum ſuſceperūt. Deus trium è noſtris iacturam reſarcire voluit quindecim. Parthenici facilè cæteris anteferuntur: eorum Sodalitium & numero & pietate augetur indies. Aliud hoc anno de conſilio Patris Prouincialis è Theologis celebrari cœptum eſt in Collegio titulo Purificatæ Virginis inclytum: externis etiam hominibus factus eſt aditus alioqui nobilibus, quò ſtatis diebus diuinarum rerum cauſſa confluunt. Itaque breui tempore cæleſtis Reginæ religionem magnopere his in locis auctum iri ſperamus. Drama iucundiſſimum, maximeq; opportunum nimiùm quantum & auditorum ſtudia inflammauit, & gymnaſij nomen illuſtrauit. Hæc breuiter percurro, ad vlteriora animo feſtinante.

Ereptæ

Ereptæ è quæstu meretricio nostrorum operâ feminæ septem; néve, quod aliquando fieri amat, prauæ consuetudinis æstu in pelagus, vnde paulo antè emerserant, reuoluerentur; in Conuersarum cœnobium, velut in tutissimam arcem, sunt inclusæ. Aliæ etiam, quarum pudicitia propter carentiam dotis in lubrico & præcipiti esse videbatur, in portu stabili coniugij collocatæ. Tenetur consuetudo adeundi carceris, & valetudinarij magno eorum, qui vtroque detinentur emolumento & solatio: daturque interdum opera, vt à nostris apparatissimo prandio recreentur. Nec deseruntur, quos à mendicando ingenuus pudor deterret. In exercendo verò nunquam satis laudato instituto illo instruendæ iuuentutis plus solito curæ laborisque consumitur. In Bacchanalibus præsertim celebriori apparatu ad effrænatam hominum licentiam, quæ eo tempore vagari licentiùs amat, facilè coërcendam; corporis castigatio introducta, tanta multitudine confluente, vt compleretur sæpiùs & hauriretur templum, quantumuis amplum. Exinde qui obstrepente conscientia non ex finitimis solùm, sed etiam ex longinquis ad nos locis famæ celebritate se conferunt, mali remedium & quietem inuenerunt. Adiuti piorum liberalitate, qui se propter inopiam tueri, aut incœpta studia persequi non possunt: ex his adolescens optimis parentibus, Hibernique aliquot Philosophi summa ingenij vel virtutis indole præditi. Confessionum autem medicina multa vulnera persanata animorum: damnosa lucra redhibita: coniugum finita litigia, interruptaque diuortia. Eorum tamen, qui in vnam redegerũt confesßionem quidquid in vita deliquissent, numerũ inire haud promptum sit. Qui alieno animo inter se erant, in mutuam gratiam amicitiamque restituti.

ti Lites etiam quàm plures eæq; difficiles. Verùm vt de his multa prætermittantur ne satietatem afferat similitudo, hoc vnum attingam. Cùm Archiepiscopum inter atque Capitulum Ecclesiasticum orta esset de honore inuicem exhibẽdo contentio, eaque per longum tempus increbuisset, donec Romam decernenda mitteretur; principe interim templo Archiepiscopum suum Dominicis festisque solemnitatibus desiderante; vnius è nostris intercessione ea omnis sublata est. Noster etiam sacerdos eiusdem Archiepiscopi functus munere præfuit curiæ, vbi grauiores caussæ à fidei quæsitoribus disceptantur: qui sanè nostra opera vtuntur assiduè, suamque erga nos beneuolentiam ostendunt. Hæc videlicet in vrbe. Extra vrbem verò aliquot expeditiones compẽdio animarum susceptæ, oportuniore præsertim tempore Quadragesimæ, secundissimo euentu. De his singulatim, & quantum fieri potest breuissimè. Pacem Iuliam è nostris duo commearunt, ibique concionum, confessionum, catechesis, aliorumq; munerum Societatis non exiguus fructus constitit. Secundùm animos, pauperum corporibus, vinctorumque subuentum, quos data stipe seu collata subleuarũt cibo. Sedatæ cõtrouersiæ; vna inprimis, in qua componenda multi elaborarunt sine fructu, nõ iam iure, sed ferro, dirimẽda. restitutum æs alienum octo mille aureorum summa. Permulti omnem retro egerunt confessione vitam & emendarunt impensa opera. Ciuiùm autem ea est in nostros homines Ordinemque propensio, vt pristinam illam de extruenda nobis domo voluntatem non modò non abiecerint, verùm etiam indies auxerint: permotique iam futuræ messis spe in tam vberi solo magnam pecuniarum summam ad eandẽ rem cum voluptate deferunt,

locum-

locumque ad nostra munera exequenda peropportunum. Cratum etiam itum non sine labore, & reditum cum fructu. Nam præter multa ibi extirpata vitia, odia restincta, aliaque solemnia introducta est corpus aliquot in hebdomada diebus verberandi consuetudo. Vtile sanè inuentum. Vnus à consciscenda sibi morte dæmone suggerente; alter ab inimicis inferenda reuocati. Vir nobilis iniuriam sibi illatam ablutione pedum vnius à quo fuerat grauiter violatus, recompensauit; idque feria quinta maioris hebdomadæ lacrymis vbertim manantibus: quo tam præclaro exemplo quàm plurimis iisque grauissimis discordiis occursum est. Quin & germani duo, vt fratris interfectori veniam darent, adducti. Myrtili etiam Iulia, cuius ager numquam à nostris cultus memoratus, præter frequentes conciones confessionesque penè innumeras, aliaque de more Societatis præclarè instituta; pacificationes inter multos, inimicitiæque sublatæ. quarum acerba quædam inter duos viros primarios exorta, duas in partes opidum distraxerat: nostrorum tamen interuentu eiusmodi factionis princeps quantumuis alapa ter & ampliùs percussus, iniurias omnes remisit, supplicemque inimicum palàm complexus est. Calcarunt huius vestigia quàm plures alij. In altero etiam opido (Montem maiorem appellant) prætermissis communibus; strenuè pugnatum contra veneficia & amatoria, tandemque omnino sublata. Fuit qui fratris interfectori non modò condonaret iniuriam, sed etiam cùm is in vinculis teneretur, missionem impetrauit. In alia quoque opida excurrisse pretium fuit, in quibus multi, qui vlciscendę iniuriæ studio ferebantur à consilio cædis abducti. Irrita matrimonia correcta: cædes condonatæ: iniuriæ prohibitæ quàm plurimæ:

mæ:domus imminenti incendio liberata. Actum cum ædili publico, vt rediret in gratiam cum eo, à quo vulnus & alapam acceperat. Addita diuerberatio corporis Quadragesima. Multa prætereuntur consultò : satis est enim ex vnaquaque re delibasse præcipua. Sed redeo ad Collegium antequam discedam. Beatissimus P. noster Ignatius pluribus indies illustrioribusque miraculis nobilitatur. Illud haud silendum. Vnus è nostris sanguineam pituitam propediem moriturus euomebat, corporeque erat ægerrimo, lenta tabe paulatim remedia eludente: is hausta Beatissimi viri reliquia, præter medicorum spem miraculo planè conualuit.

Collegium Portuense.

MIRVS erga nos ciuitatis amor in singulos dies. Haberi cœpta est hoc anno earum quæstionum, quæ de officiis incidunt, explicatio in aula nostris ædibus adiuncta, magno auditorum plausu atque cõcursu; quam vt initia se dant, breui magno illius diœcesis emolumento futuram speramus. In sedandis etiam discordiis nostrorum curæ sudant. Deligam vnum vel alterum exemplum de multis, vt fiat cõiectura de cæteris. Quædam Religiosorum familia summa contentione à senatu huius vrbis amplissimo dissidebat; ea nostro suadente ad eius auctoritatem & cõcordiam reuertit. Cùm viros etiam inter nobiles quædam intercederet controuersia, in qua de vita bonisq; omnibus agebatur, interposita auctoritate Rectoris, ex animi sententia non sine publica voluntate composita lis est. Vnus consilium alterius interficiendi abiecit, animumque inimico reddidit, qui vitam videbatur esse erepturus. Apud vinctos in cu-

custodiis publicis, in nosocomiis apud ægrotos laboratum frequenter non sine fructu. Nec verò Christianæ doctrinæ prætermissa consuetudo, quæ toto anno, vel in templo nostro, vel variis in locis puerili traditur ætati. Virgo parentibus orba sine dote intra claustra monasterij se abdiderat seruiendi caussa, corrogato nostrorum operâ dotis ære religiosæ vitæ, cuius flagrabat desiderio, compos est facta. Vnum missum non faciam. Vir perditæ nequitiæ partim intempestiuo quodam rubore, partim dæmonis terrore à salutari confessione abhorrebat. is dum in hanc ciuitatẽ properat, ignoti noua forma viri in ipso itinere sese illi comitem adiunxit, & multis vltro citroq; verbis de confessione habitis, eum manu prehensum ad Collegium vsque perduxit, seque ex oculis derepentè subtraxit. Miser verò territus visu & sermone admonitus in via, peccatorum monstra tot annos repressa apud vnum è nostris euomuit, lætusque oblata diuinitus luce discessit. Patefactum deinde multis iter in cælum, qui vel è disiunctis ad nos locis confessionis caussa confluunt. consulentibus identidem de Christianis officiis vtiliter responsum. Duo opida lustrata cum magno commodo vtriusque à totidem è nostris sacerdotibus. Alia plurima ère diuina gesta, quæ publicis litteris committi non possunt.

Collegium Braccarense.

BRACCARÆ messis hoc anno lætissima fuit. Concionum creber vsus, vt cùm maximè accessit: eæ fuerunt ducentæ quadraginta, quarum fructus ex eo aduerteris, quòd sex mille veteres & nouissimas ritè culpas nouem circiter mensium spatio apud duos è nostris accurata confessione

 eluerunt.

eluerunt. Quatuor etiam amplius hominum millia, vno vel altero die cælesti apud nos conuiuio sunt excepta: ex quo expectes aliorum numerum, qui in eadem opera sunt assidui. Redditaque suo quæque domino malè parta pecunia: placata odia mutuæque dissensiones, eæque grauissimæ & acerbæ, ex quibus luctuosa metuebantur exitia. Abducti ab illegitimo thoro vndecim. Docti sunt Ecclesiastici sui muneris partes: octo facta Canonis gratia, à Pontifice maximo nexu irregulari soluti. Quæ difficiles habent explicatus, quæstiones de finibus bonorum & malorum in re Christiana multis huc confluentibus enodantur. Septem viri nobiles apud nos piis cõmentationibus sese exercuerunt, plures futuri; nisi locorum angustiis exclusi fuissent: vnus ex eo numero Parthenius visus est se comparare ad mortem, quam paucis pòst diebus obiit. Tanta porrò in hac vrbe Societatis æstimatio, vt non solùm ciues, aduenæ & peregrini; sed etiam ex variis Religiosorum familiis complures nos de rebus ad vitæ quisque suæ statum pertinentibus consulant. Gymnasium floret indies auditorum numero, ob idq; infimã Grammaticæ classem geminari placuit. omnes sui muneris diligentes, maximè verò qui sunt è Sodalitate Virginis: ex his hoc anno in Societatem admissi tres, in alia cœnobia plures. Vir, qui iudici in suspicionem patrati sceleris venerat, carceris famæque periculo vitæ integer, & sceleris purus nostris deprecãtibus est exemptus. Fuit post confessionem, qui iniuriam alapæ acceptæ sponte sua remitteret. Archipræsul Illustrissimus nos diligit, vtiturque libentissimè nostra opera & consilio: crebræ eius in Collegium itiones, quibus quo nos numero locoque ducat ostendit. Sacro die Circumcisionis, qui annum aperit, quò magis testa-

tam

tam ſuam beneuolentiam faceret, pontificali planè ritu ac ceremonia in noſtro templo operatus eſt: eum diem agere nobiſcum voluit, & eadem familiariter vti menſa. Tenera ætas Chriſtianæ diſciplinæ rudimentis cum fructu excolitur: quæ res, ſua eam auctoritate & liberalitate Archiepiſcopo Illuſtriſſimo promouente, felices progreſſus habet; is enim cùm interfuiſſet aliquando, ita captus vtilitate operis, vt ad id coëmpta pecunia non vulgari adiecerit, quibus illa ætas deliniri ſolet. Nec domi ſolùm res bene geſta, ſed etiam foris. ad Montem Lætum iuere duo per menſem, neque exiguos laborum fructus inde retulerunt. Nam præter reſtitutiones factas, ſopita odia, ergaſtula obita, & alia id genus effecta permulta, confeſſionum præcipua vtilitas; in obuio opido omnino quingentæ, vniuerſæ vitæ ferè omnes. Dedocti prauos mores opidani, fructuoſiuſq; laboratum cum illis, quo diutiùs noſtris caruerunt. Placati germani duo fratres pertinaci odio inter ſe diſſidentes. Sacerdos in noſtros officioſus ad quadraginta librorum volumina in bibliothecæ incrementum, Collegio moriens deſtinauit: quorum pretium aurei mille. Ad diui Sebaſtiani brachium oblata theca ex argento. cæterùm decorata domus imaginibus antiquos Patres noſtræ Societatis columina ad viuum referentibus. alia prę terea dona ad templi ſupellectilem & ornatum acceſſere, in quibus calix argenteus, veſtes ornatuſque ſacrificantium ſex. Porrò è noſtrorum numero vnus ad meliorem vitam demigrauit: is adoleſcentulus erat Hibernus quintum agens in Societate annum, vitæ priùs, quàm Philoſophiæ cui ſtudebat, feliciter curſum peregit. ante obitum delirare cœpit & loqui aliena, ſed ita vt optares eiuſmodi multorum eſſe ſapientiam: cum

Deipara Virgine, quam velut præſentem alloquebatur, ingenti animi ſenſu ſermocinabatur.

Domus S. Iacobi in Algarbiis.

IN Algarbienſi domo noueni laborarunt, ſacerdotes quini, Coadiutores quaterni, Societatis munia obeundo vniuerſæ ciuitati quàm maximo vſui fuere. Ex his vnum in proximorum ſalutem ſtrenuè incumbentem peſtilentia intercepit, triceſimum iam & ſecundum in Societate annum agentem: in quo ſanè viro ſumma humilitas & animi demiſſio cum pace & tranquillitate certabat. Vocabatur is Ferdinandus Martinus, numerabaturque inter Coadiutores ſpirituales formatos. Alter Coadiutor etiam temporalis formatus, nomine Dominicus Zaballo, cuius ſingularis modeſtia apud omnes obtinuerat, vt Sanctus vulgò appellaretur; multis antè diebus præfinitum ſui obitus diem prædixerat, qui in ſabbatum incidit, Virgini Deiparę ſacrum, quam ille ſemper ſumma pietate animique ſubmiſſione ſanctè ac religiosè coluerat. Cæterùm peſtilentiæ incendium, quo ambo abſumpti ſunt, quinque integros menſes in miſeram ciuitatem deflagrauit. quo quidem tempore Præpoſitus domus ciuitatis primores adit, noſtrorumque operam, ad eos iuuandos, qui in vrbe vel extra vrbem decumberēt, liberaliter promiſit: quod non ſine magna ciuitatis approbatione, & Societatis commendatione exceptum fuit. prouiſumque ne quis in locum reparandæ ſaluti deſtinatum deferretur, quin priùs animi vulnera confeſſario aperiret. Nec minor iis qui in vrbe remanebāt à noſtris nauata eſt opera. in quo etiam Illuſtriſſimi Domini Ferdinandi Maſcareniæ Algarbienſis Epiſcopi præclara enituit induſtria,

vel

vel vt ægrotantes consolaretur, vel pauperum egestatem suis sumptibus subleuaret. Cęterùm sopita erat pestilentiæ vis, cùm vnus de integro labor ciuitatem occupauit.nam qui procul ab vrbe grassantis mali metu, per ardentissimum anni tempus in tuguriis deliterant, in nouos inciderant morbos; quod non minus quàm pestis ipsa negotium Episcopo & nostris facessiuit.Ille namque tribus comitatus administris totam vrbem lustrabat,quorum duo bellaria,tertius verò loculos nummis plenos deferebat,quos pauperibus erogaret. Fama est sex aureorum millia in pauperum sumptus ab ipso elargita. Hoc eodẽ tempore è nouẽ nostris morbis conflictati sunt septem. quibus reliqui duo qui integri supererant nullum officij genus omiserunt. Communia ex composito prætcrimus,illud tamen minimè silendum; fuisse, qui nostrorum suasu septingentos aureos restituit;alterũ verò qui ducentos. Excursum non tantùm in vicinos pagos, sed in saltus etiam ac deuias rupes, ad agrestes diuinarum rerum egentissimos,quos rei nouitas Societatisque existimatio variis ex locis sæpenumerò contrahebat. Habitæ ad eos conciones, confessiones quamplurimæ auditæ; quas inter triginta totius vitæ fuere. totidem iteratæ. Eorum porrò qui in gratiam rediere multitudo fuit incredibilis. Qua vna in re tantus extitit nonnullorum ardor, tanta in Deum pietas, vt quamuis læsi,eos tamen à quibus offensi fuerant, in petenda venia præoccuparent.

Collegium Angrense.

Ex Angrensi Collegio vberes etiam collecti sunt fructus.Aliquot qui multos annos secùs quàm decuit, vixerunt,ad bonam frugem ope auxilio-

que nostrorum se retulerunt, retroactamque vitam confessione detexerunt. Quidam tædio vitæ sibi arborem suspendio delegerat; cùm ceruices conderet in nodum, & aliquandiu pependisset, ab alio secundùm Deum expeditus ad sacerdotem nostrum adductus diuino beneficio conseruatur. Cohors militum quæ est in præsidiis in hac vrbe, vires nostras non desiderauit. curatumque strenuè, vt egenorum, quorũ innumerabilis multitudo extitit hoc anno, seruaretur inopia. Episcopus obiens diœcesim, quę multis insulis continetur, vnum atque alterum è nostris sacerdotibus secum duxit, qui populos ad perfectæ vitæ studium sacris sermonibus inflammarent, & si quando res ferret aures confitentibus darẽt. Gymnasij numerus definitur auditoribus ducentis, in iis quoque erudiendis fructus laborum respondit. Vir quidam nostrorum suasu necem fratris Deo condonauit, & interfectori, in quem vt grauius aliquid statueretur, octauum iam annum iudicem postulabat à rege. Multa etiam dici possent de hoc Collegio, sed quia communia cum aliis, omittuntur.

Residentia Angolensis.

NVMERAVIT Angolana sedes superioribus annis sacerdotes decem, Fratres quatuor. Ex sacerdotibus alter quatuor votorum professus, cæteri Coadiutores spirituales formati. ex Fratribus vnus tantùm Coadiutor formatus. Obiit Pater Georgius Dias, qui Præpositum in hac sede agebat, clarissimum virtutum omnium exemplar; cui ob amorem, archidiaconus cum clero, vnà simul nobiscum iusta persoluit. Translata præterea in nostrum templum sunt Patris Arij Botellij & Fratris

tris Antonij de Carualho ossa; qui ambo in missione quadam quinquaginta ab hac ciuitate leucis extincti fuerāt. Et quamuis nostri tam in Æthiopum, quàm in Lusitanorum salutem, strenuam semper operam impendant; præcipuus tamen illorum labor diu noctuque desudauit, in subita quadam contagione quę Maio proximo superiori multos mortales absumpsit: in qua animorum corporisque salus quantum in nobis fuit procurata. In Loandam insulam quæ proxima ciuitati est, multoties in hebdomada nostri itant, sacra faciunt, pueros erudiunt, multorumque confessiones excipiunt. Feminæ nonnullæ repertæ à nostris peculiariter institutę, quæ verbera & stigmata sibi ignominiosè inusta pati maluerunt, quàm vel minimam turpitudinis notam subire. Templum tam in longitudinem quàm in latitudinem excreuit. Additum odæum & turris ad æra campana sustinenda, ad recipiendum sacrarij instrumentum ex Brasiliensi materia receptacula nonnulla affabrè constructa. His adde aulæa sexdecim, ex damasceno vnà simul gausapino serico distincta; calices aureos binos, quorum alter maioris operis ac pretij asseruando in sacra hebdomada Christi Corpori inseruit; binas ampullas argenteas cum patina eiusdem operis. Quidam moriens nobis testamento legauit trecentos & quinquaginta supra mille aureos. Missiones quatuor factæ. In duo Lusitanorū castella, quæ ab hac vrbe distant leucas sexaginta; binæ alteræ in insulas & pagos circumuicinos; in his quæ minùs distabāt, templa quatuor ex lignea materia, in vicis quatuor erecta. Omnibus in locis sacrum ritè peragebatur; crimina expiabantur; paruuli lustrati fonte abluebantur; explicabatur catechismus ipso Æthiopum idiomate, quo maximè exhila-

rabantur, libentiusque ac promptiùs propositis præmiis addiscebant. & hæc est nostrorum hominum vbicunque morentur, vel iter faciant, consuetudo.

PROVINCIA TOLETANA.



VMERAT Toletana prouincia è Societate 508. quorum sacerdotes 190. litterarum studiosi 113. rerũ domesticarũ curatores 205. In domo Professa Toletana 47. sacerdotes 26. In Collegio Madritano 49. sacerdotes 21. In Complutensi 74. sacerdotes 17. qui Philosophiæ Theologiæque dant operam 28. In Residentia Iesu de Monte sacerdos vnus, & qui rem domesticam & rusticam curant Adiutores vndecim. In Residentia Naualcarneria quinque, sacerdotes duo: hæ duæ Residentiæ ad Complutense Collegium pertinent. In Murciano 60. sacerdotes 23. scholastici 18. In domo Probationis Villaregiensi 53. sacerdotes 15. nouitij 25. Coadiutores reliqui. In Collegio Oropesano 40. sacerdotes 14. scholastici 17. In Placentino 25. sacerdotes 11. scholastici 5. In Huetensi 26. sacerdotes 7. Auditores 11. In Ocaniensi 16. sacerdotes 9. In Collegio Toletano 5. sacerdotes 3. In Belmontano 32. sacerdotes 10. scholastici 11. In Conchensi 10. sacerdotes 4. In Carauacensi 22. sacerdotes 9. In Securitano 16. sacerdotes 8. In Talabricensi 11. sacerdotes 7. In Resid̃etia Almagrẽsi 6. sacerdotes omnes. Admissi sunt in Societatem 18. obiere 17.

Vt de tota prouincia vniuersè dicam, data est sedula & constans opera nostris ministeriis fideliter obeundis: quare neque carceres, neque nosodo-

ſodochia, neque puerorum ſcholæ tam externæ, quàm noſtræ, neque morituri noſtrum ſtudium implorauerunt vſquam fruſtra: imò & oblatum vltro cum fructu & admiratione ſuſceperunt. Auditæ confeſſiones, cōciones habitæ, extincta diſſidia, excitata multa pietatis officia: aliaque omnia, quæ noſtræ vocationis propria ſunt, cum aliorum approbatione & fructu adminiſtrata. His ergo rebus, quæ toti prouinciæ, atque adeò Societati communes ſunt, commemorandis ſuperſedeo: tantùm illa dicam, quæ ſingulis Collegiis propria ſunt atque præcipua.

Domus Profeßa Toletana.

EST omnium ciuium atque ordinum ſingularis in Societatē beneuolentia, & Illuſtriſſimi Cardinalis Toletani hoc anno lōgè illuſtrior: qui ipſo Circumciſionis die templum noſtrum adiit, & ad ea ſubſidia frumentaria, quæ huic domui quotannis aſſignarat, eo die ad mille argenteos vltro donauit. In Societatis miniſteria diligenter incumbitùr: quam ad rem multum attulit momenti Exercitiorum vſus; in quæ ſe omnes penè per otium abdiderunt, non ſine magno eius commentationis atque operæ pretio. Data opera eſt ſtrenuè atque conſtanter inuiſendis ægrotis, qui in valetudinariis variè laborant. data item ſcholis puerorum atque puellarum, quarum in vrbe magnus numerus. Septem è noſtris in diuerſa loca, quæ maximè illorū operâ indigebant, digreſſi: vbi Societatis miniſteria fructuosè poſita. Multi à peccatorum ſordibus ad vitæ puritatem extracti. in iis quidam cum multorum offenſione quindecim iam annis turpiſſimis amoribus indulgebat, impudenter æquè atque intemperanter: ne-

que audebat, vt ille de seipso fatebatur, nostrorum interesse concionibus, ne cogeretur à se dimittere mulierculã, cuius penè in potestate tunc erat. Amicorum tamen suasu inuitus penè eò deductus est. concussit tamen diuina bonitas illius animum ita vehementer, vt superiorem vitam execratus ad meliorem frugem redierit, cum illorum admiratione atque lætitia, quibus antea dolori atque offensioni fuerat. Accidit sæpe in his missionibus, vt multi nostrorum opinione permoti, & confessionis concionisque cupidi ad alia loca, vbi commorabantur nostri, proficiscerentur, ea frequentia & numero, vt effusa turba interdum viam ferè compleuerit; cumque aliquando casu ad alia loca profectos esse comperissent, tres ipsos dies ibidem expectarent, donec eò redirent. Ex quo facilè percipi potest quanto nostrorum studio capti fuerint, quantumque momenti attulerit illis hominibus nostrorum industria. Vix quidam ex Patribus ad opidum appulerat, quum nuntiatur subitò pauperem quemdam hominem propè iam esse, vt animam agat, neque esse qui eius confessionem excipiat. Accurrit Pater quàm potest ocissimè; confitentem audit ita oportunè, vt idem qui vitæ, confessionis quoq; finis fuerit. Ad Congregationẽ Virginis Annuntiatæ, quæ Sodalium & numero & splendore floret, accessit hoc anno alia item Sodalitas, quæ à Iesu perdito nomen accepit, id est, quum triduo mansit in Ierusalem, ignorante atque dolente matre. Cuius hoc munus est, iis maximè pauperibus subuenire ægrotantibus, quos pudor vetat vel mendicato viuere, vel ad communia nosodochia valetudinis gratia cõfugere. His igitur domi suæ & medicinam curant, & medicum, reliquos item cibos non solùm oportunè, sed etiam abundanter, donec à morbo

omnino

omnino confirmentur. Habent autem domi nostræ singulis mensibus suos ipsi conuentus, vbi designantur quæ cuique munera præstanda, qui quærendæ eleëmosynæ, inuisendi ægroti, qui propter honestatem atque pudorem non audent aliis morbum suum & necessitatem aperire. Accidit autem non rarò dum noctu tempore interdum maximè aduerso ciuitatem lustrant, quò illos qui tempestate perfrigida sub dio pernoctant, ad commodum aliquod hospitium deducant, vt incidant in mulierculas, quæ vrgente inopia vulgandæ pudicitiæ stultum æquè ac miserum consilium inierunt, easque ab ea necessitate clementer & piè à turpitudine deterreant. Sumpserunt præterea illam sibi curam, vt stolidam turbam & ignobilem fecem, quæ aut propter inertiam, aut prauā consuetudinem diebus festis interesse rei diuinæ non solet, ad illud obeundum præceptū vel moneant, vel cogant. Quam ad rem paratum habent sacerdotem, qui in religioso aliquo & honesto illius fori loco, in quo maxima est istius plebeculæ sordidæ proluuies, sacrum faciat. Conueniunt autem in templum nostrum ipso infra Octauas Epiphaniæ Dominico die, qui illi nomini atque mysterio sacer est. vbi tùm ipsa diei iubileique in illud tempus dati religio, tum præterea illustris ex omni parte celebritas magnos aduocat in templum nostrum hominum concursus. Custodia Toleti est magno vinctorum numero frequentissima, tum ob alias caussas, tum eò vel maximè quòd ad triremes damnati ex tota fermè Castella Galleciaque hìc asseruantur. quo fit vt sæpe ad trecentos, ad quadringentos nonnunquam hìc detineantur. Eorum necessitatibus, quas esse grauissimas propter tantam multitudinem necesse est, instituta est etiam alia Sodalitas, quæ ita, corrogata vndique

que ſtipe corporibus prouidet, vt quærendæ animorum ſalutis, quam neceſſe eſt variè in ea calamitate iactari, curam vel maximam aſſumat. Obiit hoc anno Licentiatus Braojos Regius Capellanus, & noſtræ Societatis amans. hic domum hanc Toletanam domeſticæ ſupellectilis, & luculentæ bibliothecæ hæredem inſtituit.

Collegium Madritanum.

EO ſtudio concionator noſter auditus eſt, vt multo ante horam templum, vbi futura concio dicebatur, auditorum multitudo compleuerit. Quanto verò fructu, oſtendit & ipſe Sacramentorum vſus, qui ſanè maximus hoc anno fuit, & multorum mutatio, qui ſe a ſcelerata vita ad honeſtam viuendi rationem receperunt. Vir quidām nobilis ſic erat in virum etiam nobilem, qui tunc caſu aberat, animo infenſo, vt ſtatueret illum prorſus eſſe tollendum. eſſetque negotium omnino tranſactum, niſi Deus eius cogitationibus clementer occurreret. Dederat negotium illud hominis occidendi temerario cuidam, & prompto ad quidlibet audēdum ſicario. ſed cùm concionatorem noſtrum de remittendis iniuriis agentem audiret, ſic eſt repentè ab eo, quod malè ſuſceperat antè, conſilio deterritus; vt quàm potuit celerrimè, hominem, quem ad cædem multis oneratum promiſſis paulo antè emiſerat, à via ſimul & à ſcelere reuocauerit. quam animi ſui mutationem mentemque meliorem, ſecundū Deum concioni, cui ipſe caſu interfuerat, acceptam referebat. Vxori cuidam peſſimè cum viro conueniebat, quòd illa ſtudioſior eſſet elegantiæ, & liberiùs aliorum oculis ſeruiret, quàm honeſtam & pudicam decebat. ſic tamen, dum concionantem audit,

audit, cœpit ſuperiorem illam de forma & pulchritudine curam horrere: vt quæ externo fuco, ſi quid eſſet in ore deformitatis, celarat; deinceps ne quod eſſet ad aliorum libidinẽ & lenocinium, ſi quid erat naturalis & propriæ ſuauitatis in forma, illud carbone aut aliena aliqua fœditate fuſcaret. Qui vincti in cuſtodiis publicis tenentur, quorum copioſus eſt numerus, noſtrorum operam & promptam & aſſiduam experti ſunt maximè verò ij, quibus capitale ſupplicium indictum eſt. iis enim aſſident noctu diuque tribus ipſis ante mortem diebus In iis Turcæ quinque vſque adeò auitæ ſuperſtitionis amantes, vt eam ſibi nulla ratione exuendam eſſe prędicarent; noſtrorum tamen induſtria & ſingulari Dei benignitate, eiurata quam antè tanto ſtudio coluerant impietate, Chriſtiana ſacra in ipſo propè ſupplicij loco ſuſceperint: quidquid autem ſupererat vel ignominiæ vel doloris, ea alacritate ſubierint, vt non obſcura iis qui cum lacrymis eorum conuerſionem intuebantur, æternæ ſalutis documenta reliquerint. Horum quinque tam illuſtris tamq; admiranda mutatio plurimis aliis eiuſdem gentis atque perfidiæ hominibus ſaluti fuit: qui Chriſtiana catecheſi de more apud noſtros inſtructi ſacroſancto Eccleſiæ fonte luſtrati ſunt. Quatuor præterea homines illud flagitium admiſerant, cui ea pœna lege proponebatur, vt igne cremarentur. quorum duo habitu ſe falsò monachos eſſe profeſſi ignominiam maximam quibuſdam Religioſorum familiis inuſſerant: quas tamen vt ab omni ſuſpicione vindicarent, quacunque traducerentur, & in ipſo ad extremum patibulo ſe non eſſe monachos, quanta poterant vocis contentione confeſſi ſunt Noſodochia hîc & multa ſunt, & infirmorum numero vniuerſitateque frequentia.
noſtri

nostri tamen eorum inter se curam laboremque partiti obeunt omnia semel, & vbi maior est ægrotantium copia, bis etiam per hebdomadam. vbi & confessionibus audiendis, & hortationibus, magno laborantibus vsui & adiumento sunt.

Collegium Complutense.

E Duobus Fratribus, quos amisit Complutense Collegium, memoria dignus occurrit Ignatius Mendoza Catholicorum Regum Philippi eo nomine II. IIIque apud Venetos Legatus. is tametsi fratre Marchione Mondexar, Infantatusque Duce in primis illustris ferebatur: tamen propriis pietatis & doctrinæ insignibus multo præstantiùs collucebat. Vt Societatem ingressus est, dici vix potest, quantopere non Academia modò, sed vniuersa fermè Hispania, in qua multis nominibus eximiè notus erat, clarissimo exemplo permota hominem suspexerit, & admirata sit: ac præsertim Vallisoletum regia nunc Catholicorum Hispaniæ Regum sedes; aulicorũ primæ notæ, ac Principum virorum summa prædicatione & applausu. quin & Rex ipse Philippus adeò eius ingressum probasse dicitur, vt publicè rem præclarissimam delegisse Ignatium, optimum despiciendi futilia documentum & sibi & omnibus dedisse testaretur. nec id sibi placuisse verbis solùm, sed re ipsa munificè ostendit: dum Ignatij filios parentis morte iacentes erigit, amplissimis muneribus & ingentibus beneficiis cumulatos. Vixit Societati trium mensium curriculo, ea alacritate & grati erga Deum animi significatione; vt in summa æstatis inclementia, quo anni tempore, præ nimio æstu depositis togis, incedũt nostri, ipse vim æstus non relicta toga, quod minimè à se consequi poterat,

terat, ſed ea voluptate perfregerit, qua ſe, cùm Societatis veſte amictū intuebatur, mirificè perfundi ſentiebat. Iam verò interdum, quod aurei velleris Equitibus, & D. Iacobi accidere ſolet, id ſibi eueniſſe dicebat. vt enim illi nuper acceptum torquis aut crucis inſigne pectori affixum bis, ter ac ſæpiùs non feſſis oculis circumſpicientes, nullum præ gaudio intuendi finem faciunt; ita ſe tantam togæ aſpectu haurire voluptatem, vt ab ea, nec tantillum quidem oculos auertere poſſet. ac ſi quando intra cubiculi clauſtra deponeret, ad ſingulorum ingreſſum reſumebat ſtatim. tanti vel ſigna ipſa beneficij à Societate ſuſcepti pendebat bonus virtutis æſtimator. Adhæc in quotidianis confabulationibus, quæ poſt cibi ſumptionem, Societatis more, habentur, qua erat animi demiſſione, Patrum conſeſſum recuſans, etiam ab ipſis inuitatus, abdebat ſe inter Fratres, gratiorem ſibi faſſus horum conuictum. nam Patres ſe ita ſuſpicere & venerari, vt coram eis ne mutire quidem, aut hiſcere auderet. Cęterùm culinæ & eiuſmodi quātumuis deſpectiſsimis humilitatis muneribus inſeruire mirifico ſtudio flagrabat. demùm inter maximos ſuæ perfectionis aſſequendæ æſtus tertiana febri geminata corripitur, ac ſenſim hanc vitam cum æterna commutans acerbum ſenſum mortis tam proſperæ nobis reliquit. Eorum Fratrum alteri, qui vita deceſſere, Petrus Vellon nomen fuit. cui præter multos annos in Societate tranſactos animus inerat verè humilis, & demiſſus, ad propriarum cupiditatum ſtirpes radicitus euellendas natus: contemplationis diuinæque familiaritatis cultor aſsiduus. non illum opificij labor (fuit enim dolandorum lapidum artifex) obici vnquam extitit, quo minùs ſingulis profeſtis diebus quatuor vt minimùm horas cæ-
leſtium

lestium rerum meditationi locaret. Nam festis quidem dabat se totum diuinis amplexibus: ac nonnumquam in cubiculi recessum abditus, frequentiùs coram sacro Eucharistiæ arcano flexis genibus horas octo & interdum plures cum Deo suauissimè cōferebat. Cæterùm abhinc plus quatuordecim annis storea pro lecto, saxo pro puluinari vsus parcè ac duriter capiebat somnum: magnam verò noctis partem (habitabat enim plerumque abstrusum aliquem domus angulum, vnde ad aram maximam vel saltem foramine prospectus pateret) ad Christi Domini Corpus orationi vacans constantissimè perseuerabat. Erat silentij & charitatis egregius amator, paupertatisque adeò studiosus, vt indumenta vetustate prius exesa ac defluentia videres, quàm ipse deponeret. Labori supra modum deditus dum viguit, senecta verò ingrauescente ita se spiritu corroborabat, vt ne iuuenibus quidē cederet ac robustissimis. Tādem cùm pro more flexis genibus Christi Seruatoris Corpori adesset, quod maximo spiritus feruore pridie eius diei susceperat; apoplectico morbo quàm citissimè segregatus ab hac concretione mortali, ea reliquit æternæ suæ salutis pignora, quæ cunctos facilè certos redderent, eum ad suscipiendam tantæ victoriæ palmam ad superos euolasse. Factæ sunt à nostris Patribus in vicina opida excursiones cum opidanorum non mediocri fructu. à Fratribus item, qui operam studiis impendunt, singulis quibusque sabbatis ac Dominicis diebus adita sunt valetudinaria & carceres: ab iisdemq; vincti vtroque cibo copiosè refecti. In prædio Iesus del Monte liberalitate Domini Bartholomæi Sicilia ædificiis in dies maiora incrementa suscipientibus vltima breui imponetur manus.

Colle-

Collegium Murcianum.

AD cætera Societatis munera, quæ pietatem acuunt, accesſit hoc anno primum iam antea in aliis Collegiis antiqua alicuius exempli explicandi conſuetudo: quæ feria ſexta per Quadrageſimam aſciuit omnium penè ordinum frequentiam incredibilem. Rudiorum ſcholæ ſingulis hebdomadis inuiſuntur. vbi tum ex catecheſi, tum ex piis aliquot carminibus cantandis, quibus obſcæna atque impura relegantur, ſingularis fructus perceptus eſt, & copioſior ſperatur in poſterum. Diebus verò Dominicis is eſt puerorum in domum noſtram, doctrinæ Chriſtianæ cauſſa, concurſus; vt illorum agmini moderando, dum per calles ad publicum aliquem locum proceditur, vix decem ex noſtris duodecímve ſatis pro multitudine futuri videantur. Inſtitutus Philoſophiæ curſus cum quadraginta auditoribus. Theologiæ ſcholæ magnam Societati & opinionem & beneuolentiam conciliant. Diſputationes communiter, maximè quæ per diem integrum de more habentur, quod ter hoc anno contigit, & doctorum & religioſorum hominum concurſu frequentatæ. Ex noſodochiis piè pariter & aſſiduè obeundis fructus capitur non exiguus: ſed ex cuſtodia publica, vbi in animis corporibuſque curandis ſedulò elaboratum fuit, nata eſt, cum ſingulari miſerorum fructu, totius ciuitatis admiratio. vbi ſemel in hebdomada ab aliquo è noſtris habetur exhortatio. Inita ratio eſt quæ quotidie miſerorum neceſsitati non ſolùm frequenter, ſed etiam copioſè ſubueniat; quod per certos viros, qui munus illud non grauatè ſuſtinent, curatur diligenter. Magno ad eam rem adiumento fuit

NN Reue-

Reuerendiſſimi Epiſcopi Carthaginenſis auctoritas, qui & ipſe hoc opus primus auſpicatus eſt, & certis ſæpe diebus cibos ipſe largitur. cuius exemplum alij etiam viri diuites ſecuti certum ſibi ſingulis menſibus diem elegerunt, quo ſuo ſibi ſumptu atque ſtudio cuſtodiam paſcant. Ad Collegij bona facta eſt etiam hoc anno nonnulla acceſſio. Quidam etenim Collegium noſtrum hæredem inſtituit bonorum omnium, quæ tribus ſcutatorum millibus æſtimantur.

Domus Probationis Villaregienſis.

PRÆCIPVA hîc opera in excolenda pueritia inſigni cum emolumento, collocatur. Euadunt enim pueri non ſolùm in primis litteris, ſed in Chriſtiana doctrina, pietate modeſtiaque egregiè eruditi. quæ res Hiſpaniç Proceres Illuſtriſſimum Cardinalem Toletanum, & Infantatus Ducem, vt ad nos ſuos ex fratribus nepotes informandos mitterēt, permouit. Sacerdotes duo in præcipuum eius confinij opidum per Aduentum & Quadrageſimam miſſi plurimùm animarum ſaluti, cum omnium approbatione, profuere. atque, vt communes & vſitatos fructus prætermittam; tantus ad pœnitentiam ardor omnium mentibus eſt iniectus, vt ex omni ætate ac cōditione ad Patrum hoſpitium, ſe deuerberaturi frequentes conuenirent. quod vt ibi inſolitum, ita admirationi & incitamento ad virtutem fuit aliis. Ab opidi ſacerdotibus magna contentione, ægrè tandem impetratum eſt, vt concionibus de ſacerdotis officio ſeparatim à reliquo populo intereſſent. at, vt concionatoris erga ipſos obſeruantiam, ſuauitatem & facilitatem in prima concione perſpexerunt, plures

plures quadraginta magna cum voluptate, &, quod ſperare licet, cum vtilitate reliquas frequẽtarunt. Controuerſia de re familiari vetus & magna, quæ cum Villaregij domino nobis erat, feliciter ac firmiter compoſita. Conditiones & pacta, concordiæ in perpetuum firmãdæ, omnino completa. Inde ipſi domino ſingularis noſtri amor, ſignis non vulgaribus aliquando demonſtratus: nobis plus quietis & otij ad munera obeunda: populo maius erga Societatem ſtudium, & erga B.P. Ignatium reuerentia & cultus, ipſius mirandis beneficiis magis magiſque quotidie creſcens. Prudens & bonæ apud populum opinionis ſacerdos, cùm in ſermonem de B. Patris ſanctitate incidiſſet, alioque negante adeò manifeſtam eſſe & perſpicuam, vt in Diuos breui referendum ſperare liceret, præclaras Patris virtutes, mirabiliaque ſigna ingenti contentione allegaſſet, nocte proxima piæ defenſionis præmium accepit. Nam dolore iliaco vehementer perculſus, vomitione ad leuamẽtum fruſtra tentata, B.P. Ignatij opem enixè implorauit. ſtatim larga vomitione leuatus ſuaui ſomno correptus eſt. cumque manè omni prorſus dolore & infirmitate liber ſurrexiſſet, B.P. precibus ſanitatem acceptam referebat, eximiaque ipſius merita grato animo prædicabat: vehementer miratus aliorum Diuorum, quos ſtudiosè colere & inuocare ſolebat, præterquam Ignatij memoriam ſibi in eo dolore excidiſſe: quo, videlicet, cui ſanitatem deberet, clariùs conſtaret. Haud multo pòſt, mulier cùm tres iam dies in pariendo laboraſſet, neque adhibitis, poſt multa medicamenta fruſtra ſumpta, Sanctorum reliquiis, diuinum impetraſſet auxilium; in extremo periculo conſtituta, quippe cui iam iam per vim extrahendus erat fœtus, B. Patris ſubſcriptionem petiit. affertur. par-

turiens in honorem Sancti salutationem Angelicam, & orationem Dominicam quinquies recitat, infanti Ignatij nomen, tanti beneficij monimentum se imposituram pollicetur. confestim viuum ac valentem infantem illæsa edit, votumque grato animo lætabunda soluit. Nec verò minor B. Patris erga filios liberalitas. mirũ est enim & diligenti animaduersione à multis obseruatum, domesticos plurimis insolitisque morbis per hoc biennium affectos, in primisque duodecim iam ferè desperatos, pristinæ sanitati, seriùs, ociùs, tandem restitutos. quam etsi in miraculis non numeremus; tamen B. Patri, cuius reliquias religioso fidentique animo ægrotantes tractant, ipsi acceptam referunt. bonus quippe parens liberos & infirmitate exercuit, & sanitate deliniuit Pater Rector dum diem B. Patri sacrum omnibus pietatis & lætitiæ significationibus, omnique splendore & apparatu illustrandum curat, molesto grauique apostemate cum febri correptus in lecto cogitur decumbere. Dolens ereptam sibi facultatem celebrandi eo die B. Patris laudes concione, id munus mandat alteri. nocte quadam vehementi doloris vi excitatus, apostema excreuisse magis & obduruisse sentit. Sanctissimæ Virginis auxilium implorat: & à B. Patre, si suâ operâ vti in eo festo velit, salutem petit. statim somno contrà nitens capitur. luce proxima disrupto apostemate, sine vllo sensu doloris expergiscitur. in festi peruigilio semel, bis per Octauas liberè cõcionatur, meritis B. Patris sanitatem sibi contigisse professus. Nouitius Frater febri & angina, qui morbus per eos dies multos abstulerat, oppressus, tumentibusque & exulceratis faucibus vehementer afflictus; cùm B. Patris reliquias attigisset, suaui somno nocte traducta, omnis omnino doloris & infir-

infirmitatis expers surrexit manè. Petebat hanc domum ex Peruana prouincia Frater quidã è nostris, affecto debilitatoq; corpore; vt ibi, quod maximè optabat, quod erat vitæ reliquum exigeret. accidit autem vt in via & graui casu, & ipsa equi mole, cui in cadendo succubuit, tibiam ad talum omnino fregerit. quare coactus est in proximum opidum diuertere cum graui cruris incommodo, quod nõ sine difficultate summa molestiaq; trahebat. Vbi primùm hoc domi nuntiatũ est, D. Ioanna Castilla eo euentu permota, B. P. nostro Ignatio votum fecit, vt, si ex ea molestia Frater liberaretur, tabulam elegantem, prægrandemq; in templo poneret, vbi cum ipsa B. Patris effigie, aliorum etiam Sociorum imagines essent ad formæ veritatem expressæ. Adhæc missæ etiam fuerunt ad malè vexatum Fratrem B. Patris reliquię. pietati verò optimæ feminæ, nostræque religioni deditissimæ, & Ignatij meritis ita respondit Deus; vt citiùs quàm sperari poterat confirmatus Frater ad optatum sibi locum aliquando accesserit, vbi domesticis ministeriis non incommodè vacat. votum verò quanta pietate nuncupatum est, tanta iam fide soluitur.

Collegium Oropesanum.

SACRAMENTA obeuntium numquam aliàs tanta, quanta hoc anno frequentia, tum opidanorum, tum etiam finitimorum, quibus nostrorum opera studiosè ac diligenter affuit. Humanitatis, Philosophiæ & Casuum conscientiæ studia maiora hoc anno ceperunt incrementa. B. Virginis Sodales reliquos auditores doctrina iuxtà ac pietate præcellunt. Ex iis non pauci externique alij Societatis meditationibus, cum magno ipso-

rum bono ſunt inſtructi. Scholaſtici noſtri in proximos pagos Aduentu & Quadrageſima ad catecheſim edocendam, ſacerdoteſque ad concionandum de more excurrerunt: nec minor inde fructus, quàm exemplum aliis. Oropeſanus Comes noſtros beneuolentia officiiſque proſequitur, Societatiſque munera facit plurimi: miſſiones in primis, quòd copioſum ex iis fructum percipi videt. Quocirca à Patre Prouinciali ſacerdotes, quos ipſe liberaliter fouit, in ſuæ ditionis opida deſtinandos ſedulò curauit: quorum laborẽ non fefellit fructus. vt enim alia omittantur; Quadrageſima proxima in quodam opido, maxima cum frequentia, & omnium commẽdatione ſunt concionati, non feſtis modò diebus, ſed profeſtis etiam; contra Parochi ſpem atque ſententiam, qui homines agricolas neque ad exiguum tempus rei ruſticæ curam depoſituros putabat. at ij multo ante lucem templum ſtudioſè occupabant, quo reliquum diei arationibus liberum relinqueretur. Hinc mirum eſt quàm ſint in melius omnes mutati, iurandi conſuetudine, laſciuiſque carminibus extirpatis; adeò vt ſi cui per imprudentiam quidpiam tale excideret, extemplò ab aliis corriperetur Patris monita obiicientibus. Commune id huic opido cum eo de quo mox loquar. conciones frequentia confitentium inſigni cum vtilitate excepit. plures totius vitæ criminibus confeſſione expiatis, quibus iam diu conſtricti fuerãt laqueis ſunt ſoluti. diſſidentes in gratiam rediere, reſque aliæ magni momenti probè ſunt compoſitæ. In aliud opidum, quod eorum operâ indigere exiſtimarunt, ſacerdotes duo, nemine acceſſente profecti, vt primùm munus ſuum præſtare cœperunt, omnibus omnium lętitiis excepti ſunt. ſumma æſtate ad eos conciones audituri, & peccata

cata detecturi concurrebant plurimi, etiam ij à quibus Ecclesiæ edictum & diræ Quadragesimæ tempore confessionem extorquere non potuerāt. Ibidem animam agentibus præstò adfuere. ad Moniales sunt concionati, quæ conscientiæ rationem ipsis reddiderunt, ac Societatis meditationibus excultæ magnos breui tempore ad virtutem fecerunt cursus. deuotionis feruorem in omnibus renouatum Abbatissa prædicabat, & post gratias actas, nostros per Deum obsecrauit, vt aliquoties per annum ipsas inuiserent. Quidam quòd contumeliosè in foro ab altero pulsatus esset, supremam illi perniciem moliebatur, nec ab ea mente vllis precibus poterat dimoueri: sed placuit Deo per nostros, id quod alij frustra tentarant, iratum pectus mitigare, & ad concordiam lenire. His officiis opidanorum animi nostris egregiè conciliati, tum sacerdotes de reditu cogitantes viri, pueri, mulieres ad genua procumbentes ne ipsos deserant, vehementer orant; tum Societatis apud se retinendæ studio incensi aream, & ligna ad domicilium construendum libentes offerunt, quò nostri per æstatem secedant, ad frequentes morbos vitandos, ex æstuoso & insalubri huius Collegij cælo ferè prouenientes. Missi sunt nuper duo alij sacerdotes, quorum laboribus magnam Dei gloriam felix rei bene gestæ initium pollicetur.

Collegium Placentinum.

P. Alphonsus de Torres concionator repentè obiit; sed (quod aliis solatio fuit & exemplo) non imparatus. nam in morbo proximo, cuius adhuc supererant reliquiæ, timore instantis lethi diuinitus iniecto perculsus, & totius vitæ crimi-

nibus confessione lustrandis, & aliis Sacramentis obeundis se religiosè instruxerat. Nostri spiritualibus meditationibus instructi maiore cum studio & diligentia laborarunt. Ciuitas enim, cùm Societatem & amet, & faciat plurimi, copiosam benemerendi materiem præbuit. Falsus rumor de honestæ virginis impudicitia disseminatus ipsam vt laqueo mortem sibi inferret, ni prohibita esset, impulerat, & nonnullis exitium allaturus videbatur. sed, Deo propitio, res tota per vnum ex nostris probè composita, falsa opinio omnibus exempta, virgini honor restitutus, parentes & cognati egregiè Societati deuincti. In proximos pagos doctrinæ inopia grauiter laborantes, sacerdotes duo per Aduentum & Quadragesimam pedites & precariò quærentes victum festis diebus excurrerunt, insigni paganorum vtilitate, nec minori contentione ad quos primùm Patres adirēt. quin & ipsi per annum hoc Collegium, ad expianda peccata, & communicandam conscientiam, frequentes petunt. adeò nostram operam probarunt. Ex prædio etiam S. Magdalenæ, quæ nostrorum æstiua commoratio est, Parochis rogantibus missi aliquot vberes fructus, cum ingenti approbatione, reportarunt. Primariæ feminæ, quæ vel rei, vel sermonis nihil vnquam cum nostris contulerat, tantus erga Societatem amor & obseruantia insedit; vt, reiectis contraria hortantium vocibus, semel in hebdomada, (non enim sæpiùs valetudinis imbecillitas permittit) Pœnitentiæ & Euchatistiæ Sacramenta obitura ad nostrum templum sella feratur. ad congerenda in Societatem beneficia tota videtur esse intenta. B.P. Ignatium egregio colit studio, ad cuius imaginem exprimendam pecuniam contulit. eidem lampadem parauit ex argento; pretiosaque alia templi orna-

ornamenta curat facienda. Laicorum Sodalitio, in quo viri nobiles censentur, aureos ducentos quidam in sacelli ornamentum testamento legauit. Scholarium Cõgregatio & numero, & B. Virginis Annunciatæ luculenta imagine, ornamentisque aliis aucta. Lex de præmittenda omnium vitæ criminum confessione ante Congregationis ingressionem, hoc anno seruari cœpta. Humaniorum litterarum gymnasium maiori numero, maiorique in doctrina & pietate progressu, hoc anno floruit. D. Lucæ feriis Philosophia domesticis quatuor, externis sex & viginti tradi cœpit; tantam suis studiis oblatam oportunitatem grato animo ciuitate excipiente. Templi supellectilem piorum hominum liberalitas auxit. pro Eucharistia asseruanda vasculum aureorum ferè centum curatum.

Collegium Talabricense.

TALABRICÆ quo minor sacerdotum fuit numerus, & sacra obeuntium, vt in frequenti & nostri nominis studiosa ciuitate, maior concursus; eo maiori cum admiratione & plausu omnia Societatis officia in proximos collata. Viri ex omni ordine in oratione, pœnitentia, Sacramentorum vsu, & omni pietate assidui (res ante nostrum Collegium hîc exstructum insolita) in eadem mente & studio nostrorum cura conseruati. Ex eleëmosyna & honestorum hominum inopia leuata; & domi sacrum instrumentum tum aliis, tum locupleti planeta auro intertexta auctum. A Parthenianis Sodalibus, qui pro scholæ infrequẽtia pauci, infirmi in nosocomiis semel singulis hebdomadis & re, & piis ad confessionem exhortationibus adiuti. Ei Sodalitio Parochus litteris & vir-

tute nobilis ad excitandum aliorum ſtudium libens præfectus. In vicinis pagis perſæpe habitæ conciones, catecheſis tradita, confeſſiones à prima ætate plures exceptæ, diſcordiæ graues ſedatæ. Filius à matre, quam verbis malè tractatam pedibus pulſauerat, noſtro ſacerdoti confeſſus, ſupplex & veniam & manum oſculabundus petiit. Præſtitum ſolemne officium carceri & valetudinario: in quo illud accidit notabile. infirmus haud difficili morbo preſſus, ad confeſſionem inuitatus recuſat, imparatum ſe eſſe cauſatur. vrget ſacerdos, inſtat: dum præteritas noxas in memoriam reuocet, expectat. confitetur tandem infirmus. nocte proxima, præter omnium opinionem, repentè moritur. Sacerdote in foro concionante, quidam quid rei illic ageretur ignarus, vt forum celeriter petat interiùs admonetur; neque priùs animo vehementer agitari deſinit, quàm ad concionem accedat. exemploque quod tunc per occaſionem narrabatur, commotus; concionatoreque deinde conſulto, ex vitiorum cœno, in quo plures annos iacuerat, emerſit. Femina viro, cui iam biennium deſponſa conuiuere horrebat, noſtrorum operâ odio depoſito, beneuola ac læta ſolemni Eccleſiæ ritu tandem nupſit. Alia maritum mortem ipſi intentantem fugiens domum noſtram accurrit. eòdem maritus cùm veniſſet, noſtrorum precibus delinitus crimina confeſſione expiauit, & vxori eodem Sacramento luſtratæ placatus dedit veniam. Recentes alij coniuges animis & voluntate, cum populi offenſione, inter ſe diſſidebant. ſuſpicatus quidam ex noſtris (id quod res erat) illos ad matrimonium ineundum peccatorum confeſſione non ſe inſtruxiſſe, adeoque gratiam ad mutuum amorem, quæ in huius Sacramenti effectis cenſetur, non participaſſe, ad confeſ-

confeſſionem hortatur. poſt peccatorum onera apud noſtrum ſacerdotem depoſita coniunctiſſimis viuunt animis, nobiſque multum ſe debere profitentur. Quidam ad inimicum occidendum ſica inſtructus, dum domi noſtræ ipſum quærit, in ſacerdotem ſibi familiarem incidit: cuius ſermone commotus ſicam, vltionis ſtudium, & inimicitiam prorſus depoſuit. Monialis Societatis meditationibus inſtituta, adeò egregiè in omni virtutum genere profecit; vt reliquas ſorores in ſui admirationem, meditationum deſiderium, & Societatis obſeruantiam traxerit.

Collegium Bellomontenſe.

HIC decem ex noſtris humanioribus litteris addiſcendis operam dedêre. Auditorum in gymnaſio numerus maior ſolito; ad quingentos enim eſt auctus: qui optatos fructus copioſè reddidere, ſed copioſiùs in iis Parthenianæ Congregationis Sodales. Spiritualibus meditationibus noſtri omnes, quotquot aut infirma valetudo, aut iuſta occupatio non tenuit, per otium, ingenti, vt ſolet, cum vtilitate ſe dederunt.

Collegium Huetenſe.

INVISERVNT noſtri magno cum ſpirituali profectu & noſocomia & carceres: egenis ibidem retentis, feſtis diebus, cibos impertiti. conciones auditæ ſunt, præſertim Quadrageſimæ tempore, magna cum ciuium auiditate & frequentia. Scholaſticorum & ciuium vtraque Sodalitas charitatis & humilitatis muniis, Sacramentis item in templo noſtro ritè obeundis, miros per vrbem rumores ſpargit. Luſtrant opida ſæpenumerò noſtri

Patres,

Patres, Fratribus interdum comitati; colliguntque è copiosa messe non exiguos Domino manipulos. qui ex nostris in hoc seminario linguarum peritiæ incumbunt, pestilenti contagione hac anni æstate in vrbem ingruente ad prædium Iesus de Mõte, simul cum magistro missi sunt. domi mansere reliqui, & vrbis ægris & sanis adiuuandis parati. Sed illud eo tempore nobis accidit perincommodum. nam cùm ciues locum quærerent iis, qui quotidie peste inficiebãtur, opportunum; ad conuictorium & gymnasium nostrum deuentum est. quod, vt summa haberet cætera, totius certè vrbis saluti officiebat maximè, qua erat parte situm; & nobis erat omnino exitiale. tamen, quoniam ab eorum omnium incolumitate futurum esse existimabant, nobis contraria prædicentibus, quæ & res postea ipsa experimento non vana fuisse comprobauit; nostris neque concedentibus quod iniquum esse videbatur, neque aduersus populum ad vim penè concitatum valdè repugnantibus, quæ conati sunt omnia perfecere. Scholæ & conuictorium in contagione laborantium nosocomium transeunt: quibus cùm Collegium nostrum continens esset, ac nullus omnino id adire, aut templũ ingredi ob periculosam vicinitatem auderet; & medici commorantes eo in loco vitam tueri posse negarent; in ædes ad mediam vrbem sitas, relictis domi binis Patribus Fratribusque quaternis, commigrare coacti sunt nostri. In eas ædes confluebant ciues: Patres in templum ædibus proximum concedentes Societatis munera indefesso studio exercuere. tam ergo hi, quàm cæteri qui domi remanserunt, ægrotis sanisque mira alacritate suam operam deferentes, malum acceptum beneficiis plurimis compensarunt. Plurimùm à nostris hoc tempore insudatum est. fuisset q; sine vllius

vllius iactura, nisi vnus è Patribus, qui se opitulandis pestilentia affectis ex animo deuouerat, antequam optata exequi posset, ad eam mercedem per mediam mortē properasset, quam anteacta vita, piè & religiosè transacta cumulatissimam pollicebatur. Hęc res effecit, vt studia Grammaticæ hoc per anni curriculum intermitterentur, licet conuictorium & scholæ ab iis, quæ adhærere solent contagionis reliquiis, omni ope lustrata sint. Interea tamen, ne ciuium liberi & doctrinæ & temporis iacturam facerent, eorum rogatu, pro omnibus docendis magister vnus substitutus est. Scholastici verò nostri, vt ad diem S. Lucæ dicatum à Iesus de Monte rediere, humaniores litteras pristino more & studio persequuntur.

Collegium Securitanum.

Hoc Collegium duos alit magistros, vnum syllabariis scholis Pręfectum, alterum Grammaticæ perdocendæ muneri destinatum. Inopibus & retentis in publica custodia omni ratione subuentum est. Dissidia multorum & odia, & in primis Præfectorum Ecclesiastici sæcularisque ordinis sæpenumerò rescissa. Hìc Societas ex non magno agro vberrimos Domino percipit fructus, & Sacramentorum administratione, & diuini verbi semine tum hîc, tum in vicinis opidis feliciter iacto. Dici non facilè potest quantopere opidani & Sacramentorum percrebro vsu, & omnium virtutum actionibus quotidie augeantur. Societati verò cùm semper fuerint deditissimi, tum hoc anno præter cæteros maiora in nos beneuolentiæ signa, & grati animi significationem dedêre. ac sacerdos quidam Ioannes Rodriguez Santoyo, simul

mul cum ſorore Luiſia Suarez innupta, vterque & Deo & Societati impensè deuoti nobis ingens prædium irriguum, cum molendino binis inſtructo molis perquam munificè ſunt elargiti.

Collegium Toletanum.

INSTITERVNT quidam ex præcipua huius vrbis nobilitate, vt Collegium in ſedem aliam aptiorem multò transferretur, vt alterius eorum maior natu filius poſſet ſcholas noſtras adire: idque ad Nouembris exordium perfectum eſt, cum ſcholaſticorum omnium ordinum, præſertim nobilium incremento: quos omnes magiſtri duo ex noſtris in binas claſſes diuiſos iugi operâ ad virtutem & latinitatem informant. Sunt præterea ex iis decem ad diuerſas monachorum familias perducti, nō incœptis magis, quàm progreſſu & conſtantia inſignes. Et quamquam huius Collegij potiſſima opera in erudiendis ſcholaſticis locatur; non tamen in ſuſcipiendis confeſſionibus aliiſque Societatis officiis, tum in Domo Profeſſa, tum in hoc Collegio pro facultate obeundis aut contemnitur opera, aut deſideratur. Ad extremum Auguſtum Frater Baptiſta Monteſino temporalis Coadiutor auctus virtutum omnium ornamentis fato conceſſit.

Collegium Ocanienſe.

CONCVBINAM quidam habebat domi longo iam tempore: quam vt à ſe reiiceret perfecit quidam ex noſtris; & vt rectè confiteretur: quod per id temporis nunquam antè fecerat. Cùm in vicinum opidum quidam è Societate eſſet egreſſus, is animorum motus eſt conſecutus, vt neceſ-

ſe fuerit nocte, & ante lucem domi virorum, die verò toto in templo feminarum confeſſiones audire.

Collegium Carauacenſe.

IN vicino quodam opido tum alia quædam pietatis opera ſtrenuè obita, tum etiam illud curatum eſt, vt eorum qui in vinculis tenebantur neceſſitati, & in præſentia quum maximè laborabāt, & in poſterum deinde ſubueniretur. Caſtitatis votum virgo quædam emiſerat: quæ cognatorum ſuaſu de nuptiis iam, & nouo marito cogitabat. hæc æſtuans pauore, & ſubito quodam horrore perculſa accurrit ad quemdam è noſtris. narrat ea ipſa, quæ proximè anteceſſerat, nocte raptam ſe ad ſeueriſſimi iudicis horrendum tribunal; vbi violati propoſiti, & fidei cæleſti ſponſo datæ accuſabatur acerrimè, quòd ſponſo, quem vnum ex omnibus elegerat, impudenter abiecto, ad periturum viliſſimumque vermiculum animum adieciſſet. vbi autem ab eo, ſiue ſomno, ſiue maiori aliqua rerum imagine eſſet ſoluta; occurſabant animo tum aliæ omnino tremendæ rerum formæ, tum maximè iudicis ipſius vultus inflammatus. cumque facti pœnitentia animum miſellæ ſubiiſſet; ſic cœpit dolenter ſuam ipſa damnare leuitatem, & quod antea reliquerat amare conſilium; vt liberè iam & apertè fateatur vel propoſita rerum omnium commoditate, non tamen vlla ratione veſanam illam cogitationem iam ampliùs ad animum admiſſum iri. Implicuerat ſe quidam adoleſcens turpiſſimis amoribus vſque adeò miſerè, vt cum bona conſcientia pudorem quoque depoſuiſſe videretur. aggreſſus illum ſæpe fuerat quidam è noſtris, infelici tamen & irrito conatu. ad extre-

extremum orat hominem, vt aliquando veniat in noſtrum Collegium, & priùs ſanctiſſimam Euchariſtiam veneratus ſemel ſaltem *Pater* & *Aue*, coram B. Virginis imagine ſupplex recitet. admittit homo non grauatè rem nimirum leuiſſimam; ſed, quæ Dei benignitas eſt, vix octauo poſtquam cœpiſſet die, illa mentis mutatio conſecuta eſt; ſic vita ſuperior, ſic denique ſibi ipſe diſplicuit; vt alium ab eo credas, quem antea noueras. Confeſſus eſt cum magno doloris ſenſu, & in eo Sacramento ritè obeundo aſſiduus eſt, gratiaſque agit immortales Deo, quòd tam leue obſequium tam liberali miſericordia cumularit.


Collegium Conchenſe.

EA eſt de noſtrorum prudentia & litteris opinio, vt cùm Collegium hoc incommodo & alieno planè loco ſitum ſit; multi tamen Sacramentorum pietatiſque cauſſa eò confluant; ac libenter de ſuis rebus rationibuſque nobiſcum agant, relictis aliarum Religionum hominibus, quos propè ac vicinos apud ſe habent.

Reſidentia Almagrenſis.

IN Reſidentia Almagrenſi, vbi ſex è noſtris commorantur, copioſus ex illorum labore perceptus fructus: qui etiam in aliquot opida vicina redundauit. Aucta eſt de noſtrorum religione & litteris opinio: excitata multorum ſtudia atque beneuolentia: tantaque meſſis ex paucorum diligentia ad diuinum horreum aggregata, quantæ vix multorum hominum operæ ſatis futuræ videantur.

PROVINCIA ARAGONENSIS.



RAGONIÆ prouincia domiciliis tredecim continetur; Domo Professorum vna, Probationis altera, Collegiis nouem, Sedibus duabus. Socios 21. supra trecentos alit; Sacerdotes centum triginta sex, Scholares duo & septuaginta, Coadiutores reliquos. Admissi quindecim. vita functi septem.

Domus Professa Valentina.

ALVIT Valentina Domus Socios ferè quadraginta. Plerique hoc anno morbo tentati, ex quibus Petrus Ortinius Coadiutor temporalis formatus, post decem & octo annos in adiuuanda Societate peractos, mansuetudinis omniumq; virtutum illustria documenta reliquit, & ad cæleste stipendium, vt speramus, emigrauit. In locum defuncti suffecti quinque, Scholares duo, Coadiutores tres. Animũ excoluere piis meditationibus externi nõnulli, domestici plures. Ardet in nostris virtutum amor, seipsos vincendi studium, & admirabilis animorũ coniunctio, quam sancti Spiritus aura, cui templum dedicatum est, conciliare videtur. Profecti nostri ad publicas custodias, & capite damnatos ad patibulum prosecuti. Supplicium claudit semper opportuna concio, magno totius populi confluentis plausu & fructu. Vna die, quinque suspensi laqueo, & in frusta dissecti: singulos bini è nostris comitati, dum per compita raptarẽtur; tres natione Galli, non sine dolore animi palàm confessi, se aliquando hæ-

reticorum deliramenta secutos tandem resipuisse, & veræ fidei amore in Hispaniam aduentasse; magna suæ salutis spe apud omnes relicta, efflarunt animam. Adeò ingens hominum turba, præsertim sacri ieiunij tempore, in nostro tẽplo conuenit ad voluntariam diuerberationẽ, vt ad quingentos numerus excreuerit. Proponitur bis in hebdomada pium aliquod exemplum oratione fusiori. mox venitur ad verbera. Quadragesimæ tempore, vnus è nostris concionatoribus vberes tulit animorum fructus. multi totam vitam ritè expiarunt. Alij tres in diuersis parœciis concionem habuere. vnus Benauentano Comiti, qui pro Rege est, in priuato sacello aulæ regiæ, quò sæpiùs toto anni cursu, aduocatur. Ipsius Comitis accessus ad nostras ædes extitit frequentissimus. Conciones in nostro templo hominum frequentia celebriores; quarum occasione multorum inopia subleuatur erogata pecunia. Inualescit in dies Valentinorum pietas in B. P. N. Ignatium. In sacello quodam, vbi Christi effigies cernitur Ignatij & Sociorum curam suscipientis, dum Romam peterent, multa pendent cerea & argentea donaria. Ægroti passim eiusdem lipsana, quæ apud nos asseruantur, ardenter expostulant; alij vncti oleo è lychno pensili eiusdem sacelli, salutarem & mirabilem experti medicinam. Miracula nonnulla hoc anno, probata iuramento, Archiepiscopi auctoritate interposita. Nobilis femina 60. aureos sericæ vmbellæ conficiendæ ad sacellum ornandũ: quinquaginta lipsanothecæ altera tribuit. Ne sæpiùs repetam, quæ toties de Sodalitiis in hac domo institutis inculcata sunt, illud vnicum adferre libet, quod plerique non sine admiratione obseruarunt, omnes Sodales pacatissimo animo extremum obire diem. Nobilium cœtus multorum è nobilissi-

mis

inis acceſſione, auctus eſt & cumulatus. Duo deſignati ſingulis hebdomadis xenodochio inuiſendo vni mercedem ſtatam habent, qui ægrorum lauet manus, reſecet vngues: eorundem eleëmoſynis & induſtria ſoluti vincti ducenti quinquaginta. Alij è Sodalitio opificum & plebeiorum cibaria ad vinctos deferunt in hebdomada ſemel: omnes ſibi & proximis diligentem nauant operam. Poſtremis Bacchanalibus precatio quadraginta horarum inſtituta, celebritate quam maxima & apparatu ſingulari; collucentibus vndique cereis facibuſque, cantu vario & harmonico, intermixtis quatuordecim concionibus breuioribus, antemeridiana & pomeridiana luce. tanta erat frequentia, vt anguſtiis templi alioquin ampliſſimi excluderentur plerique. Auertit & fregit continua celebritas licentiam populi furentis. celebritatem auxit Proregis & Archiepiſcopi præſentia. Simili apparatu ſolemnitas Corporis Chriſti octo diebus continuis peracta. Antiqua ſacerdotum congregatio inſtaurata eſt, & redintegratæ conciones iiſdem haberi ſolitæ, quę fuerant intermiſſæ. Mirabile ſanè omnibus & gratiſſimum eſt, vna eademque hora, diebus Dominicis, à noſtris cōcionem haberi in templo, in foro, in vtroque Sodalitio, plena vbique concione. Excurſiones factæ quinque magno animorum lucro. quotidianæ habitæ conciones, quotidie traditus catechiſmus. auditæ confeſſiones quamplurimæ. multi agitationes taurorum & alias pompas auerſati, vt ad noſtros accurrerent, animum expiaturi. Conciones in hac ciuitate adeò frequentes ſunt, vt octo concionatores è noſtris vix ſufficiant. Coëmptæ ſeptingētis aureis vicinæ aliquot ædes, vt amplior noſtro templo pateret aditus. Copioſior nobis numerata eleëmoſyna, vt ære alieno

domus leuata fuerit ad mille aureos; totidem breui sumus accepturi largitione concessos. Sacra supellex aucta est, aureis sexcentis in sacras vestes & argentea vasa impensis.

Collegium Valentinum.

TENVERE Collegium quadraginta, magistri quatuor. duo Theologiam disputatricem edocent. tertius sacræ Scripturæ interpres, & Hebrææ linguæ professor. quartus morales tradit controuersias. Floruit semper litteraria res. Theses solennes habitæ, nobilium patriciorum & Doctorum frequentissimo consessu. Duo è nostris Academiam frequentarunt humanæ Philosophiæ discendæ caussa, & multos diuinam docuere, qui nostrorum congressu & exemplo se ad meliorem frugem receperunt, plures ad alias Religiosorum familias, in Societatem duo. Ineunte anno totidem vitæ cursum emensi; vnus emenso Theologiæ cursu, non ætate sed virtute maturus: alter Coadiutor tẽporalis animi submissione insignis, & in labore strenuus. vterq; magnũ sui desideriũ reliquit. Anno labẽte excessit è viuis P. Hieronymus Roca septuagenarius: annos tres & quadraginta in Societate vixerat, post emissam quatuor votorum professionem, triginta tres. Murciæ natus, & in Societatem adscriptus, dum Murcianum Collegium Aragonia prouincia contineret: quando verò Toletanę tributum, apud nos mansit. variis Collegiis Rector præfuit annos viginti; triennio prouinciam moderatus. vir insignis ob naturæ dona, insignior ob virtutes animi. eximia integritate præditus; morum suauitate, innato animi candore, litterarum peritia, excellentique studio instituti clarissimus. Animi trãquillitatem vultus hilaritas,

hilaritas, & inconcussa rerũ omnium moderatio præferebat; vt nec animo cõmoueri vnquam, nec perturbatione aliqua tangi videretur. Obedientia omnibus mirabilis, eius caritas in proximos in contagiosa lue bis in diuersis locis probata est, dum cõsilio & opera summa sedulitate affectis consuluit. Tandem semestri morbo oppugnatus illustria reliquit inuictæ patientiæ & obedientiæ documenta, plenusque dierum & virtutum occubuit. In Sodalitio Deiparæ Virginis specimen dedêre Sodales doctrinæ pariter & pietatis, à nostris cum laude eorum saluti & eruditioni consultum. Dominicis diebus aliisque festis magnus fit concursus ad nostras ædes, ad audienda Sanctorum exempla, & voluntaria flagella suscipienda; indies augetur numerus aliis alios aduocantibus. Singularis extitit ex eo animorum fructus. Multi ritè peccata confessi, à quo multis retro annis impiè abstinuerant. nonnulli pellices auersati Vnus contra Deum lethale odium conceperat, nefaria & turpissima perpetrabat scelera, non vt libidinem expleret, sed vt iniuriam & molestiam numini adferret, quantam posset. ita pertinaciter animum obdurauerat, vt sacrum Christi corpus per compita circumferri visum animo pedibusque fugeret. ad Collegium tractus vt concionantem audiret, resipuit. Aliqui ex iis, qui in iis exercitationibus facem præferunt, cùm piscationi operam darent; laxatis iam retibus, patrio more, sudibusque præfixis, in tuguriolum ad paludis oram conuenêre, vt interdum diuinos miscerent sermones. vnus retibus intendens scapham vidit hominibus instructam, qui aut retia soluere, aut pisces extrahere conabantur. socios monet, clamoremq; miscet. ad arma omnes accurrunt, cymbam conscendunt cum hostibus pugnaturi: sed tamen

ſubitò ſpectrum euanuit. dum ad littus proram dirigerent, ſcapha iterum ab omnibus viſa. clamant illicò è latibulis emergere fures: ſecundò irruunt, verùm irrito conatu; euanuere præſtigiæ; retia integra inuenta. ad tuguriolum ſe recipiunt, non ſine rubore, quòd dæmonis inſidiis capti pia intermiſerint colloquia. Carceres iidem & noſocomia ſæpe adeunt: vinctos ægroſque ſolatio, ſtipe reficiunt. Supellex ſacro veſtiario donata ſatis magno pretio æſtimatur.

Collegium Gandienſe.

NVMERATI ſunt Socij ſeptem ſupra viginti, ſacerdotes ſeptem: vnus Philoſophiam tradit, accipiunt è noſtris ſcholares octo. duo item latinitatis profeſſores iuuentutem inſtruunt. Integra omnes valetudine vſi, animum doctrina & pietate ſedulò excoluere. cuncti ferè piis commentationibus imbuti. Proximis vtiliter opera nauata eſt. Ad noſtras ædes & conciones populus multo frequentior extitit. Vnus annos triginta crimina ſuppreſſerat, ritè noſtris confeſſus in inſtituto perſeuerat. Numeroſam puerorum turbam in noſtro Collegio congregat, qui eos prima ſcribendi elementa docet, noſtri catechiſmo inſtruunt. Xenodochij miniſteria ſummo ſtudio procurant mulieres quinquaginta, hebdomadaria cura ſingulis diſtributa. noſtrorum auctoritate & conſilio res inſtituta eſt, & indies promouetur. In Sodalitium Deiparæ multo plures adſcripti ſunt, omneſque nouum dedêre ſpecimen virtutis & doctrinæ. Aliud Sodalitium recèns inſtitutum maiorem melioremque totius opidi partem continet, nouoq; ſplendore floret. In Bacchanalibus debacchantis turbæ licentiam frænare, felici

euentu,

euentu, Sodales tentarunt. Propoſita palàm ſacra pyxis: habita concio ante mediam lucem & pomeridianis horis, in ſacro ſolenni. diuina myſteria primò Sodalibus, aliis deinde quàm plurimis cõmunicata. cantu & ſymphonia redditus celebrior apparatus. tãta denique ſpiritus dulcedine omnes, qui aderant celebritas compleuit, vt lætiora & iucundiora Bacchanalia nunquam ſe vidiſſe pleno ore faterentur. ea nocte acerrima diuerberatio à pleriſque ſponte ſuſcepta: toto tempore Quadrageſimæ diebus ſingulis, quater per ſingulas Aduentus hebdomadas: reliquo anni, bis. Ducentos ſeptuaginta ſeptem à cuſtodiis publicis liberatos captiuos publica recenſuit auctoritas. In hoc Collegio & Academia Theologiæ doctoratus laurea ornati duo: adfuit clariſſimus Gandiæ Dux, qui ſæpe ſuo conſpectu gymnaſium ornat. Alij quinque è Murciano Collegio Societati etiam addicto Philoſophiæ donati laurea, doctrinam & pietatem à noſtris hauſtam noſtris externiſq; teſtati. Apertæ exedræ in ſtudiorum inſtauratione, oratione graui & polita, coram Duce Carolo aliiſq; primoribus viris. Habitæ conciones ad Eccleſiaſticos, magna Canonicorum aliorumq; frequentia fructuque. Noua contignatio a fundamentis excitata eſt, eiuſque dimidia pars confecta, reliqua promouetur. Aurei tercentum dono miſſi in ædificium & ſacrum veſtiarium impenſi. In ſacello maiori marmoreæ baſes, aliæque ex iaſpide exciſæ collocatæ ſunt, magno templi ornamento. In ditione Gandię vniuerſa mirabilis apud omnes pietas excitata in B. P. N. Ignatiũ in dies fouetur miraculorum frequentia. Duo & ſeptuaginta hoc anno multorum teſtimonio comprobata publici tabellionis confirmauit auctoritas. adeò peruaſit in omnes ſingularis deuotio, vt multi ſtatas pre-

ces ſingulis diebus perſoluant; & voto obſtrinxerint ſe multi Ignatij obitus diem in eiuſdem memoriã piè colere, & in peruigilio ab eſu carnium abſtinere. Ignatij nomine filios ornant plerique, dum ſacro fonte lauantur. Vulgaris iam apud omnes conſuetudo increbuit in ærumnis & periculorum occurſu, Dei, Deiparæ & Ignatij nomen proclamare. Nouemdiales preces frequentes fiunt in ſacello noſtrarum ędium Chriſti ſanguini conſecrato, in quo Parentis noſtri pendet effigies. Multi accenduntur in eo cerei, ſimulacra cerea & argentea, eorumque ſindones quibus deſperata ſalus, claudorum fulcra, pictæ tabulæ appenduntur: vota continuò reddunt quàm plurimi. Communi ſtudio eodemque ardentiſſimo, conquiritur vndique Ignatij effigies, vt ſit oratoriis ornamento adflictiſque præſidio. Neque ſpe fruſtrati: multorum namque ſalus corporis animique conſecuta eſt. Singularis Gandienſium pietas & ſtudium, clariſſimum Gandiæ Ducem mouit, vt litteris ad ſummum Pontificem miſſis, Gandiæ geſta renuntiaret, oraretque vt de Parente noſtro in Sanctorum numerum adſcribendo ardentiùs ageretur.

Sedes Orcelana.

SOLEMNI Aduentus Chriſti tempore ſuperioris anni, duo ſacerdotes Orcelim miſſi mirum in modum ciuium animos conciliarunt. Habuit vnus conciones non minùs frequentes, quàm vtiles; alter comitate gratiſſima cunctos ſibi deuinxit. Noſtræ Societatis, noſtrorumque amore capti Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentis inhiarunt. Excurſione in opida vicina ſubinde facta vberrima tulere noſtri animorum ſpolia. Ii primi fructus

fructus nascentis in hac vrbe Societatis Præsulem Orcelensem aliosque ciues nobiles excitarunt, vt de nostris in eo opido retinendis, & sede stabili designanda seriò agerent, & prima domus Probationis iam fundatori Ludouico Martino concessæ iacerentur fundamenta. piis conatibus obstitere nonnulla, ideo res peragi non potuit. Verùm ne eorum votis & studio deesse videremur, visum est moderatori prouinciæ, sedem inibi interdum collocare. Ineunte sacro quadraginta dierum ieiunio, sedem inierunt sacerdotes quatuor, biniique Coadiutores. Non defuit nostris probandę virtutis occasio, qualem rerum initia secum adferre solent. Fructus tamen attulit labori solatium: quàm plures namque in nostris ædibus vitæ noxas eluunt confessione, & diuino pabulo animum reficiunt: maior tamen esset animorum seges, si templum habendis concionibus, aliisque ministeriis obeundis suppeteret. Mense Iunio viginti quinque primores viri de Sodalitio instituendo iniere consilium. Peracta res est, & maiora indies incrementa sumit, quadraginta iam numerantur Sodales, qui magna pietatis & ardoris animi signa exhibent. ægris, vinctis, aliis pietatis officiis sedulò incumbunt. Episcopus Orcelanus nostrorum consilio sæpe vtitur, in rebus grauissimis conficiendis; & vnà cum senatu & aliis honestissimis viris transegit, vt eleēmosyna ad alendos aliquot è nostris impertiretur, quousque annuis fundationis reditibus frueremur. In nobiliori parœcia festis diebus explicantur fidei rudimenta: catechismum excipit concio, magna paruulorum adultorumque frequentia & commodo Femina honestissima tanti Societatis ministeria facit, vt palàm dictitarit, se vitam diurno penso quæsituram, opibus in nostrorum vsum impensis, nisi na-

turæ vinculo hæredi filiæ opes deberentur, vt in hac vrbe Societas permaneret. Nobilis honestusque vir Sodalitij alumnus graues pertulit vexationes à procaci infimæque sortis homine suis ædibus vicino, minas dedecore plenas & contumelias ab eo sæpe iactatas mirabili constantia fregit. cumque in alio rerum statu ipse aliique suæ sortis homines alterius sanguine & morte vix satiari potuissent; tolerantior in perferendis, quam pertinacior alter in inferendis iniuriis omnibus visus est. alterius improbitatem seque ipsum vincere contendens, ad moderationem eius petulantiam studuit reuocare: verùm conatus irriti. Eques verò vxoris precibus compulsus, viros ádit pietate insignes, rem narrat, seque paratissimum esse subiungit ad multò acerbiora perferenda. Verùm illi hominem hortantur, vt auctoritate publica a vicinia saltem illum arcere procuret, ne virtus toties offensa læderetur. Re cognita Prætor vrbis acerrimè in alterum inuehi meditabatur; ipse tamen conscientię stimulis agitatus fuga salutem petiit.

Collegium Cæsaraugustanum.

HABVIT Cæsaraugusta Socios quadragintasex, sacerdotes viginti, scholares duodecim; ceteri temporalia procurant: è quibus vnus excessit è viuis inter eos cum laude versatus. Philosophiam vnus docet: alter Christianæ vitæ officia explicat, magna omnium approbatione auditorumq; frequentia Incubuere nostri animorum cultui summo studio ac diligẽtia. Catechismi, confessionum & concionum fructus extitit copiosissimus. Multi, quibus animi desperata salus, in spem salutis reuocati. Vnus interficere vxorem constituerat, nostrum

ſtrumq́;ſacerdotem vxoris confeſſarium pugione confodere:ter Collegij limina tetigit,eo conſilio; toties gradũ reuocauit,intentata re. ad ſe tandem diuino beneficio rediit; eundẽ adit confeſſarium, rem narrat, eiuſdemque auctoritate, re cum vxore compoſita ambo, ſumma animorum coniunctione,eodem vtuntur confeſſario. Alter ſicarium conduxerat, qui duos tréſve à quibus grauem acceperat iniuriam, è medio tolleret. Noſtri ſacerdotis induſtria læſi honoris inſtaurationem pax conſecuta eſt. Nupta eſt femina viro,qui eam per vim abripuerat. Reſtituta matri puella, per fraudem in loca remotiora deducta. Terni ſacerdotes regni opida circumiere, opulentiſſimis onuſti animorum mercibus domum regreſſi. Duo Archiepiſcopum diœceſim obeuntem tres menſes continuos comitati propè infinitum confeſſionum numerum exceperunt: pluſquam mille totius vitæ noxas eluêre. In opidis triginta ne vnus quidẽ ſuperfuit, qui è Præſulis manu ſacram ſynaxim non ſumeret. Sedatæ rixæ quam plures, extinctæ ſeditiones,multi a turpi pellicum amore vindicati, aliique vero iuncti matrimonio. Sodalitium Parthenium in hoc Collegio quadripartitum eſt: Theologi & Philoſophi vno contenti: alterum Rhetores cõtinẽt,tertium opifices, quartum nobiliores viros. Horum bini quotidie noſocomium adeunt, totidem cuſtodias publicas, vt vinctos ęgroſque ſolatio & eleëmoſynis ſubleuent. Soluti vincti hoc anno ſupra ducentos;aliiſque in poſterum ſoluendis vnus è Sodalibus aureos ſeptuaginta, nobiliſque femina centum perpetuò addixit. Quadraginta horarum ſupplicatio maxima apparatu,ludorum Bacchanalium feriis,in noſtro templo peracta eſt. Hoc anno B.P.N Ignatij nomen miraculorum teſtimonio in hac vrbe illuſtrari

ſtrari cœptum. Femina honeſtiſſima in partu difficillimo omnem ſalutis ſpem abiecerat; B. Ignatij reliquias venerata, collegit vires, & omnium admiratione fœtum emiſit mortuum, incolumiſque permanſit. Alia miracula publico teſtimonio firmata ſeorſim continuò mittentur. Supplicationem inſtitutam in honorem diui Raymundi recèns in Sanctorum numerum adſcripti celebrarũt noſtri, ara ornatiſſima exc tata cuiuſq; generis carminibus conueſtita. Vnus etiam è noſtris in cœnobio D Dominici concionem habuit S. Raymundi & Dominicanæ familiæ laudes cum laude proſecutus. Vir pietate inſignis noſtrique ſtudioſiſſimus in ara maxima noſtri templi magnificum conſtruxit tabulatum ſimulacris auro fulgẽtibus diſtinctum. quingentis aureis ſupra duo millia æſtimatur: die natiuitati Deiparæ ſacro à Cæſaraugustano Archiepiſcopo ſolemni ritu conſecratum eſt. Sacra myſteria Iacenſis Epiſcopus peregit, & Oſcenſis Præſul concionem habuit.

Collegium Bilbilitanum.

BILBILI numerati Socij ſexdecim. è nouem ſacerdotibus tres iuuentutem humanioribus literis informant Acceſſit hoc anno quartus magiſter: indies enim copioſa alumnorum ſeges incrementa ſumit. Euolauit ad Superos P. Ferdinandus Lopez, Bilbilitanus, profeſſus quatuor votorum. quintum ſupra ſexageſimum attigerat annum; ſeptem & quadraginta in Societate tranſegerat; profeſſionem triginta ante mortem annis emiſerat. toto vitæ curſu magna nobis virtutum documenta reliquit, quem ſumma tranquillitate confecit. Obita vicina opida, magno animorum lucro, & Societatis exiſtimatione. Familiæ duæ

nobiliſſi-

nobilissimæ odio inueterato dissidentes cunctos vnius opidi ciues, intestina seditione, in suas traxerant partes. vicesimum iam annũ odiis & contentionibus certabant. nostrorum consilio & operâ res in concordiam reuocata est. factionum principes expiata conscientia sese amicissimè sub omnium oculis mutuis amplexibus prosecuti pariter in eadem mensa consederunt. Hæc res omnium sermonibus celebrata opinionem Societatis mirificè auxit. In nostras scholas noua ars Grammaticæ à Rege Philippo vulgari iussa introducta est, magna omnium approbatione & auditorum incremento Drama datum hoc anno de historia Iudith, maximo honestissimorum ciuium concursu & apparatu ornatissimo. Eminet in Sodalibus partheniis pietas: cuius scilicet illud argumẽto est, quòd eorum complures ad varias sacrorum hominum disciplinas se applicuerint, multi nostram Societatẽ cogitent. Nostrorum ministeria in hac vrbe Deo grata esse probauit euentus sanè singularis. Petrus à Santangelo nobilis inprimis vir & Iuris vtriusque Doctor hæreditatem opulentissimam nostro Collegio legauit, nihil singulare Societati præscribens, nihilque exigens quod oneri esset; solum enixè precatus, vt pro illius anima ea suffragia fierent, quæ nostra nobis caritas præscriberet. addidit se à nostris desiderare, ne instituendæ iuuentutis Bilbilitanæ prouinciam desererent, neque legata persoluendi curam abiicerent: quibus omnino persolutis, reliqua erũt Collegio triginta aureorum millia; totaque hæreditas octo & triginta aureorum millia superabat. dum inter viuos degit copiosissimas erogauerat eleẽmosynas, nostrisque quàm plures & opulentas sæpe testamenta secreta condiderat, semper q; Societatem dixerat hæredem. dum conderet, de

more

more habebat ſublatis in cælum manibus oculiſque, ſcribæ quo vtebatur dictitare, Tanta perfundor hoc facto lætitia, vt à ſolo Deo mihi hanc mentem immiſſam fuiſſe apertè videam. Quoties teſtamentum iterauit, toties onera & conditiones detraxit, illud ſæpe ingeminans, Hoc facio, quia ſingulari hæredes proſequor amore. Reſignato teſtamento quarto poſt obitum die, vt ipſe iuſſerat, res admirationem peperit & gaudium toti ciuitati quod in communem vtilitatem cederet, eiuſque cognati ditiſſimi & nobiliſſimi antiquam retinent in Societatem beneuolentiam. Per omnes Hiſpaniæ prouincias tria ſacra ſingulis ſacerdotibus indixit P.N. Generalis, dignuſq; eſt inſignis benefactoris appellatione, & Societatis amantiſſimi, quique nos arctiſſimis deuinxerit officiis. Præſtituta die, qua hæreditatem adire oportebat, celebri apparatu illi ritè in noſtro templo parentauimus. magnificum ereximus tumulum, collucentibus vndique facibus, epitaphiis, omnique carminum genere ornatum. P. Prouincialis ſacra myſteria ſolemni ritu peregit, illiuſque pietas & ſingulare facinus habita concione celebratum eſt, ſumma Epiſcopi aliorumque primorum, qui aderant gratulatione. Ad hæc aucta eſt res familiaris Collegij nouo prædio. templum ornatius redditum, & domeſtica habitatio nouo ædificio paulò accommodatior.

Collegium Turiaſonenſe.

VERSATI in hoc Collegio Socij quatuordecim, ſacerdotes octo, ſcholares duo, reliqui Coadiutores. quanto fuit noſtrorum numerus exilior, tanto alacriùs cultui animorum inſudatum eſt. Obita omnia Societatis miniſteria in animorum

ſalute procuranda. pauperum indigentiæ in valetudinarιιs, & carceribus ſubuentum. Vnus qui obſtinato animo teterrimis facinoribus diu inhæſerat, & aliis tribus venenum parabat; noſtri ſacerdotis hortatione ritè confeſſus omnem animi prauitatem abiecit. Alter quadriennio ferè multis peccatorũ illecebris irretitus, & ab Eccleſiæ communione ſeiunctus vixerat; proximo mortis periculo territus noſtrum accerſiri iubet confeſſarium; illius operâ Eccleſiæ communioni reſtitutus ſeſe ſacrorum præſidio diligenter communiit, & magna ſalutis ſpe morti occubuit. E duobus turpi amore coniunctis capitis periculum euaſit vnus, vterque diuino cultui addictus. Excurſio facta in vicinum opidum magnam peperit incolis vtilitatem, Societati exiſtimationem. Iuuentus in tres claſſes diſtributa pietatis & doctrinæ prouentum facit. Sodales vtriuſque Sodalitij ſacella pictis tabulis & imaginibus ad venuſtatem & pietatem ornarunt. Excitata quoque Turiaſonæ pietas in B.P.N.Ignatium, multiſque aucta miraculis, quæ publico teſtimonio recenſita mittentur. Pietas multos in noſtrum compellit templum, vbi coram eius effigie ſtatas preces & vota perſoluunt, eiuſque opem implorant.

Collegium Barcinonenſe.

RECENSITI Socij triginta; ſacerdotes quindecim, ex iis duo Theologiæ profeſſores, noſtris ſcholaribus ſex, ingentique prætereα externorum turbæ operam dant. Chriſtiani hominis officia hoc anno explicari cœpta, magno auditorum concurſu & plauſu. Academiæ Doctores & Religioſarum familiarum plerique ad noſtras menſtruas theſes ventitant, & noſtros crebrò ad

ſuas

ſuas inuitāt magna amoris ſignificatione. Actum ſolemnem celebremq̄ue reddidit nobilium & litteratorum frequentia, celebriorem Proregis, Epiſcoporum & Canonicorum præſentia. Placuit omnibus doctrinæ & moderationis datum ſpecimen. Concepta de noſtrorum eruditione opinio multos ad nos mittit ſalutaris conſilij auidos. conciones frequenter habitæ exceptæq̄ue confeſſiones, aliaq̄ue Societatis officia vtiliter exhibita. Damnati ad triremes catechiſmo inſtructi. Sæpe cautum a Prorege & Magiſtratu, vt noſtris vberior probandæ caritatis materia ſuppeteret, ne alij, præter Societatis homines, ad ſubituros iudicio mortem accederent In maximo vrbis templo vnus è Societate Quadrageſimę tempore conciones habuit. multorū odia compoſita fuere. Varia vrbis loca catechiſmo perſonant ſemel in hebdomada, bis noſtrum templum ſe ſponte diuerberantium flagris; ter in Aduentu Domini & ſacro ieiunio: ſemperq; omnium ſtatuum ingens conuenit multitudo, quibus ad alendam pietatem, & animi ardorem excitandum pium aliquod exemplum antea proponitur. E duobus Sodalitiis vno continentur Scholaſtici, & Academiæ Doctores. fouetur in eo pietas & litteraria res. tres alumni Societati dederunt nomina bonæ indolis & ſpei adoleſcentes. Altera Congregatio cuiuſcunque ordinis complectitur homines: quorum ſingulare miſericordiæ ſtudium ciuitati vniuerſæ admirationi eſt, & Barcinonenſem Præſulem ac xenodochij Præfectum excitauit, vt quingentorum aureorum liberam adminiſtrationem ipſis traderēt, quos in vtilia miniſteria, & ægrorum indulgentiam noſocomium deſtinatos habebat. Sacellum ab eiſdem exædificari cœptum ad exercenda pietatis officia, quod, ſexcentorum aureorum ſumma

hacte-

hactenus impensa, ad fastigium promouetur indies. Sacerdotes duo Manresam profecti ad instaurandam B.P.N. memoriam, qui ea in vrbe suæ vitæ sanctissimæ tirocinium exegit. Viget apud nonnullos priscæ illius ætatis memoria, & parentis nostri facta testes oculati commemorant non sine animi sensu & dulci recordatione. Nostrorum aduentu & concionibus tota ciuitas vnà cum opidis vicinis ad Christianæ pietatis officia mirificè concitata est, omnes sacra confessione Deo reconciliati, & diuino pane refecti. vnus qui supererat postea Barcinonem pedibus contendit, vt id præstaret. Exarsit communis in P. N. pietas grandæuis paruulisque pænè insita; numinique fuisse gratissimam, miraculorum euentus confirmat. Coëmit vniuersa ciuitas septingentis ferè aureis diuersorium, in quo B. Ignatius degerat, dum Manresæ viueret, & vnà cum vicino templo Societati donauit, vt inibi filij parentis memoriam colerent, & tradita pœnitentiæ & caritatis exempla ad viuum expressa in posterum conseruarent. Peruulgata quoque Barcinone Ignatij fama miraculorum præconio: & Præsulis concionibus, qui de eius laudibus multa frequenter miscet. Effigies Christi ab Ignatio per speciem visi, cùm Romam appropinquaret, egregiè depicta est in nostro templo, operique conficiendo trecentos accepimus aureos.

Domus Probationis Tarraconensis.

CONTINVIT Probationis Domus Socios quadragintaquinque, veteranos nouem, tirones reliquos. Eorum nonnulli tertium tirocinij annum explent. P. B. N. piis commentationibus ferè omnes imbuti omni virtutum studio magna

animi contentione incubuere. Diebus Dominicis finitimos circumeunt pagos, & fidei rudimenta docent; eorumq́ue exemplo, & monitis plerique vitæ noxas eluunt. Archiepiſcopus Societatis amantiſsimus noſtras crebrò inuiſit ędes; in ſolenni Circumciſionis die apud nos concionem habuit. Non defuere noſtri externorum cultui & vtilitati in omnibus Societatis miniſteriis diligenter obeundis. Vnus ſolemnis ieiunij tempore in hac vrbe concionatus vberes tulit animorum fructus. Publica facinora, omnibuſq́ue inuiſa è medio ſublata, odia compoſita, ſeditiones impeditæ, quæ multorum cædem & ruinam minabantur. Nonnulli in opida vicina, expeditione ſuſcepta, onuſti ſpoliis domum remigrarunt. ad vniuerſæ vitæ confeſsionem excitati plerique. aliena bona dominis reſtituta. Vnius opidi primarij viri mutuo reconciliati ingenti omnium admiratione & bono. Humiles quoque pagos noſtri adeunt omnium ſalutis auidi. In opidulo ſeptem incolarum ædibus definito vna die centum capita prima luce conuenerant, vt conſcientiam noſtris aperirent, & Euchariſtiam ſumerent. Vnus adduci non potuit precibus & hortationibus, vt animum expiaret, verùm non multo pòſt obſtinati animi pœnas luit. detectæ ſunt neces & rapinæ, quas occultè patrarat, capitiſq́ue pœnas ſubiit. Alter qui diu nonnulla crimina turpi rubore ſuppreſſerat, concionibus de ſacra confeſſione auditis, ſacerdotem adit integrè expiaturus. verùm ad pedes confeſſarij prouoluto defuit animi robur. Ea nocte graui & repentino corripitur morbo, extremeq́ue laboranti cæleſtis porrigitur panis. Cumq́ue ſe in extremum vitæ diſcrimen adductum videret, vocem accepit è cælo lapſam: Hæc pateris quòd integrè animum non expiaueris; ſi euadere

cupis,

cupis,integrè confitere. Confeſſarium illicò accerſiri iubet, & corporis animique ſaluti reſtitutus meliorem inſtituit vitæ rationem, ne tanto beneficio ingratus videretur.

Collegium Gerundenſe.

Socii fuerunt hoc anno Gerundæ vigintiſeptem, ſacerdotes ſeptem; vnus Philoſophiæ profeſſor, tres humaniores tradunt diſciplinas. E reliquis Fratribus vnus item Grammaticæ inſtitutor,alij nouem rei litterariæ incumbunt: ceteri Coadiutores. Noſtrorum ſcholæ à pleriſque ciuium oppugnatæ. Ciuitas namque ſua gymnaſia acriter contendit in antiqua celebritate conſeruare. ſed tamen auditorum frequentia, & doctrinæ virtutiſque opinione noſtræ celebriores redditæ. Nobilior ciuitatis pars ad nos confluit, & vicini pagi filios inſtituendos mittunt. Drama datum noua his locis res & inſolita omnibus vehementer placuit.Inſtauratio ſtudiorum nouis declamationibus coram Epiſcopo aliiſque primariis viris celebrata eſt.Alio dramate noua S.Raymundi Peñafortij celebritas aucta eſt, eiuſdemque ſolemnis pompa altari eleganter conſtructo variiſque emblematum, epigrammatum & aliorum carminum ſcriptionibus illuſtrior reddita. Vnus è noſtris concionem habuit de eiuſdem Sancti laudibus apud Patres Dominicanæ familiæ,magna eorum grati animi ſignificatione. Quanto fructu noſtri in hac vrbe laborent, multa teſtari poſſent cum aliis Collegiis communia. vnum accipe ſingulare.Impudicus homo puellam honeſtiſſimam in agro pererrantem precibus, minis ac vi expugnare conatus eſt. ipſa inuicto animo hominis impudentiam vicit:vt frangeret audaciam fugam

arripuit, per loca septa vndiq; & vestita vepribus irruens, periculum euasit plena vulneribus, gaudioq; triumphans, quòd pudicitiæ florem illęsum inter spinarum aculeos conseruasset. Annua celebritas Corporis Christi octo diebus continuis peracta, vario symphoniacorũ concẽtu & insigni apparatu. Habitæ vespertinæ conciones diebus singulis magno populi concursu, ipseque Gerundensis Episcopus semel sub noctem sacra mysteria condere voluit, & circumfusæ turbæ benedictionem impertire. Initia Christianæ fidei quatuor in locis explicantur. Ad valetudinaria & carceres frequens est nostrorum accessus. Excursiones factæ quatuor per diœcesim vniuersam, fructu copiosissimo. Duæ vnà cum Episcopo diœcesim obeunte, qui nostris aderat cùm catechismus in compitis tradebatur, quod è vicinis opidis ingentem hominum turbam allexit. Sedatæ inimicitiæ publicæ, quæ detrimenta grauissima parturire videbantur. Multis persuasum, vt iniquè possessa restituerent; aliis vt præteritæ vitæ pertæsi meliorem inirent. Floret in Sodalibus pietas. vnus, mensis initio sortitus curam pacem à suo patrono implorandi, dum Sanctorum nomina singulis sortirentur; vt precibus & factis expleret officium, ad finitimum pagum contendit, in quo inueteratæ iam inualuerant seditiones, nec multorum conatibus restingui potuerant; ipse solus diuino beneficio rem totam facillimo negotio transegit. Voluntaria diuerberatio per singulas hebdomadas bis habita, ter in Quadragesima; eamque mirificè adolescentes ad pietatis officia stimulasse experientia docuit. B. P. N. Ignatij miracula totam prouinciam peruagata Gerundam vsque penetrarunt. Partus difficillimus in extremum vitę discrimen feminam adduxerat, & litteræ B. Ignatij ma-

nu

nu ſubſcriptæ è mortis periculo repentè liberarunt. Adoleſcens ſacro vnctus oleo iam moribundus eadem conualuit medicina, omnibus qui aderant ſtupore defixis. Quibus permotus nobilis Raphaël Agullana vnus è fundatoribus huius Collegij, vt pietatem in parentem morti proximus oſtenderet, qua filios, dum viueret, fuerat proſecutus; mille & quingentos legauit aureos, vt in noſtro templo nouum exædificaretur ſacellum, & B.P.N. venerationi conſecraretur.

Collegium Balearicum.

CENSA Maioricæ hoc anno capita noſtrorum vigintiſeptem, ſacerdotes quindecim; quorum duo humanioribus litteris iuuentutem informant; vnus Philoſophiæ curſum iniit; alter iam ferè peregit: quintus Chriſtianæ vitæ officia explicat. Ex Fratribus vnus Grammaticæ rudimenta docet, alij duo Philoſophiam diſcunt; reliqui ſunt Coadiutores. Horum Didacus Ruizius Caſtellanus & ſexagenarius extremum clauſit diem. Annos trigintaſex in Societate vixerat, eximia præferens obedientiæ documenta. Hoc habuit ſingulare, vt quoties loci & temporis copia fuiſſet, in genua procumbens ferè ſemper oraret. Inſtauratio ſtudiorum inſigni apparatu, & dialogo appoſitiſſimo reddita celebrior. Publica collata præmia iis, qui ſtrenui fuerant in ſtudiorum curſu. Adfuit Epiſcopus & vniuerſa ciuitas, noſtrorumque conſilia, in alenda pietate & doctrina, & ſtimulandis iuuenum animis mirificè laudant. Vnus Rhetoricæ alumnus in altera tibia adeò grauem contraxerat morbum, vt integram ſecari medici iuſſerint. adfuit vnus è noſtris, prehenſaque adoleſcentis manu, eius animum piis

meditationibus munire conatus, dum chirurgi carnificinam exercerent. Profuit consilium; iis etenim qui aderant, pauore exanguibus, ipse nullum dedit doloris indicium. Collegij ædificia indies promouentur: duobus aureorum millibus præcipuum templi sacellum ad fastigium peruenit. Die Virginis Præsentationi sacro, Maioricensis Præsul ritu solemni sacrificauit primus, magna ciuium frequentia. Philippi Regis classis, media æstate Balearicum tenuit portum: quæ magna fuit obeundis Societatis ministeriis occasio. Indicto namque militibus iubileo, innumera militum & nobilium manus ad nostros accurrit, vt vitam expiarent. inter eos Parmensis Dux clarissima stipatus familia, aliique Principes viri triremium Præfecti in nostro templo ritè confessi diuina mysteria sumpsere. Militum quàm plures variis morbis affectos in hac vrbe classis reliquit: quorum indigentiam nostri, corrogata vndique pecunia subleuarunt. duo quatuórve singulis diebus, pransuris vel cœnaturis ægris adfuere. Datæ aures confitentibus, quos propter morbi contagionem, & patrij sermonis imperitiam alij auersabantur. Vnus Christi vexilla, & Religiosam vitam deseruerat, nefariè militiam sæculi amplexatus. tandem graui morbo correptus totam vitam vni è nostris aperuit vbertim lacrymas profundens; postquam è morbo cōualuit, ad suæ Religionis castra reuertit. Sodales quoque non obscura dedêre pietatis & misericordiæ signa, sæpe nosocomia adire soliti, bellariis omnique cibariorum genere onusti. Scholaris vnus honestis & pecuniosis ortus parentibus, cùm omnes nosocomia fugerent, ne contagiosa lue inficerentur; illud psalmi à suo præceptore audierat vsurpari, ***Beatus vir, qui intelligit super egenum & paupe-***

rem,

vem, in die mala liberabit eum Dominus. qua voce accensus se totum xenodochij ministerio deuouit. mense integro in officio perstitit, cibos affectis porrigens. Tandem eodem morbo correptus, Congregationis Præfectum & confessarium accersit, quibus mira se lætitia extremum obire diem sæpe testatus, spiritum Deo reddidit, illud sæpiùs ingeminans, *Beatus vir qui intelligit super egenum*, &c. Noster sacerdos in custodiis publicis de Sacramẽto Pœnitentiæ verba faciens, addidit, multos hoc remedio capitis periculũ euasisse: illicò vnus ad sacerdotis pedes prouolutus, magno animi sensu, peccata confessus, postmodũ mortis pœnam euasit, quam alij eiusdem criminis participes subiere. Catechismus in nostro templo & alia vrbis parœcia traditur magno fructu. Ad quatuor præcipua insulæ opida nostri in expeditionem missi, magnam attulere vicinis vtilitatem. Parochis admirantibus, innumeræ auditæ confessiones. Iniquè vsurpata pecunia, & nominis fama detracta dominis restituta. Multi inuicem viri opulenti & nobiles veniam deprecati, magno populi plausu & gratulatione. Vir vnus, & diu à sacra confessione impiè abstinuerat, & aliquando in ea sacrilegè crimina suppresserat. sæpe dæmonũ spectris, vocibus ac minis territus, vt de salute desperaret: semel graui morbo oppressus, & acerbiùs multo à dæmone vexatus (impleuerat enim desperatione mentem, & fauces arctissimè constrinxerat) ipse iam penè exanimis Virginis opem implorauit. monitus statim, voce è cælo missa, vt ad nostros animum expiaturus accurreret; surgit è lecto, & ad Collegium recta contendit, vbi peccata confessus, gaudio plenus, corporisque sanitati restitutus domum reuertit.

PROVINCIA BÆTICA.



ABET prouincia Bætica in duodeuiginti sedibus, vnum & septuaginta supra quadringentos Socios: octogintaquatuor ex iis quatuor votorũ professos, trium octo, Coadiutores formatos spirituales septemdecim: reliqui biennij vota fecerunt. In domo Professorum Hispalensi sexagintaquatuor, sacerdotes ex his octo & viginti. In Collegio Hispalensi sexagintaseptem, sacerdotes viginti, scholares quinque supra viginti. In Cordubensi duodesexaginta, sacerdotes vnum & viginti, scholares viginti. In Granatensi quinquagintaseptem, vndeuiginti sacerdotes, sexdecim scholares. In Montellano septuagintaseptem, duodecim sacerdotes; si tres addas ex iis qui probantur, cæteri sunt nouitij, præter paucos Coadiutores. In Marcenensi tredecim, septem sacerdotes. In Xerecensi decem, sacerdotes sex. In Vbetano septem, sacerdotes quatuor. In Baëzano quindecim, septẽ sacerdotes. In Cazorlano & Gaditano quatuordecim, in illo sacerdotes septem, in hoc quinque. In Trigerensi nouemdecim, octo sacerdotes. In Residentia Guadixensi quatuor, sacerdotes duo. In Astigitano Collegio tredecim, sacerdotes sex. In Fregenalensi decem, sacerdotes sex. In Malacitano vndeuiginti, sacerdotes septem. In seminario Anglorũ Hispalensi nouem, sacerdotes quinque. In Residentia Antiquarensi quatuor, sacerdotes tres. Ex hac vita concesserunt quinque supra viginti, septem ex his sacerdotes; accesserunt verò tres & quadraginta: ex quo numero vigintiquin-

que

que ſcholares ſunt, cæteri Coadiutores: quatuor autem à Societate dimiſſi.

Domus Profeſſa Hiſpalenſis.

NOSTRORVM in hac vrbe Hiſpaniæ opulentiſſima ac frequentiſſima, ſtudium ac labor in obeundis ſtrenuè Societatis muneribus eminuit, tantumque affuit, vt ſæuiſſima præ aliorum annorum peſte retardaretur, vt tam bona oportunaque occaſione, excitatus fuerit ardentiùs. Sacerdotum numerus, qui peſtilentia correptis vocati adeſſent, maior iuſto deſignatus. alij ne vocati quidē ad ægrotorum domos itabant: quos, cùm peccatorum moleſtiam confeſſione leuaſſent, confirmabant deinde, & ad libenter, & cum fiducia ex hac vita cedendum hortabantur ex præſcripto alij domi manſere. quos inſtantis mortis metus, aut manifeſta lues ad noſtras ædes egiſſet (quorum numerus ingens & quotidianus erat) eos alij exceperunt, ac purgatis confeſſione communioneque animis amittendæ ſalutis æternæ metu liberarunt. Non dubia hîc ac trepida noſtrorum virtus, qui neminem quamuis peſtifera notum laborare contage, à ſe reiecerunt. nec ſolùm hæc obiuere officia deſtinati; ſed illi etiam, quibus honeſtè licebat, periculi expertibus domi ſe cōtinere. In hac vrbis perturbatione Sodalitas illa, quę paucis antè annis ex clericorum flore inſtituta eſt; ſuum tenuit antiquum, immò aucta numero eſt, atq; deuotione. ſupra ſeptuaginta iam recenſentur, & pietatis munera, in quibus admirabili ſe cum feruore exercent, varia pro eorum numero ſunt. Xenodochia plerique ſtudioſè inprimis inuiſunt, carceres publicos adeunt, vtrobique magnacum ædificatione videntium, animos atque

aures more nostrorum accommodant. quarum confessionum fructus tum ex lacrymis pœnitentium, tum ex vitæ morumque mutatione, egregiè constat. Festis deinde diebus ingentem seruorum multitudinem destitutam plerumque, vt satisfacere diuino præcepto talibus diebus assuescat, in templa cogunt, coactæ sacrum faciunt, postremò doctrinam Christianam, cum apposita eorum ingeniis, breuique explicatione tradunt. Neque hic contracta eorum pietas est, duos ex suo numero spectatæ virtutis atque doctrinæ sacerdotes elegerunt, qui duorum cœnobiorum, quò mulieres infames ob meretriciam vitam se recipiunt, excipiendis confessionibus, & internæ animorũ institutioni, sine vlla mercede vacarent: quo tanto bono iam diu ob egestatem caruerant. necdum receptarum salutem studiosè procurant, nec errantiũ adhuc in vitiis obliuiscuntur. eas tota vrbe diligenter inquirunt, inuentas partim intra monasterij septa concludunt; partim, si fieri aliter nequeat, quibuscum turpiter consueuerunt, cum eisdem honestissimè collocant. Puellarum item non exiguo numero, quæ tum propter ætatem, tum maximè propter egestatem, periclitabantur, per eosdem subuentum ita, vt in cœnobio, ad hos nuper vsus extructo, tamdiu adseruentur, quoad oportuna illis occasio nubendi se det. Audax interdum est Christiana pietas, & secundo quidem cum euentu. Militarem impetrant Sodales ab Hispalensi Prætore custodiam, cui vnus è sacerdotibus veluti præficiatur. Hac rectè disposita celebrioribus Christi Seruatoris nostri eiusq; sanctissimæ Matris, omniumque Apostolorum, aliorumque Sanctorum diebus, omnes scorti publici aditus obsident hoc animo, vt ne cui ex libidinosis hominibus ingressus patefiat per eos dies,

aut

aut vlli ex impuris mulierculis egressus. Hæc tam clara pietatis officia præstari ita tacitè non potuerunt, vt eorum fama non iam totã ferè prouinciam peruaserit, effeceritque, vt adinstar huius Hispalensis, quaternæ aliæ congregationes in variis prouinciæ locis excitentur. Imò in hac etiam vrbe, præcipuam nobilitatis partem, vt de altera ipsi Congregatione erigenda secum agerent, hoc idem clericorum exemplum non parum incendit. à Sanctissima Trinitate nomen illi esse voluerunt. in cuius legibus obseruandis, quæ tum ad confitendi communicandique, tum ad cœtus statis diebus celebrandi assiduitatem pertinent, mirum quàm submissè se studioseque gerant. Eiusdem natalem, quàm maximo potuerunt apparatu, aulæis toto templo pretiosissimis circumuestito, cantoribus ex æde maxima accersitis, peracto celeberrimo sacro, concione maiori quàm vnquam concursu habita celebrarunt. Bacchanalibus diebus, quibus peccãdi furor licentiùs debacchatur, in eo maximè coërcendo, & nostri & vtriusque Congregationis Sodales suam torpescere industriam non tulerunt. Pomeridiano enim illius tridui tempore, templum nostrum ad speciem & dignitatem eximiè ornatum, expositoque ad venerandum sanctissimo Christi Corpore, vocibus suauissimè diuinas laudes per interualla canentium, varioque ac iucundissimo tibiarum concentu, personuit. qua sensus voluptate cùm aures permulcerentur, animi quoque suo pabulo recreati, contemplatione nimirum rerum diuinarum, ac terna pro numero dierum cohortatione. Vt ad tam Christiana opera cuncto populo præiret exemplo, Clarissimus Marchio de Montes Claros, dignissimus huius ciuitatis Prætor, plurimis cum Dynastis, ac reliqua ferè vrbis nobilita-

te,

te, hisce diebus tam piis voluit muneribus interesse. Visum non inutile hoc inuentum: siquidem, cùm veteres retinuimus amicitias, nouas etiam parauimus, & si qui erant à nobis aliquantum abalienati, nobiscum in gratiam hoc inuitati exemplo redierũnt. Extincta sunt in hac domo duo Societatis vniuersæ, ne dicam huius prouinciȩ lumina; P. Antonius Cordesius, & P. Frãciscus Duarte, huic Hispalensi domui Præpositus. Illius quippe ex antiquissimis Societatis, & nomen & sanctitatis fama totam ferè Societatem impleuit. Maximam vitæ partem in plerisque Societatis honoribus administrandis, per omnes fermè Hispaniæ prouincias suaui quodam mitique imperio traduxit. Nam cum serpentis prudentia, columbæ simplicitatem, quæ illum reddebant & venerabilem & amabilem, cùm mirificè coniunxisset, nulla eius imperia, quantumuis dura, subditi recusabant. Ad extremum iam priuatus, plenusque annis, quippe octogenarius, tótum se confessionibus dedit, nullas personas aut loca aut tempora excipiens. Quod munus dum in templo nostro, omnibus se sine discrimine exhibens, strenuè magis hoc anno pestilentia adeò infami quàm vnquam præstat; contracto ex pœnitentibus vt fama est morbo, breuissimè vniuersali cum prouinciæ dolore occidit. Metus tamen contagionis prohibere non potuit, quominùs tam summi, quàm infimi, partem aliquam aut corporis aut vestium, quæ erat de eius sanctitate opinio, adipiscerentur. Alterum quod amisimus lumen P. Franciscus Duarte fuit, huius (vt dixi) Præpositus domus, vir maxima præditus spe, vix quadragesimum egressus annum. Commendabant illum inter alia mortificatio perpetua, spectata paupertas, patientia inuicta, religiosæ perfectionis nõ modò

suæ,

suæ, sed etiam alienæ amor & zelus, constitutionum denique singularis cognitio & obseruatio. Dum litterarum studia, tum propria cùm Societatis magna cum laude professus est; & Philosophiæ studia, & plurimi Theologiæ loci plurimùm huic omnium iudicio debuerunt, ac etiam nunc debent. Tam acri profundoque fuit ingenio, vt hæc fuerit opinio de illo, quæ ipse cogitatione lustrasset, in iis nihil ferè aliis relinquere inuestigandum: dignissimus omnium doctissimorum suffragio, qui inter excellentissima Doctorum Societatis ingenia connumeretur.

Collegium Hispalense.

REM huius Collegij familiarem perinde difficilem, atque in præsens numquam habuimus. Cæterùm de diuina in nos prouidentia sperandum, fore vt ære alieno, quo nunc premitur, aliquando leuetur. Res litteraria longè melior, cui vni modò vacatur in hoc Collegio: quod publicæ indicant disputationes, in quibus suas quisque qui iubetur, positiones non exigua cum doctrinæ Societatis commendatione tuetur. Nec inferior spiritualis: frequentes enim commẽtationes sunt, præter quotidianas, quæ per octo pluréſve dies suscipiuntur, more nostro. Ex quibus ardentissimum se vincendi studium, aliarumque virtutum amor existit. Sua etiam in externis auditoribus, & pietatis elucent argumenta, & in litteris progressus. Nam theses tum Philosophicas, tum Theologicas magna cum laude publicè cùm defendunt: tum, quod ad pietatem spectat, assiduè preces adhibent, sacra mysteria obeunt, multi ad varias Religiosorum familias, rebus humanis valere iussis se conferunt. In quibus, qui ex Sodalitate Virginis

sunt,

ſunt, non infimum tenent locum: cùm ne eo quidem tempore, quo ſæua tota vrbe lues graſſabatur, aliquid paſſi ſunt, aut de frequentatione, aut de muneribus piis, quæ ex legibus vſurpantur, omitti. Ea item Congregatio, quæ doctrinam Chriſtianam pro munere ſuo docetur ac docet, ſua ſtudioſiſſimè colit officia atque inſtituta.

Collegium Cordubenſe.

SENSIT etiam hæc ciuitas communem hanc peſtilentiæ cladem, quamuis extrema, non minùs tamen, quàm cæteræ grauem. Valetudinarij publici, rogatu Epiſcopi & vtriuſque ſenatus, vni de noſtris Fratribus, qui à domeſtico labore ſunt, vniuerſa cura demandata eſt: quam ipſe, quippe rerum difficilium, periculorumque obedientiæ cauſſa appetens, non ſolùm æquo, ſed alacri hilarique animo ſuſcepit. Rem adminiſtrabat, ex omnium ſententia, ſingulari etiam virtutũ exemplo; ægrotantibus & valentibus omnibus iuxtà charus. Ecce, Deo aliud volente, quinto ſolùm exacto die, peſte correptus abſumitur. non plus voluptatis eius aduentus, quàm doloris ac deſiderij eius attulit exceſſus. Curatum celebratumque funus ab Auguſtinianis Carmelitaniſque, qui vnà aderant, in xenodochio non minori honore, quàm ſi ex ſua fuiſſet familia: nos verò ſingulare quoddam, ac proprium deſideramus exemplum Societatis. Tacitæ precationi apprimè deditus fuit: ex quo fonte admirabiles virtutum riuuli profluxerunt, incenſa charitas, inuicta patientia, prompta ad exequenda obedientiæ imperia voluntas, idem ſemper animus, idemque vultus, vt omittam alia, quæ in eo eminuerunt Religioſæ vitæ ornamenta. Chartulæ poſt eius mortem repertæ,

pertæ, in quas, exemplo B.P.N.Ignatij, quidquid diuinitus in animo sentiebat, tanquam in ephemeridem referebat. Digna profectò vita, quæ tantis cumulata meritis morte clauderetur. Eodem anno F.Augustinus de Porras, confecto Philosophiæ cursu, tabida febre confectus diem suum obiit Xeretij in patrio solo, quò recuperandæ valetudinis ergò missus erat. adolescens dum vixit animo & corpore ad modestiam composito, regularum diligens cultor; in extremo casu se totum ad diuinam voluntatem, sine vlla prorsus exceptione accommodauit. Omnes ferè nostri spiritualibus B.P. N.Ignatij cõmentationibus se, aliis soluti curis, excoluerunt. Patuit fructus non vulgaris, cùm in omnium virtutum exercitatione, tum in voluntaria potissimùm corporis maceratione, vt freno potius, quàm stimulis fuerit opus. Ex pompis illis doctrinæ Christianæ, quibus ad forum nostri contendunt, indeque habita exhortatione, magno cum rusticanæ multitudinis comitatu domũ repetunt, magnus confessionum numerus collectus. Sed inter confessarios vnius claruit industria in alliciendis ad Sacramenta aliaque pia opera animis, qui cùm ingentem parauisset pœnitentium multitudinem, spe animoque præcepit Sodalitatem: vt pœnitentium tamen animos exploraret, hortatur primùm, vt ad audiendam de officiis concionem singulis diebus festis à prandio in nostro Collegio conueniant. id cùm procedere rectè vidit, palàm iam de excitanda Sodalitate agit, omnibus ad eam optimè animatis. Initium dedit sub omnium Sanctorum ferias, celebris communio hominum ampliùs quadringentorum: quibus illud est propositum, vt propria salute curata alienam quoque studiosè procurent. Vt perniciosa aboleantur exempla; vt

collectis

collectis vndique eleëmosynis miserorũ egestati subueniatur; nihil omittunt. Ipsi illustri cũ fructu & Sacramenta frequentant, & singulis hebdomadis sæuissimè in sua corpora animaduertunt. Altera etiam erecta Sodalitas per vnum è nostris, vt suus erga cælestes constaret amor, quæ ornatum inprimis sacelli curaret: in quo sanctorum Asciscli & Victoriç corpora, in quos tanquam in patronos ac tutelares singulari fertur hæc ciuitas pietate, religiosè coluntur. Confitentium autem numerus per occasionem pestis adauctus, vt vix iustum ad horarias preces confessariis tempus relinqueretur. Eos & multitudo & humanitas eorum, qui dabant operam confessionibus, exciebat. Cuius facilitatis vulgata fama dedit animum, vt in tam periculosa tempestate, nostros vel ad conscientiam expiandam fidenter adirent, vel ad periclitantes ex peste de vita, sine dubitatione vocarent. Quibus omnibus vt adessemus, ea inita ratio, vt præter eos qui venientes domi exciperent, alter qui id à Superiore enixè contenderat, totam cum socio lustraret vrbem, contenta videlicet per vias ad confessionem inuitans voce. Egregiè factum, nec sine totius ciuitatis prædicatione: nemo enim ferè, quoad sciri potuit, sine Sacramentorum præsidio decessit Hæc in vrbe. Extra; illustris fuit nostrorum ad opida excursio, quæ in Marianis montibus sita ad hanc pertinent diœcesim. concionum quæ binæ diebus festis habebantur, fructus fuit, ingens confessionum generalium numerus, admirabilisque morum emendatio. A prima enim luce cùm confessiones iniissent, producere cogebantur ad multam ferè quotidie noctem. Pretium fuit alterius concionis, duorum, qui iam biennio grauiter dissidebant, compositio. congressus enim publicè vitabatur

vtrimque

vtrimque peſſimo exemplo. Audita concione ita permotus alter, vt inimici domum adierit, ſimultatemque depoſitam oſtendens veniam petierit: alter eandem repetiit. vtrimque conceditur. quod vt exploratiùs omnibus teſtarentur, ad conſtitutam diem vterque vnà ad pœnitentiæ reconciliationiſque Sacramentum ſpectantibus omnibus acceſſerunt. Puella quæ parentúm orbata cuſtodia, egregia forma multis erat occaſio ruendi, cùm ſub cōcionem, vt vehementiùs animos concionator excitaret, appoſitū referret exemplum; ita ſubitò perculſa eſt, vt omnino alio quàm quo venerat animo à concione diſceſſerit. Noctem proximam ad ſummum vigilauit manè, in lacrymis & mœrore, præteritorum criminum pondus ac numerum partim expendens, partim acerbiſſimè deplorans. Dies vbi illuxit, ad noſtrum ſe corripuit ſacerdotem, inueteratos animi morbos detegit, medicinam potentem expoſcit, inuenit in vniuerſæ vitæ expiatione: nec ſolùm in præſens, ſed in futurum; quippe ne iterum aliquando periculo eſſet obnoxia, eam apud ſororem alio in opido nuptam repoſuit. Adoleſcens alter adduci non poterat, vt puellæ, quam per turpem conſuetudinem in inſigni poſuerat infamia, nuberet aliquando; ei tamen eiuſque parenti noſtri perſuadent, quòd ad ſalutem animi vtriuſque plurimùm intereſſet, vt eam filius quàm primùm duceret in matrimonium. Miſſas facio tres alias miſſiones fructu ſuperiori pares; vnam ad ditionem Clariſſimi Marchionis de Eſtepa, eius rogatu; alteram cum Illuſtriſſimo D. Franciſco Reynoſo Epiſcopo Cordubenſi, cùm ſuam obiit de more diœceſim; tertiam ad Lucenenſes, qui noſtro Ordini noſtriſq; muneribus iam diu permultùm fauent. Redeo ad propria Collegij. Quatuor Theologiæ

QQ Docto-

Doctores ab octoginta circiter discipulis audiuntur, partim nostris, partim externis. Vtrique singulari cum ingenij fructusque specie in disputationibus quotidianis, hebdomadariis, menstruis atque semestribus versantur. par in Philosophis discendi ardor, qui ad septuaginta, si nostros non excludas, alteri magistro dant operam. quatuor alij magistri quadringentos discipulos ad Grammaticam & litteras humaniores informant: quintus qui Rhetoricam tradebat, imminuto discipulorum numero, visus est non necessarius. Litterarum studio vigente, pietatis contentio non remisit. Multi vulgari seruiendi Deo ratione non contenti, ad perfectionem aspirarunt: ad quam vt facilius peruenirent, ad sexaginta maximam partem nostrorum auditorũ se nostris spiritualibus Societatis commentationibus expoliendos tradiderunt. vnde ad varias Religiosorum familias triginta profecti sunt. Insignem Illustrissimi D. Francisci Reynosi Episcopi Cordubẽsis liberalitatem, vt viui, sic in extremis experti sumus. suam nobis bibliothecam, quæ quingentis aureis æstimabatur, testamento legauit. Sacra deinde supellex ad aureos etiam quingentos adaucta. Vno antè anno inchoata area, hoc est absoluta piorum maximè liberalitate: ampla satis porticibus quaqua versus inferioribus & superioribus excurrentibus ad excipiendos eos, qui ad nos Sacramentorum caussa ventitant. Porticus inferiores cubiculis satis multis, & iusta capacitate cinguntur: in quorum aliis virorum, ex aliis, quæ templo adhærent, confessiones audiuntur. quo fit vt laxiùs, & à sæcularium frequentia liberiùs interior domus habitetur.

Colle-

Collegium Granatense.

SEPARATIO illa eorum, qui nondum quartum in Societate annum explessent, quam recreationis tempore à prandio vel à cœna vsurpari solitæ, R.P.N. Generalis fieri voluit, perinde atque optari poterat, succedit. Nam ex quotidianis de spirituali profectu collocutionibus, & exemplis quæ in eam rem afferuntur, admirabilis ad deuotionem ardor, ad mortificationem, salutareque sui odium propensa voluntas, ad spontaneam præcipuè corporis afflictationem studium ingens exstitisse visa sunt: vt huic tanto studio obuiam fuerit eundũ in tẽpore, ne mediocres corporis vires, studiisque doctrinæ necessariæ, hoc nimio animi impetu vincerentur. Quin ab hac inducta consuetudine, nescio quæ solito maior, Fratrum erga Patres obseruãtia est animaduersa; cum Superioribus verò præcipua quædam concordia, animorumque coniunctio. Neque idcirco litterarum amor refrixit; imò vehemẽtius exarsit. Nulla enim abit hebdomada, quæ non binis ternísve, aut prælectionibus, aut orationibus vinctis atque solutis, celebretur. Hactenus de nostris. Externorum multi à libidinoso, multorumque annorum consortio nostrorum operâ reuocati. In iis vnus, qui multos iam annos mulieri erat amore & consuetudine turpi deuinctus, est adductus ab vno de nostris, vt maculis totius anteactæ vitæ ritè purgatis, mulieris imaginem, quam, vt crebrò eius aspectu libidinosum foueret amorem, è collo pendentem gestabat, omnino deponeret, traderetque sacerdoti; & quò omnis de cætero relabendi tolleretur occasio, de deserenda Hispania consilium inierit, quod vnicum illi videbatur re-

medium. Alia id genus contigerunt multa, dum corporibus & animis ſubuenitur. puellæ periculis eripiuntur; turpia aut amouentur aut extinguuntur exempla; adoleſcentes primarij ad frequentem adducuntur confeſſionem; cuſtodiæ publicæ viſuntur; pomeridiana cohortatio frequens diebus feſtis habetur; iuuantur ii, qui ad ſupplicia trahuntur; permultæ generales confeſſiones audiuntur: quibus omnibus quamlibet magnis conſuetudo ademit admirationem. Vnum tamen aut alterum ſpeciatim narrandum. Quidam præpoſteræ libidinis conuictus, vt ſupplicio moras inueniret, claros viros numero duodecim, eodem, quo ipſe crimine tenebatur, falsò implicuerat. noſtri tamen effecerunt, vt ad palum iam alligatus, antequam ignis admoueretur, vltima confeſſione, nouoq; iureiurando, priora reſcinderet, & extra culpam poſitos infamiamque relinqueret. Diuturnam grauiſſimamque litem, quam vt conſtituerent nihil non viri grauiſſimi tentarant, ſingulari vſus prudētia vnus è noſtris, ſummo litigantium conſenſu, diremit. Ex hoc Collegio miſſi duo in opidum, quod vulgò Motril vocant, Mediterraneo vicinum, in quo plurimis totius anteactæ vitæ confeſſionibus exceptis, in opidanorum animis ſedandis & componendis egregiam operam collocarunt: quippe eorum ingenia rixis & ſeditionibus oportuna. Sed inter primarios, capitaliores videlicet apertioreſque vigebant ſimultates: ex quibus aliæ atque aliæ factiones, in quas popularis furor diuersè rapiebatur, quotidie ſuboriebantur. in has potiſſimùm per Quadrageſimam concionator inuehitur: quem concitum, quamuis ſerus, felix tamen non fefellit euentus. etenim eo die, quo Christus è cruce pendens pœnas pro genere humano perſoluit, operam dedit, vt

vtriuſ-

vtriusque factionis duces, vnà cùm conuenissent, vltro citroque data ac reddita venia in antiquam redirent amicitiam & consuetudinem. Hæc foris domique acta. Quod ad scholas attinet; auditorum numerus valdè creuit hoc anno, qui ad virtutem atque doctrinam pari cursu contendunt. ex eorum numero multi variis se cœnobiis addixerunt, sed plures nostræ Societati optimæ spei adolescentes. Publica verberatio non solùm per Quadragesimam vsurpata, sed nec toto quidem cessauit anno. Accessit ad ornatum templi trecentorum aureorum summa, quos pii homines contulerunt.

Collegium Montellanum,

Domus Probationis Montellana.

VT in veteranis de veteri feruore in præstandis muneribus, sic in tironibus de recenti perfectionis studio nulla est imminutio, sed accessio facta non vulgaris. Duo ex vtroque ordine ad Superos abierunt, vnus fuit Franciscus Rodrigues, formatus iam Coadiutor temporalis: qui quatuor & triginta annos in Societate vixerat iure optimo eorum adscribendus numero, qui suam vniuersam vitam ad Societatis institutum omnino retulerunt. Spiritum deuotionis cum actione studioque laborandi quoad potuit felicissimè coniunxit: quod ipsos viginti annos procœconomi officio functus, facilè declarauit; nihil vmquam quod per se præstare posset, aliis, quibus per munus sibi licebat, imperauit; immò alias atque alias laboris occasiones aucupabatur. cùm laboris immunitatē propter crebros diuturnosque morbos iam diu potuisset à superioribus habere: se tamen à labore curaque eximi, acerbè ferebat. adeò erat

fugitans otij, laboriosæ duræque vitæ sectator. cùm verò fractis iam viribus labori cedere coactus est, lachrymas vbertim fundens spectabatur, sibique identidem ingeminans, quòd immeritus iam seruorum Dei panem manducaret. Hæc de actióne, de contemplatione illa. Præter id tempus quod ceteri ex more institutoque nostro in oratione consumunt; nihil ipse vacui liberique temporis ab occupationibus domesticis nō in oratione ad arā maximā ponebat. Quod orationis studium Deus illi benignissimè repēdebat, tum maximè cùm ad sacrum Christi corporis conuiuium adibat. etenim sub id tempus videbatur tanta cibi illius dulcedine captus, vt præ interno animi gaudio, continentes penè ex oculis lachrymarum riuuli defluerent. Hinc excellens eius obedientia, cùm ad Superiorū voluntatem eius voluntas, non solùm cùm speciatim imperabatur, sed cùm imperium dumtaxat ipse odorabatur, tanquam depressa pondere lanx deferretur. Tantus paupertatis cultus, vt victum ex residuis reiectisque ab aliis sibi pararet, cibos delicatos ac singulares vel in ipsa morbi grauitate respueret, communes expetens; vestitum verò recentem non admitteret, trito & obsoleto contentus. Tranquillitas animi suæque voluntatis cum diuina consensio ea, vt modò per se, modò per alios Deum oraret assiduè, vt nullo aut periculo aut dolore excepto pro sua secum ageret voluntate. ad quam sic suam aptarat alligaratque voluntatem, vt in extremis ferè rogatus, an quidquam, quod vim leuaret morbi desideraret; nihil præter Deum, respondit, eiusque conspectum. cuius ita ardebat amore, vt toto biduo triduóve antequam moreretur, illa eius vox solùm exciperetur, Ametur Deus, Christus eiusque sanctissima Parens, laudetur. qua in oratione

excessit

excessit è vita. Hoc eodem exeunte anno, Franciscus Moscosus, nobilibus parentibus natus, nostrique Ordinis amantissimus, obiit, cùm vnum in Societate egisset annum. Hunc parens præ ceteris charissimum habebat filium: quippe qui natu maximus ei erat in patrimonio successurus. parens tamen explorata de filij in Societatem ingressu voluntate, non solùm liberam concessit libertatem; sed vltro ipse Hispalim ad Prouincialem adduxit, apud quem filij partes egit parens, vt in Societatem reciperetur. Receptus ita crebra humilitatis & mansuetudinis præbuit exempla, vt ob eas virtutes Deo iam & hominibus acceptissimus videretur; iam meritus, quamuis nondum vnum tirocinij annum egressus, ad æternam vocari felicitatem. Lenta illum inuasit febris, ac sine remissione tenuit. qua vt leuaretur (quippe dignissimus longissima in Societate vita) Superiores de medicorum sentētia, ad patrium solum, retento tamen Societatis habitu remiserunt; vbi crebras diuturni morbi molestias, læto tamen sustinuit animo: nec virtutũ, quas non modò ratione, sed & vsu cognitas habebat in tirocinio, in paterna domo oblitus est. In ipso patriæ vrbis ingressu enixè egit cum patre, vt in valetudinario publico inter ipsos mendicos se videlicet iam pauperem decumbere curarique pateretur: in quo cùm nihil proficeret, illud tamen impetrauit, vt antequam ad paternam deferretur domum, tantisper apud pauperes in xenodochio commoraretur. quo vno prægustatu scilicet æquior ac lætior perrexit ad suos. Iam moriturus parentem obtestatur, vt se vita iam functum, quoniam id se pauperem non dedeceret, in valetudinario pauperum, quod nomen habet à Misericordia, & sepeliri, & funus pauperum ritu ex corro-

gata ſtatim pecunia curari omnino æquo animo ferret. Parens vt tam intenſo paupertatis amori morem gereret, ſæpe illum admonebat, animaduerteret ſe paterna quamuis in domo velut vnum è Societatis pauperibus tractari; proinde ne poſtulare grauaretur, vt pauperes aſſolent, amore Dei quidquid ſibi opus videret. qua oratione mirificè lætatus, ad omnia officia, quaſi non ſibi, ſed Deo aut Dei cauſſa ſibi impenderētur, Rependat tibi Deus, referebat. Nec in poſtremis habuit obedientiam. à parentis quippe dicto, cui pro Rectore parebat, numquam re vlla deflexit: ſi vexatus febri potum maximè ſitiebat, nolebat niſi ex parentis præſcripto, & quantum ipſe præſcripſiſſet haurire aquam; adeò vt quarta ante mortem horæ parte, hoc idem vt aquæ modum deſignaret contenderit à Patre, ne forſan ipſe ardore ſitis modum excederet. cui cùm pater gratificandi ſtudio deſignaſſet, & ne modum exiret, ſpeciatim præſcripſiſſet: Ne iſto pater, inquit filius, vtare verbo. ſic enim ſum edoctus ad parendum ſcilicet ſignificatam quocunque modo voluntatem imperantis ſatis eſſe debere: qua in oratione, eum prius vita quàm obedientia deſtituit, factum videlicet obedientem vſque ad mortem.

Collegium Marcenenſe.

DIES Circumciſionis incarnatoque Verbo ſacri, ille communi Societatis cauſſa, hic propria huius Collegij, quàm maximo ſunt apparatu pietateque celebrati: quos ſua etiam præſentia Excellentiſſimus Dux Duciſſaque de Arcos cum filiis ac generis ſuis cohoneſtare voluerunt. Dies verò Bacchanales longè alio ac vulgò ſolent ritu peracti. propoſitum eſt propalàm Sanctiſſimum Chriſti

Christi Domini corpus, exquisito templi ornatu, cantu vocum tibiarumque resonante, quo inuitamento, vel his rebus insueti singulari tenebantur voluptate. Magnificare omnes ac prædicare præclarum Societatis inuentum, quo ab insania eorum dierum ad modestiam homines sanitatemque reuocarēt. Conciones per æstatem, quo tempore multi hic peste cadebant, tum matutinę tum vespertinæ crebræ fuerunt, ad animos quos insolitum pestilentię malum terruerat, confirmandos; sed vespertinæ crebriores, à quatuor aut quinque de nostris inuicem, magno auditorum numero habitæ. Cùm vel à suis ægroti deferebantur, nostri eis, aut xenodochio, aut custodiæ publicæ accersiti non defuerunt, in magna præsertim paucitate. Calendis Octobris, quod iam diu optauerat hoc opidū, absumpta iam peste, Humanitatis ludus apertus est; iustam auri vim, ex qua annui quadringentorum circiter aureorum reditus conficerentur, ornatissimo Licentiato Gundisaluo Fernandez, & honestissima sorore eius Domina Anna Suarez, vt iuuētuti Marcenensi prodessent, conferentibus: quamquam ad hanc summam reditus adimplendā ornatissimus conuentus Marcenensis, aliique priuati non pauci aliqua etiam ex parte iuuerint. Initium etiam factum ab oratione quā magister habuit Humanitatis, pręsentibus Excellentissima Ducissa de Arcos, Comite de Luna cum clarissima vxore; vtroq; item conūentu Ecclesiastico & laico, tum multis Religiosissimis viris Dominicanis, Franciscanis, Augustinianis, rem omnibus mirificè commendantibus. Argumētum orationis commune, litterarum videlicet studium cum pietatis studio coniungendum, verùm propriè noueq; tractatum. placuisse orationem, tum multa & varia poëmatum gene-

ra variis condita linguis, quibus pendentibus theatrũ decorabatur, tum secundus rumor & acclamatio significauit. Proximo die doceri cœptũ, non exiguo auditorum numero: quippe ex duobus ludimagistris omnes ferè auditores ad nos se protinus contulerunt, vno ad nos suos vltro deducente, altero perparuulos apud se retinente: à quibus non multò pòst desertus est. centum iam & quinquaginta censentur sub duobus magistris, ea indole ac docilitate vt non difficilè regantur: nam, etsi initio timebatur imperij forè impatientiores, magistrorum tamen consuetudine ita sunt mansuefacti, ac veluti cicurati, vt nullis siue litterarum siue pietatis officiis repugnent. quod adeò mirum accidit populo, vt gratias Deo agant immortales, quòd tam breui tanta sit facta morum commutatio. In doctrina autem tanti tam breui spatio fuere progressus, vt hic sit omnium sermo consentiens, plus apud nos per quadrimestre spatium profecisse, quàm per biennium apud exteros Communiones auditorum ferè omnium hoc anno, ædificationis ergò frequentiores fuere. Litaniæ Beatissimæ Virginis octauo quoque die magno vocum concursu atque concentu decantatæ. Virgineus circulus piè recitatus singulis diebus, apposita breui mysteriorum commentatione semihoræ spatio, omnia cum fructu animorum non pœnitendo. Si, vt posita sunt initia, sic cetera consequuntur; spes iam nunc se nobis ostendit, gymnasium hoc non ex infimis prouinciæ futurum.

Collegium Xerecense.

PRÆTER vsitata Societatis munera, quæ singulari sunt exculta feruore, magno fuit exemplo in maxima nostrorum paucitate (vix enim decem numera-

numerabantur) duos extitisse dignos Societatis nostræ spiritu, qui eo tempore, quo pestifera ciuitatem lues tenebat, perspicuæ se morti deuouerent, atque in media contagij pericula sine vlla se obiicerent cunctatione: vnus vt corporibus, alter vt mentibus mederetur, insignem fecere omnibus admirationem; cùm ceteris ferè præter paucos recusantibus, ipsi omni abiecta formidine, sine humanæ spe mercedis, infatigabili caritate seruierunt. quindecim tamen diebus postquam xenodochium ingressi sunt, qui aderat ægrotantibus à confessionibus, peste captus interiit. Antonius Sanchez is fuit, cuius audito nomine, tota hæc prouincia singulare spi vincendi exemplum audire videbatur. hic à suo in Societatem ingressu, acerrimum ac perpetuum sine vllis vnquam induciis, bellum sibi suisque cupiditatibus indixisse visus est. cùm se verberibus acerrimè & frequentissimè excipiebat, circùm habitantes & multitudine & crepitu terrebat. in victu ac potu, si quam vel per æstatem capere poterat, voluptatem omnino fugiebat. nouas non in dies, sed in horas sibi incommodandi fingebat artes; cùm rusticitatem simulat, tegit vrbanitatem, in illisque artibus se exercet, in quibus tirones solent. vnam aut alteram antelucani temporis horam singulis diebus somno subtrahebat, quam diuinarum rerum contemplationi adhiberet. Parcissimus quietis totum diem, aut animarum saluti, quarum ardebat amore, aut orationi sacræque lectioni tribuebat. digna eius vita, quæ fusiùs atque explicatiùs litterarum monumentis commendetur. Eodem genere mortis periit etiam socius Frater Andreas à Vargas, cuius desiderium ægrotantes ægrè tulerunt. Vixit singulari præditus in omnes caritate, qui è vita priùs, quàm à laborantium latere discedere maluit.

luit. Patris funus in æde nostra vniuersæ nobilitatis frequentia celebratum. hæc de nostris. Sodalitates binæ, sancta quadam Hispalensium æmulatione institutæ, clericorũ vna, altera laicorum, virorumq; nobilium, quorum cùm magna sit vis in hac vrbe, quamplurimi vel ad consilium de rebus agendis capiendum, vel ad remedium animarum petendum ad nos assiduè concurrunt. Eminet eorum in assidua Sacramentorum vsurpatione diligentia; in Diuis sorte capiendis, quos sibi patronos in singulos menses optant, præcipua pietas; in concionibus priuatisque cohortationibus audiendis incensa deuotio. Quoniam ex tam exiguo numero, tres, si Collegij Rectorem addas, pestis eripuit, tresque alios quamuis diuina euaserint misericordia, corripuit; ceteris medicorum consultu, totiusque nobilitatis magis iussu quàm rogatu, deserendæ fuere ædes aëre infectæ pestilenti, alioque secedendum, in maximum scilicet prædium, ne totum, vt cœperat, Collegium extingueretur. Vbi dum nostri morantur, ciuitas vniuersa, quæ nostros viderat sua caussa vitæ quasi prodigos fuisse, nullis sumptibus pepercit, quo minùs quæ ad victum & vestitum essent necessaria, nostris largissimè suppeditarentur. Multi etiam ex primoribus per id tẽpus, & honoris caussa, & vt si quid nobis opus foret cognoscerent, nostros inuiserunt. Cùm verò nostri vrbem repetebant, vel vt facerent sacrũ, vel vt exciperent confessiones (quod omnibus minimùm festis diebus fiebat) excipiebantur ab omnibus, partim acclamationibus, partim lachrymis, quas amor desideriumq; nostrorũ eliciebat. nec extra vrbem ideo laboris immunes. erat enim quam habitabamus villam, mari imminens, quò ingens faselorũ copia confluebat. hîc permultæ ad nauticã turbam exhor-

exhortationes habitæ, deterſæ peccatorum maculæ,quæ non erant ritè expiatæ;non paucæ mulierculæ abductæ; aliaque ſublata peccatorum irritamenta.Nobis,quòd peſte domus noſtra laboraſſet, multa fuit & varia ſupellex exurenda: cui iacturæ ſarciendæ, multi ex ciuibus, alij alio pro ſua facultate modo ſubuenerunt. Litterarium ludum,ne ex ea parte peſtilẽtia ſerperet latiùs, claudi,auditoreſque dimitti publicè iuſſi ſunt. Cùm tamen per peſtilentiam,quę ſemeſtre durauit,datus eſt reditus,inſtaurata ſtudia,tanto maiori auditorum quàm antea, frequentia, vt numquam plures diſcipulos enumerauerimus. ſtudia parentum, vt ſuos ad nos ex aliis ſcholis filios traducerent,orationes inprimis elegantiſſimæ dialoguſque rei ac tempori accommodatiſſimus excitarunt. in quo tanto cum actionis ſplendore ſuam quiſque perſonam egit, vt qui interfuerint & rem debitis laudibus extulerint, & rationem quam in docendo ſeruat Societas,ceteris longo propoſuerint interuallo. Sacerdotes duo, vnus ex hoc Collegio, alter ex Gaditano, in obeunda Gaditana diœceſi vnum menſem inſumpſerunt: quorum diligentiæ atque labori ratio conſtitit fructus non contemnendi.

Collegium Vbedanum.

GVADIXENSIS diœceſis luſtrata bis à noſtris concionum confeſſionumq; gratia.nihil quod ad reconciliandos animos, confeſſionibus etiam totius vitæ permultis,expiandos: rudes,catecheſi imbuendos, erroribus penè innumeris ac ſuperſtitionibus, quibus obligati erant, expediendos prætermiſſum. Diſcordiarum origo camporum erat partitio: inita ratio vt ſine animorum diſiunctione,

ctione, agrorũ limites signarentur. In vrbe sacerdos quidam ob rumores nescio quos falsos de se temere dissipatos, alterum quem rumorum auctorem suspicabatur, domi suæ, dum lauat, adortus, vulnere afficit letali. eam ob caussam iam diu exulabat à patria. Iniuriæ veniam in patriamque reditum communi omnium acclamatione vnus è nostris impetrauit. Sex septémve annos alij duo sacerdotes amplo de sacerdotio iudicio contenderant. Diuturna lis molestiis impensisque plena, quam dirimere interposita Episcopi Xienensis auctoritas non potuit; potuit eam Deo rem bene iuuante, vnus è nostris sacerdotibus magna vtriusque partis consensione concordiaque, constituere. Vir nobilissimus patratæ cædis insimulabatur, neque inferiori loco occisus videbatur. hinc plurima timendaque mala instabant: nostrorũ tamen operâ factum, ne ex curia Regis præcipuus in hanc caussam quæsitor impetraretur. Solemni diuæ Catharinæ die, à qua & Collegiũ & tẽplum nomen accepit, Episcopus Xienensis, cuius iudicio maximo & liberalitati multum nostra debet Societas; huc ex Vacca profectus nostrorũ rogatu multa cum Societatis commendatione concionatus est. apud nos diuertit pranditque perfamiliariter: peractoque die festo, donataque ea frumẽti vi, quæ aureis sexaginta æstimatur, Vaccam vnde venit reuersus est. Exemplorũ narrationi per Quadragesimam omnis ferè nobilitas interfuit, à qua se verberibus sæuissimè acceperũt, interim plurima pulcherrimaq; symphonia psalmum *Miserere mei*, resonante. Ad templi rem sacram trecentorum circiter aureorum accessio facta, quibus varia supellex ad templi vsum perfecta. Nec parum frumenti collatum inopiæ nostræ leuandæ. Templum quod angustius adhuc laxius

laxius deinceps frequentatur, vt iustæ conci onis sit capax.

Collegium Malacense.

ETSI de animarum salute præcipuè laboratum; corporibus tamen, quoad licuit, prospectum est. Multi parte æris alieni soluta, parte nostrorum rogatu, à creditoribus remissa, diuturnis vinculis exsoluti: id quod per Natalitia Domini solemne est in hac vrbe. Nec parum sedandis discordantium animis operæ datum. Vnus, qui alteri cædem gladio; alter, qui veneno; tertius, qui vxori machinabantur; à tam nefario proposito deterriti. Vir insignis nobilitate ab altero quoque nobili grauiter est vulneratus, vt ex vulneribus breui perierit. quibus sic noster adfuit sacerdos: vulneratum audiuit adeò, dum integrè confiteretur, Sacramentis muniuit omnibus, iuuit in testamento faciendo; interfectori veniam litteris consignatam impetrauit. à vulnerato dum moreretur non discessit. à quo mortuo, totū se contulit sacerdos ad remedia concordiæ pacisque inter occisi propinquos & interfectorem adhibenda. Mulier quædam genere Mauritana, quæ in auita religione penè obduruerat, diuina quadam prouidentia lethaliter percussa, à nostris inuisitur: quorum oratione sic est emollita, vt Mahumetana religione penitus abiurata, Christianam libentissimè fuerit amplexa, octo cùm superuixisset dies; Sacramentorum firmata præsidio, speque æternæ felicitatis læta ad Superos emigrauit. Cùm fortè sacerdos de more xenodochium inuiseret, incidit in ægrotum, in quo cùm nulla periculi species appareret, non properanda confessio videbatur: noster tamen sacerdos diuino, vt apparuit, impul-

impulſu, vt confeſſionem faceret inſtat. paret ægrotus. cuius obedientiæ fructum cepit, vt ſperare fas eſt, æternæ felicitatis. nam peracta confeſſione, intra quartam horæ partem eum vita reliquit.

Collegium Baezanum.

De alieno ære paulatim diſſoluendo, quo etiam nunc laborat Collegium, agitur accuratè, tum de ædificatione ſuburbana promouenda, noſtrorum ad tempus habitationi, aliiſque vſibus accommoda. Quod ad ſpiritualia attinet, Circumciſionis Dominicæ die, quàm frequẽtiſſima concione Epiſcopus Xienenſis in templo noſtro concionatus eſt, tanta amoris ſignificatione, noſtriq; Ordinis commendatione, vt qui ex noſtris intererant, tot ac tantas audire laudes ſine rubore non poſſent. Idem cùm duobus ſacrarum virginum cœnobiis vnum eſſet extra ordinem cõfeſſarium deſignaturus, eum eſſe voluit è Societate. Vnus è noſtris, qui iam diu in celebri huius vrbis Academia Theologiam docet, exercitationi Theologicæ, ſpectante Epiſcopo, præfuit: cui ita ſuam in diſſoluendis difficultatum nodis facilitatem probauit, vt continuò Epiſcopus à R.P. Prouinciali ſumma ope contenderit, ne eam prælectionem ex qua tantum fructus caperetur, aut omitti aut intermitti pateretur. Conſuetudo illa per noſtros in Academiã inducta ſingulis nos vt minimũ ſabbatis ſub veſperum adeundi, eodemque die manè ſaltem confeſſionis Sacramentũ celebrandi: tum quotidie à prælectionibus domi noſtræ ante aram maximam Virgineum circulũ percurrendi, ſtudioſè diligenterque ſeruatur. Quod mirabilius videri debet, quòd, cùm ſub noſtra diſci-

plina

plina non ſint, amore magis, quàm imperio ad eam rem alliciuntur. Huius ciuitatis in B. P. N. Ignatij imaginem, quam Roma allatam R. P. Prouincialis huic Collegio donauit, ſingularis extitit veneratio. quo die fuit in templo noſtro collocanda, tantus concurſus factus eſt, vt nemo ferè ex nobilitatis flore deſideratus ſit. Accidit autem, vt cùm inſigniora ex innumeris, quę in P. N. Ignatij commendationem iam vbique gentium Dei benignitate patrata ſunt, pro concione miracula referrentur, tantus fuerit in populo ergà B. P. N. Ignatium amor excitatus; vt multi deinde ex omni ordine nouendiales ad P. N. Ignatium preces religiosè ſuſcipiant: nec tamen irritas. Non enim ex iis defuerunt nonnulli, qui ſanitatem ſupra vires humanas recuperauerint. alij effigies ex cera votiuas ſupra ſeptuaginta circa eius imaginē appenderunt. ante quam etiam quaternę ſæpe faces ardere ſpectantur. Hanc populi pietatem clariſſima Epiſcopi, aliorumque doctiſſimorum hominum pietas, qui ad effundendas ad B. P. Ignatij imaginem preces ſæpe venerunt, vehementer auxit. Nec ſolùm externis P N. Ignatij fauor eſt cognitus, ſed domeſticis etiam. Vnus erat è noſtris Fratribus, qui domeſtico exercentur labore, adeò perturbatus animo; & à noſtra in qua degebat Societate abalienatus, vt niſi relicta aut commutata conquieſcere ſibi non poſſe videretur. Multis ad eam animi perturbationem ſedandam rationibus excogitatis nihil proficitur. Venit tandem in mentem vni è noſtris ſacerdotibus, ad P. N. Ignatium extremò confugiendum. Perſuadet igitur Fratri, vt vel vnam dumtaxat orationem Dominicam, alteramque Angelicam, ante P. N. imaginem ne grauetur recitare. Ille magis precibus fatigatus, quàm ſpe vlla remedij, paret conſi-

lio. post adhibitam precationem cùm se in cubiculum recepisset, vehementiùs cœpit quàm antea dubitationum fluctibus iactari, adeoque immoderatè, vt eorum vi ceteris dormientibus cubiculo expulsus in domesticos hortos, tacitos ad Deũ & crebros cum lacrymis clamores effundere sit coactus. Hic sese P. N. Ignatius paulò sublimior obtulit, clarissima per noctem luce circumfusus, blandeque & amicè alloquens, persuadensque in Societate perseuerantiam, non frustra preces effusas ostendit. Mirum dictu, sed fide certum. Post eius aspectum, blandamque allocutionem ita subitò perturbatio illa resedit, ac tanta est animi quies consecuta, vt nihil illo quietius aut tranquillius esse videatur. In vocatione verò prima adeò confirmatus, vt P. Rector eiusdemque Fratris confessarius apud Episcopi Vicarium iureiurando testati sint, tam subitam animi mutationem tranquillitatemque miraculo eximi nullo modo posse. Hæc in vrbe. Ad alios populos incolarum numero frequentissimos, vnus ex hoc Collegio missus, alter Episcopum Guadixensem, dum suam lustrat diœcesim, comitatus. vtrobique quàm optari poterat, tam fructuosè laboratum.

Collegium Cazorlanum.

Ex Cazorlano Collegio, quamuis non admodum numeroso, mirum quantum collectum vtilitatis. Præter communia cum aliis Collegiis, singularis fructus extitit ex concionibus multarum anteactæ vitæ confessionum, quæ necessariò fuerunt repetendæ. Scribæ cuidam tabulæ, quibus nescio quis aut capite, aut quingentis aureis damnatus erat, se inscio sublatæ sunt. pars ipsum scribam ad pœnam repetebat: sed pars quæ

vicerat caussam, audita in templo nostro concione, totam exiguo pretio pœnam condonauit. Quid de confessionibus scribam, per quas restitutiones multæ factæ sunt, itum obuiam grauissimis malis exorientibus, confirmatæ animę, quæ consolatione indigebant? Homicida quidam, quem delicti atrocitas, metusque patria fecerat extorrem, per vnum è nostris & homicidij veniam, & in patriam reditum consecutus est. Creditor debitorem in iudicio vehementer vrgebat, dum quadringentos & quinquaginta nummos aureos, quos iam diu debebat, sibi persolueret. Iis persoluendis prædia optima, vili pretio diuendenda: sed vnus è nostris precibus creditorem euicit, vt, quoniam aliter ei soluere non poterat, omne æs alienum debitori concederet. Sed longè maior iniuriarum remissio. Viro non solùm per se grauissimo, sed pro munere, quod administrabat, maiori digno veneratione, quidam qui eum capitali prosequebatur odio, alapam spectantibus multis, impressit maximum inde inter duas familias discordiarum incendium timebatur; nisi oportuna vnius è nostris industria continuò extinxisset: qui compositis animis reconciliatisque, ne iudex in eam caussam è curia regia accerseretur, atque vt prolixæ lites impedirentur, effecit. Scholæ duæ latinitatis, vt alias duas, in quibus prima pueri elementa docentur, omittam, numero florent, fructuque excellunt. Ex conuictorio duo nostro Ordini, ex reliquo gymnasio sex aliis se Religionibus addixerunt. Animos auxit auditorum gymnasiique famam, publica Rectoris Academiæ renuntiatio, dialogo celebrata ingentique popularium concursu. Nec minùs celebris studiorum renouatio; quam longa & elegans comœdia, cui argumentum & nomen Pœnitentia

 dedit.

dedit, exornauit. Conuictorum exemplo multum commendationis accessit gymnasio. de quorum vitæ ratione, quoniam alias perscriptum est, nunc silebo: non tamen de fructibus, qui & plurimi & lętissimi quotidie capiuntur. Vnus ex conuictoribus claro loco natus, ab altero & infimo, crebra post cõuicia, alapa accepta, insignem quoque iniuriam accepit. Quid faceret hic honestissimus adolescens, hinc vanissimis mundi legibus vltionem, illinc sanctissimis Christi præceptis & consiliis veniam tolerantiamque suadentibus? Recenti igitur iniuria, quòd humano videlicet sensu fuit occupatus, principio cœpit subirasci: sed mox exemplo sibi succurrente, quod de inimicis diligẽdis pro suggestu hesterna die retulerat magister, ad sanctiora se refert; ad iniuriique pedes meliore mente procumbens, oblatæ à se occasionis, qui in nulla erat culpa, veniam exposcit. Iniurius tam nouam obstupescens humilitatem atque patientiam, seque ac suum erubescens factum, se vicissim ad genua prouoluit, veniam audaciæ temeritatisque rogans. Ex quo ita reconciliati animi sunt, vt arctissima deinde amicitia coniuncti egerint inter se. Ex huiuscemodi factis excellens gymnasij fama non solùm in hoc oppidum, sed in alia etiam multa permanat: tum maximè cùm per æstiuas vacationes, ad suos remeant adolescentes, tam dissimiles moribus, vt quamuis personas, mores tamen priscos non agnoscant. Quod caussa sine dubio est, quamobrem non à vicinis modò vrbibus, sed ab Hispali vsque, ipsis etiam è Canariæ insulis suos ad nos liberos parentes deducant, nostræ curæ disciplinæque tradendos. Hinc augetur indies numerus conuictorum. Nam cùm sexaginta hactenus numerati sunt, quò habitatio pluribus laxetur,

nouum

nouum aliud capaxque duodecim extructum eſt cubiculum, alteraque domus adiuncta conuictorio coëmpta. Nec minùs illuſtria præbent exempla, qui extra conuictorium per contubernia agunt. Cuiuſdam honeſtæ formæ adoleſcẽtis pudicitia ab impudica muliere, dies noctéſque oppugnabatur, vt mutare ſedes periculi fugiendi cauſſa in animum induxerit. interim poſt multas pugnas fortiter feliciterq́ue pugnatas, crebraſque & occultas vitatas petitiones, ad ianuam quadam die ſolitas intendentẽ inſidias, ſeque opperientẽ mulierculã offendit: qua repentè conſpecta ita exarſit iracundia, vt manus ab ea abſtinere non potuerit. Quo victa mulieris procacitate, ipſa de cetero ab inſano illo deſtitit incepto. De ſcholis hactenus. ad noſtros redeo. Itum ad opidum Villam nouam, aliaque circà opida, à quibus noſtri magna beneuolentiæ ſignificatione recepti. In Villa noua plures dies, tum opidanorum rogatu, tum re ipſa poſtulante detenti. Vir erat perditis imprimis profligatiſq; moribus: qui tamen poſt confeſſionem, ita ſuperiorem retexuit vitam, vt admirabili fuerit deinceps ſanctitatis exemplo. Alter tanta fuit præteritæ vitæ acerbitate doloreq́ue percuſſus, vt præ lacrymis & ſingultibus, vix inchoatam confeſſionem perſequi potuerit. Ablata ad dominos redierunt. abolitæ inimicitiæ inter laicum & Eccleſiaſticũ: & quas priuatus quidam cum ſuo genero ſuſceperat. quippe is tanto ſui generi odio rapiebatur, vt quacunque poſſet arte inſignem ſuo genero infamiæ notam inurere ſtatueret: cognita tamen temeritate, eam facilè mentem abiecit. Confeſſionum beneficio, non pauci, qui variis ſuperſtitionum erroribus inuoluti, veneficiiſque vtebantur, ac nefaria cum dæmone fœdera inierant; talia figmenta omnino re-

liquerunt. In iis fuit vnus, qui labore ſtudioque annuo librum, multis ſuperſtitionum obſeruationibus refertum compoſuerat;ac ſibi ita perſuaſerat, eò ſe iam prouectum, vt eam ſe artem profiteri poſſe arbitraretur. multos ſimili amentia, erroribuſque imbutos irretierat:ſed ad confeſſionem cùm acceſſiſſet, fallacias ſuæ artis agnouit; chartas omnes minutatim concidit, doctrinam futilem, qua plures in errorem induxerat, apud ipſos retractauit. Per idem tempus quidam non infimo loco natus ad ſupplicium erat agendus:ad quem noſtri, nonnullorum rogatu, acceſſerunt omnem illi operam præſtituri. magnas Deo agebat gratias, quòd tam opportuno tempore in eos incidiſſet,à quibus tam benè ac ſcitè in extremo vitæ periculo iuuaretur.Iterum ac ſæpiùs repetita confeſſione,noſtrorum ſermone confirmatus,ingenti animo,hilari vultu,ſpe fretus diuina procedebat ad mortem. Circumfuſam multitudinem, ad diuinorum præceptorum cultum hortabatur ſuo maximè exemplo; néve vlla ratione diuinum temni numen paterentur. Non caruit ſua vtilitate tam incenſa oratio ſub eius mortem; quindecim collecti ſunt aurei, ad ſacra pro eius anima facienda.Sub veſperum tam frequenti pompa, tantaque doloris ſignificatione funus eius elatum eſt, vt clariſsimi viri maiori efferri non poſſet. Altera miſsio per pagos, quos Baſtæ Hoyam appellant,facta eſt.Vbi permulti ex grauiſsimis peccatis, in quibus diu veluti ſepulti latuerant, excitati extractique ſunt:eamque vitam, quam innumeris turpiſsimiſque criminibus obſcurarant, noua alia vitæ ratione illuſtrarunt. Simultates inter familias integras ſuſceptæ, Deo iuuante omnino reſtinctæ. Vir ab vxore ſeparatus, iam ipſos viginti egerat annos, nec in gratiam cum vxore,

duo-

duorum etiam Epiſcoporum interpoſita auctoritate, reuocari ſe paſſus eſt: ſacerdotis tamen noſtri diligētia in cauſſa fuit, quare priſtinis obliteratis iniuriis, coniugalem vterque vitam magna cum pace redintegrarent. multis prætereà peccatis vſu iam confirmatis, quin & inceptis peſsimis, vel de interficiendo parente, noſtrorum opportunè obſtitit induſtria. Pietas in noſtros & exiſtimatio ſpectata eſt cùm in aliis, tum in vno maximè opidi decurione: qui, cùm adeſſet dies, quo noſtris erat ex hoc opido in alterum commigrandum, voluit noſtros pro ſua in eos beneuolentia, ſanctitatiſq; opinione, per nouem milliaria, non pedibus modò, ſed nudis etiam comitari. Sed noſtri vno ex eius famulis pro duce contenti, eum reſumere calceos, domique quamuis inuitum remanere coēgerūt. Alia fecerunt multa inuoluenda ſilentio, quæ per eos, ad quos pertinebant, vulgare non licuit; licebit tamen qualia, quantaque fuerint, ex ſuperioribus coniectare.

Collegium Gaditanum.

SCHOLÆ, quæ à direptione Anglorum Gaditana imminutæ fuerant, iam in antiquum ferè rediere ſtatum; numero penè pari diſcipulorum; non minori certè ſtudio & virtutis & ſapiētiæ. Id quod ciuitas & agnoſcit & prædicat. Templū, cū rei ſacrę audiēdæ, expiandiq; animos cōfeſsione, tum præcipuè concionū cauſſa, plurimū frequētatur. ex his non exiguus prouenit fructus. Nam multi praua viuēdi ratione relicta, meliorē inſtituerunt, initio ab expiatione totius vitæ repetito; qui ita de ſua conuerſione agentes, dictitabant: per noſtri videlicet concionatoris os, tamquam per vnius ſpiritus cæleſtis os, ad ſe Deum locutum. Peſtilentiæ tempore, qua ciuitas hæc per

quinque menses vexata est, duo ex nostris ad animorum curam, non solùm eorum, qui in valetudinario publico, sed etiam eorum, qui priuatis in domibus laborabāt, vltro se obtulerūt. Nihil ad diuinam mitigandam iram intentatum nostri reliquere; cùm diebus festis sacratissimum Christi Corpus spectandum venerandumque proponūt, adhibitis, qui per interualla viasque Deum Opt. Max. precarentur. Multi ex Ibernis nauibus quinque in hunc portum ingressis, apud vnum è nostris suæ linguæ peritum, totius anni maculas Sacramento confessionis ritè abluerunt: ex quibus bini per eundem sacerdotem, hæresi abiecta, Euangelicam lucem respexerunt. Allata nobis ex Indis ingens, aureorum videlicet nongentorum, eleëmosyna regium beneficium in hoc Collegium. quæ pecunia & pro materia ad partem domus ædificandam coëmpta, & pro exiguo ære alieno expensa. accesserunt etiam ad eandem ædificationem quadragintaquinque, & ad templi ornatum tercentum aurei.

Collegium Trigerense.

VT in profectum spiritalem impensiùs niterentur, omnes P. N. Ignatij commentationibus per hebdomadam minimum vacarunt. vnde maximus ardor ad proximorum salutem procurandam, tum confessionibus audiendis, maiori quàm antea frequentia; tum concionibus & domi & foris habendis, quæ non exiguum fructum pepererunt. Excursiones ex hoc Collegio ad vicina opida, tam multorum, quàm paucorum dierum crebræ & fructuosæ factæ. Non parum rem spiritalem iuuit pestilentiæ metus, quæ iam multa ex circumiacentibus opidis inuaserat; vt hominum

minum ſtudia ad repetendam cum Deo gratiam excitarentur, nec ſinerent iubileo fruendi miſſionibus noſtrorum conceſſo occaſionem elabi. His de cauſſis confeſſiones longiſſimi temporis iterandæ fuerunt, illorum maximè qui peſſimo cum exemplo peſſima vitæ cõſuetudine detenti erant: pacificandi animi grauiſſimè diſſidentium, non in præſens modò, verùm in poſterum radicibus diſcordiarum euulſis. Qua in re excellens illud, in opido Cartaja, ſub ipſam de condonandis iniuriis concionem, triginta ampliùs honeſtiſſimas feminas, quæ iam diu mutuis ardebant odiis, in mediam proceſsiſſe concionem, aliam ab alia iniuriarum veniam exorantes. Quod exemplum viri quoque ſecuti, ſe vltro ad inimicorum pedes rem populo ſpectante, ſupplices abiecerunt. Necnon ad clericos pertinuit hic labor: ſi qui enim mutuas inter ſe exercebant inimicitias, eorum animi reconciliati ſunt. Sed in ceteris miſsionibus nõ obſcurior illa fuit, quæ facta eſt ad opidum Gibraleon. Nam poſt obitum Excellentiſsimi Ducis, opidanorum animi grauiſsimis inter ſe diſſenſionibus agi cœperunt, vt alij in alios non ſine maximo animorum periculo inquirerent. Huic naſcenti malo in tempore occurſum, nec priùs deſtitum, quàm opidani omnes perſequendi iniurias animum exuerent, & ad priſtinam pacem & amicitiam, nouo quodam ſtabiliendam vinculo redirent. Huius magnitudinem beneficij ex mali depulſi grauitate metientes, & plurima præterea bona, quæ per noſtros acceperant, recognoſcentes, in omni loco atque ſermone tam ſingularem gratiam prædicare, crebroque vſurpare non deſinebant. Fauet his populi acclamationibus Excellentiſsimus Dux, qui patri nuper mortuo, in ditionem ſucceſsit: qui cùm ex populis ſuæ ditionis

RR 5 tam

tam vberem colligi messem per nostros videt, non potest non esse in nos optimè animatus, atque eorum consuetudine capi atque detineri. euocat eos frequenter, sua cum eis consilia communicat, de eorum consilio permulta libenterq́ue facit, vtitur eis ad confessiones quàm frequentissimè potest. Magna sunt hæc in iuuene præsertim, sed maiora, si consideremus per Principum gratiam facilem ad subditorum animos Deo conciliandos aditum patefieri.

Residentia Guadixensis.

IN discordijs componendis eminuit nostrorum labor. Iam supra decenniũ diuturna lis inter duos nobiles ac potentes magna totius ciuitatis perturbatione, immodicisq́ue sumptibus nutriebatur: res tamen ita constituta est, vt meliùs constitui ex omnium sententia non potuerit. Nam cùm antea inter se sibi ipsis colloquio interdixissent, multa iam deinde inter se familiaritate agunt. Quidam non vulgaris notæ ab altero ita grauiter fuit vulneratus, vt interierit ex vulnere. qui nostrorum hortatu non solùm inimico condonauit iniuriam, sed ne post mortem suam heredes iniurias persequerentur, disertè impenséque commendatum reliquit. Ex duabus missionibus non parum frugis perceptum. Altera fuit ad pagos, villasq́ue per montem sitas: quarum incolæ doctrinæ Christianæ lumine vehementer indigebant. Rudes eorum mentes necessaria Christianæ legis capita edoctæ, peccatorum sordibus purgatæ. in his atque alijs sesquimensis abijt fructu copioso. Altera fuit suscepta cum ipso Episcopo Guadixensi, cùm suam ipse diœcesim inuisit. quam lustrationem instar voluit esse missionis: neque aliter se ipse gerebat,

atque

atque vnus è nostris. confessionibus enim rusticanorum, vt nostri solent, operam dabat. puerilem pompam comitabatur; pueros ad accinendam doctrinam ipse canens inuitabat. quibus rebus facilè significat,quanti instituta moresque nostræ Societatis faciat, quandò ad ea ita se accommodat, quibusque in rebus vera sita sit auctoritas ac maiestas, ostendit. In hac residentia ad superos abijt P. Petrus Bernalius multorum annorum in Societate, quorum non minimam partem in gubernando consumpsit, dum in prouincijs Bætica & Aragonia versatus est. exemplum habitus lenis & moderati regiminis magno cum subditorum profectu, & voluptate parendi: quale nostræ describunt & exigunt constitutiones. Excessit quamuis non immaturus, magno tamen cùm ciuitatis Guadixensis dolore, tum etiam totius prouinciæ singulari desiderio.

Collegium Astigitanum.

NOstri præcipuè in docendo laborant, non sine fructu: nam ex nostro gymnasio non pauci se ad alias Religiosorum familias cõtulerunt, ex quibus etiam quatuor nostræ Societati nomen dedêre. Trecenti circiter ad nostras ventitant scholas,quorum primi ad humaniores litteras, alteri ad Philosophiam, tertij ad conscientiæ rationes informantur, cuncti pari amore, studioque & virtutis & sapientiæ tenentur Iuuant admodum eorum in litteris profectum variæ varijs in classibus Academiæ. Drama tamen exhibitum de incarnatione Verbi, elegantia plenum & eruditione, adolescentum studia mirum in modum incendit. Insignis nostrorũ amor in proximos ex studio singulari, quo meditationibus illustri cum fructu vacarunt, emicuit. Nemo

Nemo tempore pestis nostros desiderauit vocauitque, cui non continuò adessemus. Templi angustiæ locum concionibus non præbent: quam iacturam familiares de rebus spiritualibus collocutiones, tum forenses exhortationes multitudine compensant sua. Carcer publicus freque̅ter aditur, xenodochia visuntur. Pacificationes cùm multorum, tum duorum potissimùm, qui iam per decennium capitali inter se odio diffidebant, omni sunt ope procuratæ. Clericorum Sodalitas paucis antè mensibus erecta bellè procedit, cuius fructus incerta spe plurimus est. non defuerunt etiam, qui se apud nostros spiritualibus commentationibus expolirent, totiúsque anteactæ vitæ maculas confessionis Sacramento delerent. quæ omnia singularem huius ciuitatis in nostrum Ordinem amorem pepererunt, quem eleëmosynæ etiam non spernendæ testantur. hæ frumenti maximè, oleique fuerunt; altera centum aureorum, qui in duobus pro re sacra facienda calicibus, & altero poculo ex argento affabrè elaborato pro aqua communicantibus ministranda insumpti sunt. signa præterea lignea, auroque tecta Sanctorum reliquijs aptè decenterque reponendis piorum sunt eleëmosynis absoluta.

Collegium Fregenalense.

CONciones cohortationesque nostrorum, quæ tum in templo nostro, tum in alijs crebræ fuerunt, duo maximè attulerunt emolumenta: quòd & Sacrame̅torum vsus, qui iam ferè nullus erat, restitutus est, & obscena per vias concinendi consuetudo penè sublata; proque obscenis honestiora, magisque pia pueris subministrata, quæ memoriæ mandata celebrent cantu. Ad easdem conciones partim referendæ multæ, magnique momenti paci-

pacificationes. Inter Cœnobitas Gubernatoremque huius oppidi magnæ moleſtæque diſcordiæ vigebant, vt ad manus ventum fuerit; quòd vnus nimirum, qui ad cœnobium, tanquam ad aſylum, patrato ſcelere confugerat, per vim contra cœnobij iura à Gubernatore fuiſſet extractus. Lis de immunitate tuenda diu ſub iudice fuerat, diuque templorum aditu omnibus interdictum. Noſtri tamen effecerunt, vt lite dirempta, animiſqueCœnobitarum & Gubernatoris redeuntibus in gratiam, omnibus ad ſacra deinceps frequentanda liber aditus pateret. Vir honeſto loco natus ab altero impari conditione, media luce medioque foro, malè fuſtibus acceptus. is quoniam multis opulentiſque florebat propinquis, tum ſponte ſua, tum eorum ſuaſu, ſtatuit, vt famæ conſuleret, amiſſam famam lite repetere, iudicioque perſequi. Huic conſilio atque animo ſe noſtri oppoſuerunt, reſarcitaque amiſſæ iactura famæ, animos diſſidentium nouo quodam amicitiæ vinculo deuinxerunt. Inter alias duas familias vltro citroque iactata conuicia, multorum origo malorum, vt cędes, quoniam iam manus conſeruerant, metuerentur. Hæc quoque impedita illico mala. Nam cùm vnà in Collegio noſtro conueniſſent, petita vtrimque & vtrimque conceſſa pace, mutuoque ſpectantibus multis confirmata complexu iram finiuerunt. Non ſolùm ad Fregenalenſes, ſed ad Lerenenſe oppidum quoque, vbi iudicium de rebus ad fidei Chriſtianæ ſinceritatem attinentibus habetur, noſtrorum ſe porrexit labor. Eò ab Inquiſitoribus acciti nobilem quemdam Mahometanæ legis doctorem, qui abſurdiſſima ſuæ legis in his terris dogmata diſſiparat, ad noſtram conuertendum religionem ſuſceperunt. Multa faciunt, multa conantur, dum à ſuis hominem errorum tenebris extrahunt, initio fruſtra: ſed

nihil vbi diuina adeſt gratia, non ſuperabile. Noſtris non deſiſtentibus, diuina tandem illi oboritur lux Chriſtianæ legis; quę ex eius animo omnes dubitationum nebulas, errorumque caliginem diiecit, mortemque attulit, vtpote iam Catholico tranquilliſſimam. Sodalitas nominis Ieſu, quam vnus è noſtris inſtituit, inueteratam iurandi conſuetudinem, quæ altiſſimas iam egerat vetuſtate radices, iam ferè penitus extirpauit. Secundus hic annus eſt ab ſcholarum conditione, haud paulò felicior, & auditorum numero & fructu: ternas enim quaternaſue litterarias exhibuerunt actiones, tum pro varijs Academiæ magiſtratibus creandis, tum pro die ſanctiſſimo Chriſti Corpori ſacro celebrando. has non modò multitudo, ſed multo magis elegantia atque varietas poëmatum, commendarũt, ſcholiſque recèns veluti natis non parum auctoritatis opinioniſque apud externos attulerunt. Eodem hoc anno vertente, quoniam idonea atque matura ingenia viſa ſunt, Philoſophiæ curſus inchoatus, &, vt principia ſe dant, non cum incerta maximi ſpe fructus. Noſtrorum ad Xerenzes, cognomẽto Nobiles, aduẽtus optatiſſimus lætiſſimuſque fuit. Iam diu enim illos noſtrorum tenebat deſiderium; nec minùs noſtris in optatis erat hæc miſſio. Miſſi duo ſacerdotes, vnus à confeſſionibus alter à concionibus, omniumque optatis reſpondit cumulatiſſimè fructus. Concionatum eſt quatuor in templis celeberrimis huius vrbis ingenti auditorum numero, maximeque nobilium (quorum ſexcentæ circiter numerãtur familiæ.) Ad ſacras et iam virgines trium monaſteriorum cohortationes extra ordinem habitę. Puerilis ętas veſpertino tempore inſtructa catecheſi eſt, tanta ipſius alacritate, parentumque gaudio, vt tam laudabile inſtitutum, non potuerint non miris ad cælum laudibus efferre.

re. Puerorum verò tanta frequentia fuit, vt separatim à puellis docendi fuerint. quę res, quippe noua, omnes rapuit in admirationem. Ad plateas deinde nostri non semel processerunt duplici puerorum ordine: præibant ipsi cantu, pueri excipiebãt: præaltæ cruces præferebantur insigni ornatu ad venerationem pompæ asciscendam; quas Parochi ad tam Christianum vsum libentissimè obtulerunt; quinimmò ipsi vltrò comites se nostris adiunxerunt. omnes quotquot ad ianuas, ad fenestras, ad forum procedentes, ad tam gratum spectaculum accurrerunt, vix dici potest, quantam ex eo voluptatem hauserint. vbi postquam aliquid temporis quærendo respondendoúe de re Christiana datum est, addebatur concio non alieni argumenti: quippe de ratione instituendæ confessionis, de comprimenda iurandi licentia, alijsque id genus pernecessarijs. Quæ conciones ita populum excitarunt, vt mirabiles sint consecutæ conuersiones. confessionum verò tantus numerus, vt generales dumtaxat supra ducentas nostri recensuerint. Monialibus etiam datæ aures, etsi omnibus per tempus nõ licuerit. Carceres inuisi: qui detinebãtur conscientiæ vinculis, per confessionis Sacramentum, expediti, ad cęleste Christi corporis conuiuium accesserunt, vno de nostris faciente sacrum, altero apposita concione ad communionem animos præparante. Hæc ad tempus; illa verò perpetua, vt de cætero quoad possent, animarum bono prospicerent. stabilita consuetudo, vt pueri diebus festis, ad forum simili pompa similique doctrinæ Christianæ cantu prodirent: quam curam pius in primis sacerdos magistrique elementarij susceperunt. Hæc & alia adeò grata nobilibus acciderunt, vt de excitando Collegio inter se & cum Patribus egerint, ad eamque rem non exiguam aureorum summam iam

tum

tum obtulerint. Altera fuit miſsio ad Zafram, aliáque tria oppida Excellẽtiſsimi Ducis Ferienſis, cuius res præcipuas, quippe communes cum ſuperiori miſsione, prætermittendas duxi. Earum magnitudini hi fidem facient cùm omnium, tum duorum agreſtium viri, inopis ac feminæ, noſtrorum diſceſſu, ſermones. ille cùm noſtris haud procul ab oppido incidiſſet obuius, Abeãt, inquit, felices diuino ducente numine, ſerui Dei, quos bonus ipſe Deus ad noſtrarum animarum ſalutem his attulit terris, nec noſtri in perpetuum obliuiſcantur: imò iterum ac ſæpiùs nos reuiſant, qui noſtrarum animarum ſalutem quæſitum veniunt, præterea nihil. cui cùm Pater memoriam curamque Virginei circuli ſingulis diebus recitandi commendaret impensèvſque ad mortem, ſubiecit, Pater, vſque ad mortem. quæ quidem verba tanto ſpiritus ardore geminabat, vt in eo illum Euangelicum ſenem Simeonem te diceres intueri. Ac ne Annam hìc etiam deſiderares, in ipſo quoque diſceſſu, pia quædam femina, eodem quo altera ſtudio extollens vocem, eadem ferè quæ ſenex verba repetijt, immortali Deo tales agebat gratias, quòd noſtrorum aduentus, ſe vidente atque fruente, oppido ſuo contigiſſet. Zafrenſes accuratè etiam agunt de erigendo Collegio, quam ad rem ſeptingentos aureos in ſingulos annos habent deſtinatos, à morte religioſsimæ feminæ, quos inductu & hortatu vnius è noſtris, fratris ſui, viua etiamnum nobis teſtamento legauit: quos reditus Excellentiſsimus Dux Ferienſis augere volens, quingentos alios in ſingulos annos promiſit, habetque à Sanctiſsimo Patre Clemente ſacerdotium promiſſum, quod ſingulis annis aureos reddat millenos.

Semi-

Seminarium Anglorum Hispalense.

SEPTVAGINTA hoc anno Seminarium hoc aluit, si nouem ex Societate non excipias. ex eis vnus, quem singularis virtus silentij, cura studiumque se vincendi commendabant; iam ad diaconatū cooptatus peste consumptus est. Spiritalis res apud ceteros non iacuit. nam Roma Anglicani Collegij consuetudo se vnà diuerberandi translata huc, singulari omnium consensione recepta. omnes ferè deinde spiritualibus B.P.N. Ignatij commentationibus se dederunt, semel per sanctissimi Christi Domini Aduentus ferias: iterum paulò antè quàm se ad iubileum potiundum confirmarent: quod superiore anno vniuersæ Ecclesiæ concessum, proximum summus Pontifex omnibus Anglis qui adire Romam non potuissent communicauit. Nec propterea litterarum refrixit ardor. vnus id ostendit ex sacerdotibus, qui peracto Theologiæ cursu Theologicas theses omnium acclamatione egregiè defendit inde per spirituales exercitationes ad Anglicanam expeditionem præcipuè comparatus eò proficiscitur, ea præterea mente, vt, cùm res admodum necessarias expediuerit, in Societatem ingrediatur. qui vnà cum aliis sacerdotibus, qui ex Collegio Romano missi sunt, die tandem Virginis assumptæ Londinum appulerunt. In vnius locum viginti alij variis ex seminariis, inter quos quatuor proximè ex Anglia, Hispalim conuenere. Hi omnes vno excepto, altero tamen adiuncto, Philosophiæ cursum inierunt. at ille exceptus inchoatam Theologiam pergit audire. Ex horum nu-

mero nonnulli in medio itinere ab hæreticis capti Londinum reuocantur, vbi per quatuor menses in custodia publica detenti admirabili constantia religionem Catholicam profitentur publicè. inde partim propinquorum gratia, partim pecunia erepti, iterque per mediam Galliam Hispaniamque pedibus emensi, frequentesque in tam longo itinere perpessi labores Hispalim aliquando tenuerunt. vnus tamen ex itineris difficultate in morbum incidens Vallisoleti, suum diem obiit. Sacerdotibus autem Anglis, qui ex nostra Societate in hoc seminario versantur, materia non defuit de suis aliisque nationibus bene merendi. ad eos enim quippe multarum peritos linguarum præter Anglos, Gallosque, Itali aliarumque nationum permulti, qui in hac vrbe negotiantur, Sacramētorum gratia confluunt. quin eos etiam qui in custodia tenentur ex Anglis, inuisunt, confessiones eorum exaudiunt: aliquos item cum Ecclesia reconciliant: aliis denique in extremis adsunt. ac propter hæc ciuitas Anglorum seminario fauet: quorum res insigni fouet liberalitate, & quoad potest promouet. Nam cùm nullos id seminarium perpetuos reditus habeat, quem suprà iniuimus alumnorum numerum suis eleëmosynis commodè sustentat. Vnius tamen ciuis in hoc seminarium pietas inprimis eluxit. is cùm pestilentia captus mortem vicinam suspicaretur, Rectorem accersit in tempore, admonet, se dum valeret, hoc seminarium suorum bonorum, quorum summa erat vigintiquatuor millium aureorum, heredem instituisse, seque in eadem etiamnum perstare voluntate; nullaque se ad id re impulsum, nisi quòd probè intelligeret, quantum hoc facto diuinæ gloriæ obsequium exhiberet: sed placuit diuinæ bonitati tam egre-

giam

giam voluntatem restituta valetudine longioreque vita partim compensare.

Residentia Antiquerensis.

PRÆTER ea ex quibus singularis fructus redundat in elementaria puerorum gymnasia, litterarum ludum, publicas custodias, xenodochia, destitutam plebem, ordines etiam clericorum, de quibus superiore anno, hoc anno speciale fuit, quod ad augendam Sacramẽtorum frequentiam, quæ hactenus in hoc opido iacebat, plurimum valuit. Sæua item hanc ciuitatem vt alias depopulabatur lues: tentata remedia in cassum multa. nobis visum, tam oportunam promouendæ in ciuitate deuotioni viam non prætereundam. quare senatui suadent, vt quando alia multa extinguendæ pesti remedia adhibuerint minimè ex sententia, indicerent nunc in certum diem communionem, quæ quàm maximè posset senatorum frequentia celebraretur. Non dubium quin & reliqua ciuitas tam illustre sequeretur exemplum; & diuinum Numen, quod iratum hactenus cognouissent, hoc mitigatum obsequio aduersus hanc ciuitatem propitiaretur. Non displicuit senatui tam salutare consiliũ: ast, vt Patres monuere, purgatis primò animis confessione omnes vnà senatores in celeberrimo vrbis templo se sacratissimo Christi corpore refecerunt. quo exemplo adeò est vniuersa ciuitas inuitata, vt nemo ferè ex omni eius ordine opificumque collegiis fuerit, qui non pronus ac libens senatorum exemplum imitaretur. Cessit hoc in non vulgarem Societatis ministeriorum nostræque industriæ commendationem: atque huic potissimùm remedio, quòd pestis non ingrauesceret, sed omnino penè re-

mitteret, omnes proculdubio vno ore tribuerunt. Ceterùm illud faciendum pluris, quòd ab hoc ferè iam tempore (id quod nostri imprimis optabant) constituta videtur & stabilita Sacramentorum vsurpandorum consuetudo.

Missio.

NOSTRI in opido Coria, quod primùm inire voluerunt, suam operam non exiguo cum fructu posuerunt. Ac primùm qui concionatoris munere fungebatur, doctrinæ semina per auditorum animos, qui iam diu inculti ignauique squallebant concionibus dispersit: qui beneuolè concepto diuini calore spiritus in frugem lætissimam inualuer. Confessiones pleræque totius vitæ fuerunt, nec pauciores virorum quàm mulierum. confitentium verò tantus ardor, vt multi ne suam prætermitterent vicem, tum manè, tum vesperi ad templum ventitarent. Eorundem tanta multitudo, vt eis audiendis septem ad clepsydram horas matutinas impenderent, à prandio verò quantum ad initam bene notam temporis restabat. post confessionem cælesti excipiebantur conuiuio. hac ferè ratione, quoniam negotiosi dies (aliud enim tempus non vacabat) dandi necessariò confessionibus erant, iisdemque diebus opidani ad agrorum culturam ituri, ne laboris stipendio frustrarentur, postquam iam confessi erant, statim à clericis ad id munus paratis Christi corpore pascebantur, exiguaque temporis iactura, magno tamen animorum commodo ad suum quisque opus dimittebantur. Quàm autem seriò & quanta cum pœnitentia peragerent confessiones, illud facilè declarat, quòd quæ vix alij post confessionem adducuntur vt faciant, ij ante confes-

confeſſionem præſtare diligentiſſimè occupant. nam multi quos familiaris rei anguſtia à reſtitutione liberabat, quamlibet magno cum incommodo fecerunt reſtitutiones. alij iniuriis affecti, vltro ad iniuriam inferentes adierunt, & petentes veniam, & offerentes. Vir erat nobilis, qui in hoc opido procurandi fundi cauſa degebat, perniciosa tamen vitæ licentia: quippe quem potentiorem, ac præ ſe ceteros contemnentem, nemo admonere liberè audebat. Hic, noſtrorum rogatu, conſilium mutauit, ſedeſque cum Hiſpali, iureiurando affirmans, ſe nunquam ad id opidum, quod liberioris ſibi vitæ præberet occaſionem, poſthac rediturum. Fauſta hæc, illud tamẽ infauſtum. Poſt diſceſſum defertur ad nos, mulierem quandam, quæ irrito conatu ad confitendum acceſſerat, ſimul ac diſceſſimus, extinctam adeò celeriter, vt moriendi celeritas vſum illi Sacramen torum præſidiumq; ſuſtulerit. Res omnibus, ſed nobis inprimis peracerba, arcanoque Dei iudicio reſeruanda. Hinc ad opidum proximum tranſilierunt. quò cùm ad explorandum Parochi animum litteras præmiſiſſent, ad impediendum quàm adiuuandum propenſiorem offendunt. moras obiectabat, impedimentaque multa, exiguum confiteri volentium numerum, & remotos à confeſſione animos, aliaque id genus. At noſtri harum non ignari artium, diuino freti Numine, die Dominica, prouecta iam luce, opidum ingrediuntur, ſignoq; quàm primùm dato vocari omnes ad concionem iubent. Concionatur manè noſter, concionatur veſpere incredibili frequentia, & opidanorum applauſu. nec fefellit conatus. Vix vllus poſtea repertus, qui non confeſſione conſcientiæ maculas expiaſſet, & Chriſti ſe corpore refeciſſet. Parochus verò cùm rem aliter at-

que ipſe prædixerat contigiſſe vidit, iam alius noſtros domum ſuam beneuolè excepit: apud quem, dum cõfeſſionibus concionibuſq; ſit ſatis, hebdomadam vnam detenti ſunt. Hic etiam maior longè numerus virorum, quàm mulierum Sacramenta vſurpauit, qui ne vice excluderentur ſua, impranſi multi vſque ad veſperum permanſerunt. confeſſionum fructus, ſecundùm vota. Inter huius opidi gubernatorem alterumque locupletem inprimis & honeſtum ardebant odia, quorũ finis nullus oſtẽdebatur. Ceterùm audita concione gubernator, ſuæ dignitatis oblitus domum alterius ſponte adit ad colloquium, quo caruerãt, & ad familiaritatem inuitat, nec vllum amicitiæ prætermiſit officium. Similes etiam inter tres Eccleſiaſticos ſimultates exercebantur, quibus compoſitis facta publicè reconciliationis ſignificatione ad eoſdẽ tres ſenſim verba ſunt facta, quàm videlicet inuiſa Deo, gregique pernicioſa Paſtorum inter ſe diſceptatio atque diſcordia. Querelas deinde ſuas quiſque proferre iuſſi. omnis fuerat de fortunis contentio, eoq; difficilior, ſed Deo tandem duce tota ſublata, cùm de noſtrorum ſententia de ſuo quiſque iure aliquid conceſſit. Inter iocandum, vnus alterum præter voluntatem, ita percuſsit, vt ex vulnere perierit. mater occiſi doloris acerbitate furens, aures totius populi precibus obtuderat, ne eò adduceretur, vt homicidæ quãuis per imprudentiam ignoſceret. noſtri tentare quoque fortunam voluere. prætextu conſolationis mulierem inuiſunt, ſed primò difficilem & acerbam: haud multo pòſt mitigatam magis, orationeq; delinitã non ſolùm ad veniam adducunt, ſed ad peccatorum etiam expiationem, Chriſtique corporis communionem. Tam in hoc quàm in ſuperiori opido ſumma rerum ignoratione labora-

borabatur: vix enim erat, qui Sanctissimę Triados mysterium, aliaque ad salutem necessaria probè teneret, an incuria discentium, an docentium? in qua caligine dissipanda non parum est, tum concionibus, tum priuatis collocutionibus insudatum. Hoc opido lustrato, ad Ranculam paulo frequentius opidum nostri procedunt, vbi simili labori non dissimilis respondit fructus. Hoc amplius, quòd magis hìc vigebat confessariorum inopia. Fuerat enim illis Parochus adeò infestus & inuisus, vt præ odio pænè ad parandam illi necem viam obsederint, diebus verò festis Sacro confessioneque carere mallent, quàm illius ferre conspectum. Huic autem paulò antè quàm nos venissemus demortuo alter commodioribus faciliboribusque moribus sacerdos successetat. Ceterùm tam breui tempore res ita perturbatas componere, si maximè voluisset, non potuerat. Nostri eius vsi facilitate, partim concionibus, partim confessionibus, aliisque Societatis muneribus obeundis pacem quam magnopere exoptabant, illis tandem attulerunt. Hæc dum geruntur à nostris, nobilissimæ feminæ, sub cuius ditione hoc opidum est, nuncius peruenit, per quem suppliciter nostros orabat, ne se suamque familiam tanti tamque diuini beneficii expertem patiantur. Nostri vt tam religiosæ morem gererent voluntati, hinc ad eius villam quæ non procul aberat pergunt. vbi tota eius familia per confessionem communionemque expiata, Hispalim vnde exierant, vno & viginti diebus in hac Missione consumptis, felices tanto collecto fructu reuertuntur.

PROVINCIA SARDINIÆ.



LVIT hoc anno Sardinia Socios trigintaquatuor supra centum. In Collegio Sassaritano quadragintaocto, ex quibus Patres circiter quindecim, & ex eis quatuor magistros, decem Coadiutores, scholasticos reliquos. In Calaritano totidem, ex quibus quatuordecim ferè Patres, & ex eis magistros quatuor, Coadiutores quatuordecim, reliquos scholasticos, qui Philosophiæ & litteris humanioribus dant operam. In domo Probationis Calaritana vigintiseptem, sex Patres, Coadiutores veteranos quinque, reliquos tirones. In Collegio Vallecclesiensi nouem, Patres quatuor, scholasticum vnum, eumq; magistrum, reliquos Coadiutores. In Algarensi decem, Patres quatuor, ex quibus magistrum vnum, reliquos Coadiutores. Vnus, vt speramus, migrauit in cælum: quinque in eius locum subrogati.

Collegium Sassaritanum.

QVARTA Congregatio cælibum adolescentium, quæ anno proximè lapso instituta est, aggregationis ad Romanam diploma, à Nostro Patre Generali missum, magna frequentia & pompa celebrauit eo die, qui B. Virginis conceptæ Octauæ sacer est; quorum studia magno applausu ciuitas laudauit. quòd frequenter id ætatis adolescentes obirent Sacramenta. Quidam ex his cùm tumidum flumen traiiciens certum vitæ discrimen subiisset, B. Virginem appellauit, vt

quando-

quandoquidem ipſe vnus eſſet ex eius Sodalitate, ſibi laboranti præſtare vellet opem. Quæ cùm dixiſſet, virtutem in ſe incredibilem ſenſit, & vehi ſibi viſus eſt, donec in ripa exponeretur incolumis, & tot B.Virgini pro tanto beneficio gratias habuit, vt multi ad Congregationem impulſi fuerint. Alius valdè ſcrupulis angebatur. hic cùm vnius è noſtris conſilio, ſe noſtro B.Patri Ignatio commendans ter ſacram ſynaxim percepiſſet, animi quietem conſecutus eſt. Mulier apud quendam multorum offenſione in luxuriæ cœno verſabatur, & ob eam cauſam neque peccata aperiebat, nec audiebat Sacrum: quæ noſtrorum admonitione, expulſa venere, peccatorum eluit ſordes plena confeſsione, & peccandi occaſionem abiecit, ad quæ à nemine vnquam antea adduci potuerat. Non probauit amator factum, & tanquam lutulenta ſus extrahi de cœno non ferebat, & detrahebat valdè de noſtris. hunc obuium habuit Pater is, qui ab eo pellicem abſtraxerat: cui, Caue, inquit, contine linguam, & te Deo daturum pœnas intellige. Oraculum fuit. filius enim, qui ei valdè charus erat, ereptus eſt morte. agnouit culpam, iuſtamque ſibi à Deo inflictam pœnam: quę Patris verba in memoriam illi reduxit, & ad ſe rediens peccata doluit: tandem Patrem illũ adiit, aduerſus quem tumidum ira gerebat animum, & confeſsione ſcelera expiauit. Inter eos, qui ad extremum ſupplicium aguntur, quos de more noſtri adiuuant, adoleſcens vbi vidit ſe capite damnatum, adduci nullius oratione poterat, vt ſuam voluntatem ad diuinam accommodaret, & ſe ad mortem ſubeundam compararet: verùm noſtri ita cum eo egerunt, vt mortem non æquo ſolùm, ſed etiam hilari animo tulerit, adeò, vt non ad ſupplicium, ſed ad conuiuium duci videretur.

quod omnes qui adfuerunt admirati, & infelicem adolescentis vicem dolentes dum animam redderet, IESVM, MARIAM, reliquos Sanctos ac nostrum præcipuè B.Ignatium appellarunt. Turca quidam ob commissum homicidium capite plectendus erat: adhibita cura est, vt sacro fonte renasceretur; sed ita animum obfirmarat, vt, quo plura ad euincendum eius animum afferebantur, durior redderetur. dum nostros ingredi ad se videbat, oculos defigebat in terram, nec eorum audire volebat orationem: quòd diceret se velle vsque ad extremum spiritum in Mahometana lege persistere, quandoquidem ea lege, æquè vt Christiani, cælestis paradisi gaudia consequi poterat. Tandem cùm nostrorũ rationibus in angustum adductus esset, permotus à dæmone se laqueo suspendere induxit in animum, ne periculum esset, vt fieret Christianus. noctu funiculum alligat ad pessulum, cui ipse adnexus hærebat, & quò gulam stringeret, in laxiorem laqueum coactum collo iniicit. tum ei se dæmon specie quidẽ horrenda ostendit, qui suadebat, vt se pendere sineret. paruit infelix, & ille celeriter in humeros insiliens suffocabat. Non ita citò infelix animam extrahere è corpore potuit, quin proximi carceris custodes in summo illo mortis certamine strepentem audientes accurrerent, & funiculo fracto subuenirent. Qui cùm admotis remediis sui compos factus esset, tanta eius animo vis diuini luminis affulsit, vt statim vociferans accersiri nostros iusserit, se videlicet velle Christo dare nomen, & præter Christianam nullam aliam esse legem. Triduo in eo consilio permansit tanto studio ac pietate, vt qui eum audiebant, admiratione afficerentur. Quare baptismate ablutus, magnis suæ prædestinationis argumentis vitam clausit.

clausit. à quo nostri nunquam vsque ad patibulum diuulsi sunt, ex quibus magnum se dicebat capere solatium. Funeris officiũ mediocri pompa ei ciuitas præstitit, & omnes pro felici Turcæ exitu Deum laudarunt. In Missione Turralbensi à multis audita totius vitæ crimina, à quibusdam præcipuè, qui octo annos confessionem deseruerant: & à muliere, quæ à turpi vitæ statu retracta est, in quo tres annos versabatur. Quidam hominem decreuerat interficere, quo cum susceperat inimicitias. arrepto sclopo egreditur ad inimicum, quem inopinantem in cubiculo cum duobus è nostris colloquentem animaduertit, ac eo illos ordine dispositos, vt, si inimicum occidere vellet, alterũ è nostris in idem periculũ vocari necesse esset. cùm igitur per fenestræ rimas sclopũ collocasset, & stringere manũ iam pararet, tanto, vt ipse postea alteri ex præfatis Patribus affirmauit, horrore atque timore correptus est, vt animus defecerit. immò etiam illi videbatur ab aliquo brachium contineri ne sclopum disploderet. horrorem autem illum inde natum existimabat, quòd ad inimicum interimendum, tantum sacrilegium, hoc est Societatis IESV Patri necem inferre, necesse esset committere. In Missione Ampuriensi cùm noster in concione orationem de iis cõfessionibus habuisset, quæ absque vlla comparatione veroque peccatorum dolore fieri frustra dicuntur, tantus factus est ad crimina totius vitæ repetenda concursus, vt, cùm omnes audire Pater non potuerit, aliquot reliqui fuerint, qui alios quoscunque confessarios recusantes, confessiones in proximum annum distulerunt. Quare generali confessione tota se ciuitas abluit, quæ nostrorum hominum studiosissima & obseruantissima est: sed inter omnes Episcopus

pus, qui apud clerum palàm affirmauit se nunquam antea, quamdiu erat Episcopus, tot vidisse restitutiones, quot factas esse dicebat postquam nostri in ea ciuitate concionarentur, neque tantum Sacramentorum vsum. Sed illud reuera pietatis exemplum est: cùm enim idem Episcopus magnam ciuium frequentiam, qui ad confessarios accedebant, animaduerteret, quò suo boni Pastoris officio satisfaceret, & suorum clericorum animos ad idem accenderet; diluculo surgens in templum se conferebat, & quoscunque ad se videret accedere, audiebat pœnitentes. vnde magnam sibi omnium beneuolentiam promeritus est, & parem laudem tulit. Mulier laboribus grauibúsque Satanę afflicta suggestionibus se in mare præcipitē mittere statuerat: & cùm illud horrendum consilium exequi vellet, antequam perficeret, nescio qua mente cōcionis gratia ad templum impulsa fuit. quo diuina prouidentia factum est, vt concionatoris oratione ad lenitatem durus animus flecteretur, & prauo abiecto consilio, confessionis causa Episcopum adierit, eíque rem totam aperuerit. Quare leuata Deo gratias egit, quòd periculum Satanæ fraude obiectum effugerat. Prauis ac inueteratis iurandi & maledicendi consuetudinibus nostri adhortationibus obuiàm iuerunt. Multos aliquot grauium criminum, quæ vel verecundia, vel dæmonis astu obtexerant, conscientia ad generalem triginta & quadraginta annorum confessionem reuocauit. Pauperum inopia magnam partem leuata est cibo, quem nostrorum operâ & studio Episcopus suppeditabat: nec verecunda plebs officio caruit. In quodam populo multi inueteratis odiis dissidentes vnius è nostris aduentu in gratiā redierūt, apud quem vniuersus populus peccatorum sarci-

nam

nam depoſuit: vnde ſublatis odiis tanta eſt amicitia conſecuta, vt inſtar fratrum alter alterum ad prandium inuitantes in admirationem omnes raperent: quorum multi ad cõfeſſionem diu neglectam ſe retulerunt, & non ſolùm diebus feſtis, verùm etiam Patris conſilio profeſtis niſi abeſſent ab vrbe, templum frequentarunt, in quod annum iam & ampliùs pedem non intulerant. Quidam vigintitres & vigintiquatuor annos nati peccatorum confeſſionem inſtituerunt, qua nunquam antea vſi fuerant. eos Pater admonuit vt frequentiùs confiterentur in poſterum.

In Boſanenſi Miſſione cùm vnus è noſtris pro concione de extremo iudicio ſermonem habuiſſet, mirabilem ex eo fructum auditores perceperunt. Multi namque peccata confeſſione aperuerunt, atque in his quatuor, qui annos quinquaginta veræ confeſſionis fructu fruſtrati erãt, quòd vel verecundia, vel dæmonis dolo inducti aliquot crimina tacuiſſent: & totidem eandem ob cauſſam quinque annos concluſum in pectore virus euomuerunt. Duæ mulieres, quæ corpus in venerem ſoluerant, & omnium animos offendebant, noſtrorum concionibus & monitis ad meliorem frugem reuocatæ ſunt, & abiectis confeſſione peccatis ſanctiorem vitam inſtituerunt. Mulier magna omnium offenſione, apud quos, vel ob eius impudentiam, vel quia patebat omnibus turpitudo, malè audiebat, cum viro primario duos annos concubuerat. hæc cùm concioni interfuiſſet, diuino ſpiritu afflata alterum è noſtris adiit, vt ſuo morbo remedium diſceret. ac de eius conſilio ſe ab amatore diuellit, omnium veſtium elegantia, & reliquis quæ ille dederat, & rem ratione expendentium animis odium pariebant ornamentis omnibus abdicatis. Verùm amator cùm

ſe

ſe accepiſſe iniuriam exiſtimaret, amore venereo cæcus de noſtro conqueſtus eſt: ſed efficere tandem non potuit ne à ſe mulier abduceretur, quæ ad rationem vitæ laudabiliorem ſe recepit, & multis annis contractas peccatorum maculas confeſſione abſterſit.

Collegium Calaritanum.

MAGNA pars noui templi ad faſtigium perducta eſt. Quadraginta horarum ſupplicatiò hoc anno ante Quadrageſimales ferias inſtituta ciuitatem continuit à libidine, quæ eo tempore bacchari ſolet. Ac tanta erat in noſtro templo ciuium frequentia, vt vacuæ domus fierent. Ac illud profectò non mediocrem admirationem parit, quòd per eos dies vix duo vel tres vagari per ciuitatẽ perſonati viſi ſunt. Ipſe Prorex exemplo ceteros præiuit. nam hora prima cum filio adhuc puero vacauit orationi, quem Sodales Equeſtris Congregationis ſecuti ſuis horis variatis vicibus orarunt, & cereorum fecere ſumptus. Non minori frequentia dies B.P.N Ignatio ſacer celebratus eſt. Propoſita item in templo eius imago, ad parietes pretioſo periſtromate conueſtitos, quod Prorex commodarat. In peruigilio Veſperæ ſuauiſſimo vocum & inſtrumentorum concentu decantatæ, & in feſto repetitæ ſunt. Archiepiſcopus Sacrum fecit, & interim ex interuallo aures muſica demulcebat. Concionatus eſt vnus è noſtris, qui cùm ægrotaret febri laborans, admonitus à Patre Rectore, vt ſe ad concionandum compararet, ne tam celebris dies, & tanto Patre ſacer concione careret, ſtatim à febri relictus eſt, & poſtquam concionandi penſum perſoluit, ad febrim reuocatur: quo videlicet Deus oſtendit,

quantum

quantum ſibi probaretur cultus B. Ignatio præbitus. Ad ſacram menſam eo die quingenti circiter acceſſerunt. Inuitati ad prandium Archiepiſcopus & Prorex. habita eſt oratio de laudibus Ignatij, & bibliotheca elegantibus varii generis carminibus ornata. Iure optimo ciuitas hæc eius feſtum celebrare poteſt, quia beneficia ſe ab eo fatetur accepiſſe. Mulier dolore dentium laborabat, nec vllam tamen medicinam dentes ſentiebant; cùm veniſſet in mentem fruſtilli eius veſtis qua B. Pater vtebatur, eo accepto maxillæ ſignũ crucis impreſſit, & mulier dentium dolore leuata eſt. Sed maius audite miraculum. Piæ cuiuſdam virginis, quæ caſtitatis voto ſe Deo conſecrare decreuerat, pudicitia toto ferè biennio à dæmone variè tentata eſt. Nam præter alias atque alias quas identidem coram ipſa modò canis, modò porcelli formas induebat, etiam ſub hominum affinitate hanc proximè attingentium ſpeciem ſe oſtendebat: quibus longè à ſuis cõſiliis aliena loquentibus, cùm præ rei nouitate obſtupeſcens ſacrum IESV nomen fortè pronuntiaret, extemplò huiuſmodi ſpectra effugabat. Clariùs ſe prodidit veterator, cùm aſſumpta elegantis venuſtiq́ue iuuenis forma pudicam à propoſito mentem mille nocendi artibus palàm conatus eſt auertere. Iam enim impudicis cum ea verbis, & geſtu amatorio colloquebatur, ſubinde abnuenti minas adhibebat, ſpectra impudica, turpia & horrenda caſtis oculis exhibebat: demum impudenter & procaciter in eam irruebat, vt ſic eius animum ad libidinem flecteret. adeò, vt labore magno & animo plùſquam muliebri huic pugnæ fuerit obnitendũ. Nec tantùm diurno tempore religioſa hęc anima cum aduerſario pugnauit, intempeſta nocte ſæpenumerò ſenſit è lectulo ſe nudam efferri,

&

& in partes nunquam antea à se visas deportari, atque ibi coram quibusdam à se cognitis suam vehementissimè pudicitiam tentari. Interdum etiam ei ætate & conditione vitæ pares ad assensum exprimendum ostendebat, ac si similis belli diuturnitatem pertæsæ tandem hosti manus darent, eamque ad huiusmodi fœdus ineundũ blandè inuitarent, vtpote quæ tanto agitata certamine aduersario aliquando concessura esset sibi consultius intelligeret veneri indulgere; quam illius belli laboribus cruciari. Alias deferri sibi visa est in specum profundissimum, vbi magna erat obscuritas & ignis: aderãt suasores minitantes, iamiam in eas esse flammas coniiciendam, nisi eorum libidini obediret: & se tanquam reuera flammis tradi sentiebat, ac augustissimum IESV nomen, quod ore proloqui non poterat, interno motu appellabat. Adhæc incredibiliter eam diuexabãt, quæ post hasce pugnas inardescere consueuerant, & intimos occupabant sensus, carnis incentiua: & vsque adeò viuos in se ipsa tentationum experiebatur aculeos, vt propè consensisse hostique teterrimo victas dedisse manus sibi videretur: vnde dolorem cruciatibus quibusuis ac morte ipsa denique grauiorem præferebat. Necdum hic tantarum probationum stetit finis. nam afflictæ mulieri seductor ille prohibebat hæc illudia suo confessario aperire: quòd si fecisset, maiora indies & grauiora eam passuram minabatur. atque adeò siue peccata confessione aperiret, siue ad sacram de more mensam accederet, omnibus in locis veterator ille aderat, nec in ipsis templi penetralibus liberum eam ducere spiritum sinebat. Cùm verò hæc omnia sæpè suo confessario ex Societate ipsa exposuisset, ac tandem anno millesimo sexcentesimo decimoquinto Kal. Iunij ad Patris pedes

pedes accidens, & solito miserabiliùs lacrymas effundens & ingemiscens, patefecisset ea, quæ antecedente proximè nocte sustinuerat; eam cõfessarius bono animo esse iubet, atque à nostro B.P.Ignatio tantorum malorum remedium petere, cùm etiam ipse complures similibus molestiis affectos recrearit. Tum quasi quodam lumine illustrata in spem erigitur se Ignatij precibus voti compotem euasuram. depositis ergo apud confessariũ criminibus, rectà ad cæleste mensam fertur: & sacro pabulo iã refecta se collegit, & cùm Deo illas omnes molestias ostendisset, ipsum B.P.N. Ignatium precata est sibi vellet opẽ ferre, & apud Deum Opt.Max. suis precibus gratiam impetrare. Tum vouet se quaq; hebdomada ieiunij diem seruaturam, dum vita suppeteret, ac insuper eodem die ter supra trigesies *Pater* & *Aue* recitaturam pro eo annorum numero, quibus ipse B Pater à relicta sæculi vanitate ad exitum vsque vitæ vixerat. tum sensit quandam quasi impetrandæ rei certitudinem. Votum hoc præsentissimum fuit malorum omnium afflictæ feminæ remedium: hoc cæleste munus nunquam non se prædicat accepisse: quæ ab eo tempore ex omnibus fuit erepta molestiis, ita vt deinceps, hoc est duobus abhinc fermè annis, tranquillam semper, & propè cælestem sibi videatur vitam traduxisse. & voti non oblita summo cultu & religione sibi fortunatum recolit B.P.N. Ignatij diem. Quidam cùm alium appetere veneno decreuisset, quòd secum pessimè ageret, antecedente nocte venenum parauit, & cum eo consilio decubuit, vt insequenti die præberet. ea nocte videri sibi per quietem visus est B.Virginem alba veste splendentem, quæ prauum consilium corripiens, Infelix, aiebat, quid tentas? abstine ab eo. quòd si hucusque crudelis

in te ille fuit, benignum experieris in posterum. experrectus mentem illam deposuit, & paratum venenum in occultum locum abiecit; ille verò, quem petebat, humanum se exhibuit. Duo viri cùm crebris incursibus molestias sibi ab vxoribus zelotypia falsa ductis illatas æquo sustinere animo non possent, eas non sine earundem vitarum discrimine deserere, & suis excedere terris cogitabant. Quorum alter abiturus Patri suorum bonorũ clauem tradidit, vt vxor id animaduertẽs ad se rediret. Pater mulieres allocutus ita sedauit, vt nunc vnà viuant, quemadmodum coniuges decet. Multi calcatis vitiis in virtutis viam reducti. Vnus ex nostris in proximum pagum profectus erat, vt quorundam dynastarum erga nostros valdè propensorum flagitantium audiret confessiones: quibus peractis reditũ cogitabat; sed cùm moratus esset, & iam discedere vellet, imminebat nox, quin animaduertisset quid eum remoratus esset. Deposito igitur profectionis consilio lubuit in templum ire: in quo delatum est ad Patrem adesse hominem qui peccata confiteri vellet. Iubet illum accersiri. accedit ille totus tremore perculsus. confirmatus à Patre cœpit ea exponere, quæ eius animum vehementer angebant. Hic ergo vigintiquinq; antè annis cùm in quodã pago negotiorum caussa moraretur, en, domum eius ingreditur quidam monachali habitu indutus, & seductum hominem in interiorem ædium partem rogat, an sibi peccata confiteri vellet. & deinde, Nónne hæc & illa (numerabat crimina) commisisti? stupuit ille rei nouitate perculsus. tum peregrinus: Horum pone curam, aliquot erogato denarios vt Sacra fiant, quippe quibus istis criminibus absolueris. ego nunc nauim conscendo, ad annũ reuersus te inuisam. hæc cùm dixisset, abiit.

Ergo

Ergo misellus homo peregrino fidem habens, illa semper dum confiteretur, crimina tacuerat: & quamuis illorum conscientia semper angeretur, sibi tamen remissa esse arbitrabatur ex peregrini verbis. hæc cùm Patri dixisset, & ab eo peregrinum illum fuisse dæmonem didicisset, contremiscens in lacrymas fusus est: qui ritè confessus diuinam sibi gratiam conciliauit. Diem B. Virgini Annuntiatæ solemnem equestris Congregatio celebrauit, in quo Indulgentia promulgata est. Archiepiscopus sub finem Sacri omnibus Sodalibus quatuor Congregationum ac multis aliis sacram Eucharistiam præbuit. Concionatus est Pater Prouincialis omnium applausu. eodem die multi diuino afflati numine B. Virgini deinde nomen dederunt.

Domus Probationis Calaritana.

MAXIMVS in omnibus virtutis ardor apparuit, & veterani quidem facem tironibus præferebant. præcipuè tamen tirones in silendo, & propria voluntate frangenda, flectendo iudicio, & in motibus animorum planè & simpliciter Superiori aperiendis excelluerunt. Multi ad imaginem Christi cruci affixi, quæ Arboreæ visitur, peregrè profecti sunt, vt est mos tironum: quorum vnus cùm in parentem, fratrem atque patruum querelis lacrymas admiscentes incidisset, se subduxit, & in cubiculum abdidit, quo Archiepiscopus eos exceperat: neque priùs ad eorum colloquium est egressus, quàm ab eo qui omnibus præerat iuberetur, qui paucis quidem eos absoluit. Hoc anno pridie Idus Octobris Frater Gaspar Aquena Sassaritanus, qui Theologiæ cursu magna laude cōfecto, in tertio Probationis anno versabatur, diem

obiit ſupremum: magnũ patientiæ & obedientiæ ſpecimen præbuit dum ægrotaret, ac ita ſe geſſit vt ſi minimus. & antequam morbo corriperetur, eum à Deo vocari oſtendit ſubita quædam mutatio, cùm ad exercitationes omnes humiliores animum adiecerit, in quibus ardoris & ſui demiſſionis exemplum tironibus propoſitum reliquit. Periculoſis morbis tentati ſunt aliqui, neque tamen patientiam atque religioſam modeſtiam obliti ſunt. Quorum vnus eo morbo affectus fuit, vt medici omnes internoſcere nunquam potuerint, & tamen precibus Deo beatiſque Patribus Ignatio & Xauerio adhibitis magis, quàm humanis remediis ex eo conualuit.

Collegium Vallecclesienſe.

VALLECCLESIENSIS ager non fuit hoc anno ſterilis. nam coloni diligentẽ ei colendo operã nauarunt. Dominicis enim diebus peracto primo Sacro diuinum ſerere verbum ſolent in templo noſtro, quo non plebs tantùm, ſed vrbani etiam confluunt. Toto anno in templo maximo noſtri magno populi numero, ſed maximè Quadrageſimali tempore, cõcionati ſunt, nõ ſine animarum fructu. multi nãque qui ſe mutuis odiis proſequebantur, in gratiã redierũt: alij malè parta reſtituerunt. Concurſus ad pœnitentiæ Sacramentũ fuit adeò numeroſus, vt confeſſariorum inopia in Paſchales ferias reiecti fuerint. Sodalitium B. Virginis, quod ex vrbanis & virtutum ſtudioſis viris conſtans in Collegium ſuperioribus annis tranſlatum fuerat ex templo diuæ Luciæ, non longè à noſtris ædibus, commoda nunc vtitur domo, in quam Sodales congregantur. Ciuitas fuit hoc anno afflictata morbis, in quibus (licet antea rarò)

noſtros

noſtros accerſebat. Verùm noſtri non accerſiti tantùm ægrotorum domos petebant, verùm etiam eos vltrò quærebant, & magno fructu conſolabantur. Hos labores Deus larga duorum aureorum millium eleemoſyna compenſauit, quam Archipreſbyter elargitus eſt, & alia ducentorum.

Collegium Algarenſe.

MANET olim inſtituta pia illa conſuetudo habendi ſermouis diebus Dominicis ſub primum Sacrum: & auditorum numerus nuper eſt auctus. Magnus quoque fuit numerus confitentium, ita vt præ confeſſariorum inopia ſatisfieri omnibus non potuerit. quòd ſi plures hoc Collegium Patres aleret, fructus profectò copioſior eſſet: nam homines noſtræ Societatis, & eorum doctrina magna valent auctoritate apud ciues omnes, & apud Epiſcopum maximè, qui nihil niſi de noſtrorum conſilio aggreditur. Inflammatus eſt puerorum ardor in ſtudiis, quem declamationibus & orationibus in ſtudiorum inſtauratione à ſe habitis oſtenderunt. Nec minor eſt pietatis ardor, Sodalium præcipuè B. Virginis Annunciatæ, in cuius Sodalitium ſcholaſtici fermè omnes cooptati ſunt: qui ita ad pietatem aſpirãt, vt diligentiſſimè confeſſionem vſurpent, vt vnà omnes ſtatis diebus ſacræ menſæ accumbant. quod ita laicos mouit, vt multi in idem Sodalitium admitti voluerint. ac eorum ita creuit numerus, vt à ſcholaſticis neceſſe fuerit ſeparari. hi ſe diuerberare ſtudent, carni cilicium apprimere, adeò vt illos aliquando ab his pœnis oporteat continere Militibus Alguerium appulſis, ex his qui erant in Argerina expeditione, in noſocomio decumbentibus diligentem nauarunt operam.

Dies festus B. Ignatio celebratus est solemnibus Vesperis ab Algarensi clero decãtatis, cereis multis, & musico concentu. Sodales omnes in sacello eidem B. Patri dicato sacram synaxim vnà sumpserunt, quam electus Episcopus Alensis in nostros valdè animatus Sacrum Missæ faciens subministrauit. In hoc ergo sacello proposita est eiusdem Beati Ignatij imago, & lychnus diu noctuque ardet. idem fermè honos Beato Franc. Xauerio præstitus. In hos ergo Beatos excitatum est in hac ciuitate studium, sed in Beatum Ignatium maximè; ad quem suis in necessitatibus & morbis confugiunt, & ad quærendam salutem oleo, quod in eius ardet sacello, vtuntur. Hoc Beato intercedente sibi videntur aliqui à Deo remedia impetrare. Mulier primaria (ea est quæ eius olei, quod in sacello eiusdem Patris ardere diximus, impensas facit) filiã habuit quatuor non dũ annos natam: in cuius collo cùm magnum tuber erupisset, nec sensisset medicinam; mater, ne tuber illud in scrophulam conuerteretur, ex oleo quod in sacello B. Ignatij accenditur, eiusdem puellæ precibus, tuberi tres guttas aspersit in Sanctissimæ Trinitatis honorem, quam Beatissimus Ignatius colebat maximè. Insequenti die tuber inuenit tribus partibus ruptum, & omnino fermè sublatum. Admiratus medicus est puellam illam tam repentè & contra spem recuperasse salutem. Apostata quidam apparuit in hac ciuitate. hic cùm in graui morbo iaceret, ab vno de nostris inuisus est: quem cùm vidisset ægrotus, adductum à Deo dixit Patrem ad suæ animæ salutem curandam, & fieri non posse, vt alij, qui ex Societate non esset, suæ animæ plagas aperiret. Pater vbi eum tres iam annos à religione defecisse cognouit, absolutionem illi impertiuit, qui animã exhalauit Deo recon-

reconciliatus. Laicorum Congregatio die S. Martino sacro cœpta est: Sodales fuere triginta. Electus Episcopus Alensis vnus fuit ex fundatoribus, quem Archidiaconus & Consul à maximo primus imitati sunt. Fuit igitur celebris dies, ac in eo suprà dictus electus Sacrum faciens fundatores cælesti conuiuio excepit in nostro templo. Congregationi nomen est à Beatæ Virginis Conceptione, cui sacratus dies magna pompa, & totius Congregationis communione solemnis admodum fuit: quæ omnia multos permouerunt, vt in eam adsciscerentur. Episcopus Alensis, de cuius erga Societatem accenso studio diximus; antequam se immergeret in earum occupationum pelagus, quæ dignitatem illam consequi solent, nostris commentationibus se excoluit, quæ erga B Ignatium earum auctorem illius pectus inflammarunt. Collegij ædificatio ita hoc anno promota fuit, vt iam in illud collegę migrauerint, in quo cubiculorum est copia iis, qui in hoc Collegio ali possunt. Sex casulæ eleëmosyna factæ, quarum duæ ex veste damascena: frontalia quatuor, quorum vnum damascenum, & alterum ex serico raso, fimbriis aureis ornata.

Missio ad Arborensem diœcesim annorum 1600. *&* 1601.

His rationem, quoad potero, breui reddam eius fructus, quem Deo Opt Max. duce, in hac Arborensi quinquemestri Missione nostri retulerunt: qui proculdubio copiosior fuisset (ita paratos omnes, & suæ salutis cupidos reperiebāt) si plures fuissent, atque hiemis intemperies non prohibuisset, quominus progrederentur vlterius.

cùm enim pauci essent, & multis è locis flagitarentur, diutiùs in locis non morari cogebantur, vt omnes eius, quod expetebant, participes essent, atque in hac prima Missione aliquàm omnibus & instituti nostri cognitionem traderent, & eorum quæ præstare cuperent, non in ciuitatibus tantùm, vbi domi nostræ, assiduo & laborioso studio nostra munia exercent, verùm etiam atque multò magis profectò in quacunque vel remota, & indigenti mundi regione: quod, quæ Dei bonitas est, cognouerunt, & sermone (quod sanè ruborem parit) sæpiùs confirmarunt. Quin etiam nostri magnum experti solatium, quod eis in tantis laboribus Deus præbet, ex ingenti necessitate, qua premuntur pagi iis auxiliis destituti, ex inflammata cupiditate qua ad nostros confluunt, & ex copioso tandem fructu quem reportant, perspiciunt, & ad rem hanc erectam à Deo in orbe Societatem esse prædicant: immò addunt religioni sibi ducere nostros debere, dum in ciuitatibus patiuntur se tam paucis occupationibus irretitos contineri, cùm eos ad remotos pagos magna vocet necessitas; vnde magnus percipitur fructus, quem anno proximè futuro maiorem fore speramus. tantum hæsit in vicanis nostrorum reditus desiderium, tantosque Deus Opt. Max. ad maiora ob eius amorem patranda nostris hominibus animos addit. Cùm igitur Pater Prouincialis faustũ in hac insula Missionum initium facere, simulque vbi Residentiæ domus ex Patris nostri Generalis iussu extrui posset, cognoscere cuperet, eam insulę partem delegit, quę animarum pabulo carere magis & latiùs patere videbatur. Hæc est Arborensis Marchionatus in regiam coronam olim relatus, qui in quatuor partes vel regiones diuisus, pagis vno & triginta continetur. Quatuor igitur

è noſtris, Patres videlicet tres, Ioannem Garruchium, Saluatorem Monaquellum & Antiochum Cartam, Fratrē vnum Monſerratum Muram huic muneri deſignauit. Præerat Miſſioni Pater Ioannes Garruchius ob longam horum locorum peritiā, atq; ſtudioſam ad has Miſſiones animi propenſionem à Deo conceſſam. Satis igitur inſtructi Arboream, Oriſtaiuum vulgus appellat, diſcedunt, vnde Miſſionis initium capiendum erat, & ab Archiepiſcopo venia impetrata, ampliſſimis quidem diplomatibus, cœperunt noſtri Societatis munere fungi; in Aduentu, Dominicis ſolemnibuſque diebus Dei verbum ferentes, non in templo maximo tantùm, verùm etiam in Sodalitiis, monialium cœnobiis, in ſuburbiis, ac duobus aliis proximis pagis, quibus à S. Iuſta & Palmis nomen eſt. Ad eos noſtri pedites proficiſcebantur, quod in reliqua Miſſione factitatum eſt, quatenus imbres & flumina non obſtabant: precario victitabant, quod fuit omnibus & ad exemplum valdè ſpecioſum, & ſtimulus pariter acerrimus, quo ad eam quam quærebant, animarum ſalutem illos adducerent. His in locis Chriſtianæ fidei præcepta tradiderunt, multas, & in his aliquot anteactæ vitæ confeſſiones exceperunt, aliquorum odia ſopiuerunt. Quamuis verò id matutino ferè tempore facerent, veſpertino tamen non vacabant. eos enim qui in noſocomiis ægrotabant, & qui in carcere detinebantur inuiſebant, Chriſti docebant fidem, & ægrotorum aliorumque afflictos animos oratione, corpus verò quæſito cibo confirmabant: cuius præcipuè incluſis in carcere magna erat inopia, adeò vt ob eam cauſſam paucis antè diebus, quàm illuc noſtri peruenirent, animam vnus egerit. Verùm quia pro inſtituti noſtri ratione, animarum commoda

maximè ſpectabant, adhortari omnes, & ad plenam peccatorum confeſſionem comparare felici quidem euentu ſtuduerunt, & cum iudice ſimul egere, vt eorum negotiis breui confectis dimitterentur. qua in re adeò diligens opera poſita eſt, vt, cùm eſſent ampliùs viginti, minùs menſem non plures quàm quinque vel ſex in cuſtodia relicti fuerint. Quod iucundum in primis Archiepiſcopo fuit, qui eos vnà inuiſit cum noſtris, ſolatus eſt, & Chriſtianis præceptis erudiuit: idem à ſuo œconomo iuſsit ad eos frequenter mitti cibos. Dum hìc eſſent, adhibita etiam cura eſt, vt Archiepiſcopi iuſſu adoleſcentulæ aliquot parentibus orbæ eædemque inopes quærerentur, quæ ſe in monialium cœnobium abderent, vbi cum virtutibus opere plumario pingere, ſuere, & reliqua mulierum propria munera diſcerent; quòd ſi deinde luberet, vel religioſam amplecti vitã, vel nubere liceret ea eleẽmoſyna, quã idem Archiepiſcopus huic rei eſſet aſsignaturus. Ex his magnũ in ciuitate commotum eſt noſtrorum retinendorum deſiderium, & condendi pariter Collegij. cui rei non parua pecuniarum vis offerebatur: verùm cùm eis imperatum eſſet, ne ſermonem de Collegiis haberent, nonniſi de Reſidentię domo actum eſt; quam Archiepiſcopus octo de noſtris commodam in eadem ciuitate, atque interim ſeparatam in ſuis ædibus habitationem comparaturum ſe dixit. Inſtituti etiam recta Sacramentorum adminiſtrandorum, & ſui muneris explendi ratione ſacerdotes, qui ex vniuerſa diœceſi confluebãt, vt ſuorum curionatuum tabulas acciperent. Mulier adhuc adoleſcentula claris orta parentibus, cum nupſiſſet ſuis inuitis, qui ob eam cauſſam eius aſpectum oderant; eò inopiæ adducta eſt, vt miſerabilem virum morbo correptum ad noſoco-

mium

mium deferri oportuerit. Cùm verò ipsa omni ope ad vitam tolerandam destituta esset, vnus è nostris consanguineos eius allocutus vix adduxit, vt mulier primaria in domum acciperet, & ad victum necessaria suppeditaret.

Octauo Kal. Ian. Pater Saluator Monaquellus & socius Fr. Monserratus Mura Arboream peruenerunt, qui vnà cum Patribus Garruchio & Carta id aggressi sunt cuius caussa venerant. Cùm ergo gratissimum fore Deo iudicarent, si ciuitate relicta, in vicinos pagos operā conuerterent; Archiepiscopum edocent quid esset in animo: qui probato consilio diploma nostro iuuandarū animarum muneri maximè fauens dari nostris iussit, quo Canonicos, Rectores & Parochos omnes iubebat nostris omnino parere, & concionem vocare, cùm vel concionari, vel Catholicam docere fidem, vel eorum qui vellent confiteri, audire confessiones nostris libuisset. eos præterea hortabatur, vt ceteros exemplo præirent, ex nostrorum doctrina fructum caperent, & iis instrui artibus amarent, quibus sine suarum animarū, & ouium quibus præerant, detrimento suo muneri satisfacerent. Verùm necesse nunquam fuit hoc vti diplomate, cùm auidissimè nostri expectarentur ab omnibus. In Marchionatus igitur pagos digrediūtur, & regiones (quas incolæ Campidanos appellant) descriptas inter se distribuunt. quatuum duæ, quæ maior est, & ea quæ à pago Milis nomen habet, Patribus Monaquello & Cartæ cùm obuenissent, in eas profecti sunt: Pater Garruchius cum socio Fr. Monserrato, sortitus regionem nomine Semagues, discessit in proximum pagum, qui sibi à S. Iusta nomen adsciuit, eo consilio, vt alios etiam decem lustraret. Hic eo die ad numerosam turbam, quæ ad S. Seræ solemnia celebranda

da conuenerat, de verbo Dei sermonem fecit. quo in loco dies octo tenuit, atque idem semel diebus profestis, festis verò bis vsurpabat: ad quem multi verbi Dei studiosissimi concurrerunt, & peccata multi confessione aperuere. quod idem omnes fecissent, si eorum votis concedens Pater remansisset: sed deferre ad alios oportuit Euangelium. hîc ad conciones & confessiones plena Christi fidei doctrina accessit. Reuocata est Congregatio, quæ à suis initiis omnino defecerat, & in eam multi primarij admissi sunt. Interfuit eo die Episcopus, & delectatus eis animos addidit, & ad opus tam religiosum hortatus est. Institutum præterea rosarij Sodalitium ad studium feminarum erga B. Virginem augendum. Hinc Palmas iuit, vbi, quia vicus est exiguus, quinque posuit dies, sed magnum ex concionibus, doctrina Christiana, & confessionibus fructum reportauit. Interea religiosam (quod ad victum attinet) paupertatem coluere nostri. Hinc Vrbanam: vbi septem dies præter reliqua Societatis officia impendit confessionibus excipiendis eo concursu, vt quò omnibus satisfaceret, ab ortu solis vsque ad occasum à labore discedere non liceret. Quod & in reliquis Patribus desideratum nequaquam est: suæ enim corporis saluti, & commodis solatium harum animarum & vtilitatem prętulerunt, ea assiduitate, vt mirandum sit non magno eos ex assiduo sermonis vsu capitis dolore correptos esse. Sed quid de cubilibus? quæ ita erant incommoda, vt illis duras arcas & mensas anteponerent; addebatur domorum simplici tegula contectarum humilitas. sæpè verò ad domos ita apertas & iniuriis cæli obnoxias diuertebant, vt nullam aliquando in nocte quietem capere potuerint: tanta frigoris, grandinis & ventorum vis in diuer-

diuersorium influebat, neque tamen insequenti die solitis officiis deerant. Vrbanam igitur cùm rediissent, operam dederunt, vt multi in sanctæ crucis & rosarij Sodalitates aggregarentur, eosq; & ad Virginis cultum adhortati sunt, & piè rosarij percurrendi rationem docuerunt. Hinc pro more pedites oblatos equos repudiantes migrarunt Siam magnam (hoc pago nomen est) vbi Pater vnà cum Fratre doctrina Christiana aperienda, sedandis inimicitiis, sermonibus & confessionibus octo dierum laborem sustinuit, morbo affectos inuisit & solatus est. vicanis persuasit, vt Congregationem instituerent aliquam: qui studiosè quidem paruerunt, & ab Archiepiscopo facultatem impetrarunt: quam non solùm ille libentissimè concessit, verùm etiam nostro exemplo permotus in aliis pagis sanctissimi nominis IESV & rosarii Sodalitates fundauit, & aggregationes ad Romanam curaturum se affirmauit, non earum tantùm quas ipse condidit, sed & illarum quoque, quarum nomina ei nostri dederant in libello. In quodam ex his pagis, quos obiuit noster, cuiusdam hominis confessionem postero die se auditurum promiserat: hic autem conscientiæ stimulis & angore animum leuare apud Patrem adeò cupiebat, vt quiescere non valens è lecto surrexerit, & intempesta nocte Patrem adierit, à quo maximopere flagitabat, ne differri amplius confessionem pateretur: nihil enim aiebat solatio sibi esse posse, donec suum hoc votum expleret. ita factum. Surrexit Pater, & audita confessione solatus eum dimisit. Dolorem profectò attulit Patris discessus in alium pagum nomine Siam paruam, quò eum primarij comitati sunt. In hoc vico adducti sunt omnes, vt ad Sanctissimam Eucharistiam populo exponendam sumptus conferrent.

ferrent. hinc ad alium pagum missis legatis vocatur Pater, vt remedium aliquod homini à cacodæmone obsesso adhiberet: ita enim ab eo cruciabatur vt vita desperaretur. Pater cùm eorum qui missi erant, mœrorem videret, eò se contulit, lassum & furentem ægrotum reperit: in quo ea signa apparebant, vt energumenum iudicauerit. Quia verò exorcismorum liber desiderabatur, Euangelium cum aliquot orationibus pronunciauit, & ornatam Sanctorum reliquiis crucem cum agno cereo è collo eius appendit: quibus factum est, vt, cuius antea furens & effrænata lingua erat, resideret, & aliena non loqueretur. apud eum ergo Pater totam illam noctem cùm traduxisset; vbi quieuisse videt, ad eum, vnde fuerat euocatus, reuertitur pagum. Ille magno tum suo, tum etiam suorum solatio ad salutem omnino reuocatus est: ipse deinde Pater cum socio lætum eum vidit, cùm ad se inuisendum venisset, & pro suscepto labore munus attulisset; quamuis illud recusauerit, illam videlicet esse laboris mèrcedem, si viri probi mores sectaretur, & ab omni noxa peccatisque abstineret, quibus permittit Deus, vt humana corpora dæmones obsidentes vexent. Ollastrum, (pagi nomen) perrexerunt: vbi dies octo morati consueta munia Societatis obiere magno populi concursu, qui tantam in concione lacrymarum vim profundebat, vt modum lacrymis indicere oporteret. Quidam ex alio vico mœrore obrutus Patrem venerat quæsitum, vt fratri, quia à morte propiùs aberat remedium disceret. hic vt erat imperitus libellum ab eo pro amuleto petebat, quem prisci illi imperiti tamen sacerdotes factitare consueuerant, in quo ex Scriptura sacra concepta verba continebantur; centonem potiùs quàm cohærentem orationem dixisses.

eum

tum Pater, huiuſmodi libellos aut amuleta conficere ſe non eſſe ſolitum reſpondit; agnum tamen ei cereum daturum, quem ægroto multa fide & religione admoueret. Patris munus atque conſilium ille probauit, acceptum agnum reuerſus adhibuit ægroto non ſine vtilitate: qui enim extremum ſpiritum exhalabat reuixit, & ſalutem omnino breui recuperauit. Cuius rei teſtis Parochus fuit, qui morbi vim nouerat, & ita repentè redditam ſalutem videbat. Sed alienum à re illud non videbitur; tantum eſſe ſacrarum cereorum agnorum imaginum ſtudium, vt ex aliis locis, vel impetrandi fruſtilli cauſſa quæſitum Patres veniant: illa verò in diſtribuendo vſi ſunt arte; ei, qui animæ ſordes priùs confeſsione non abluiſſet, negabatur. Quare tantus fiebat ad noſtros ſæpè concurſus, vt obrui viderentur. Actum in pago vt roſarij Sodalitium conſtituerent. Deinde præfinito die lapſo conferunt ſe in alium pagum, cui ſanctus Verus de Congios nomen fecit. in hoc eadem, qua in ſuperioribus, populi frequentia ſeptem dies laboratum eſt. Cùm in Congregatione roſarij tres tantùm fratres repeririſſet Pater, ſtuduit augere felici exitu: tribus enim adnumerati ſeptuaginta ſunt magno totius pagi applauſu: cuius incolæ tantum ex diſceſſu noſtrorum dolorem hauſerunt, vt cymbę, qua erant in vlteriorem Torſi fluminis partem tranſuehendi ad alium pagum ituri, malum omen, hoc eſt interitum, imprecati fuerint. Pagus hic quò ibant, Solaruſſa dicitur, quò eius loci primarij noſtros deduxerunt. in ſolito concionandi & doctrinæ Chriſtianæ declarandæ munere verſati ſunt: totius pręteritæ vitæ viginti quidem, triginta, quadraginta, quinquaginta & ampliùs annorum confeſsiones acceptæ ſunt, & multę factæ reſtitutiones. Præter-

cundum

eundum profectò non est Sodalium sancti Veri de Congios verbi Dei audiendi studium. cùm enim interdiu agriculturæ caussa concioni interesse non possent, à Patre postularunt vt apud se noctu dum laborare cessant orationem haberent. libentissimè Pater eorum precibus cessit: qua ex re sanctorum & Apostolicorum virorum famam sibi apud eos compararunt. Cùm autem locus is esset finium Patri Garruchio & socio Fratri Monserrato descriptorum limes, se cum Patribus Monaquello & Carta congregarunt: quorum Missionis hæc subsequitur ratio. Eôdem quò Pater Ioannes Garruchius & Frater Monserratus profecti sunt, etiam Patres Saluator Monaquellus & Antiochus Carta, eo animo, vt pagos vnum supra viginti obirent ex duabus illis regionibus, quæ ex superiori locorum distributione obtigerant. ab ipso ergo ciuitatis Arborensis exitu nimbus ingruens pagum vsque Fermi, quò eo die ire statuerant, eos secutus est huc accessit, quòd cùm essent cœnosum lacusculum traiecturi, primo ingressu Pater Saluator vnà cum equo decidens genuum tenus immergitur, vnde sine vllo sui detrimento emersit: delapsa simul est mãtica cum illius aliisq; codicibus & imaginibus, atque arculis hostiarum & cereorum agnorum plenis. madefacta sunt omnia præter agnorum imagines, quarum arculam aqua non penetrauit, cùm aliis vel recentioribus, vel arctè clausis non pepercerit. ita igitur madidi viã Cabram ingressi perhumaniter excepti sunt. Eadem nocte rationem sui aduentus domi hospitis exposuerunt, qui ita se gessit, vt non verbis tantùm ad salutares Patrũ sermones audiendos, doctrinam & confessionem omnes adduceret, verùm etiam exemplum præbens ipse cum vxore confessione peccata expiauerit. cùm autem no-

ſtri cognouiſſent, quanta in his populis ritè ad confeſſionem ſe comparandi eſſet inſcitia, maximè ſtudebant plena peccatorum aperiendorum ratione eos erudire. vbi pagos ingrediebantur, quærebant an eſſent ægroti, & qui odiis inuicem certarent, vel turpitudinibus publicis reliquos offenderent, vt eis Deo duce mederentur, & neceſſitati ſubuenirent. illud etiam præcipuè ſpectabant, vt Parochos recta ſui muneris implendi ratione inſtruerent: quorum vnus dies octo ſecutus eſt eos, & quem tam anguſto temporis interuallo potuit fructum tulit. Adeò numeroſus erat ad Patres ſingulis diebus concurrentium cœtus, vt ab ipſa matutina Angelica Salutatione oporteret euigilare ad veſpertinam vſque, adeò vt maior vici pars confeſſione ſeſe purgarit. Nec vtili caruit opera Finugueda viculus, quò noſtros Parochus & primarij proſecuti ſunt. Ibant pedites, quod ſuperiùs commemoratum eſt. Idem in hoc quod in ceteris pagis cōcionum confeſſionumque ſtudium fuit. Maior populi pars vitæ crimina confeſſione deleuit: ſatisfactū omnibus, & erga noſtrū Ordinem amor excitatus. Hinc eodem comitum officio proficiſcuntur Donigalam, cuius incolæ, vt ſe iam parauerant, Patres perhumaniter complectuntur: qui nulla vel reliqui diei, vel noctis mora interpoſita præcepta ritè in craſtinum confitendi multis tradiderunt, & maiorem viculi partem audierunt, dato ſingulis agno cereo, quem vt de cælo delapſum expetebant. Pacem magni ponderis inter duos è variis locis primarios conciliarunt, qui inueteratis odiis diſſidebant: ventum erat ſæpè ad arma, & inferre perniciem alter alteri conabantur. Progrediuntur Solanas, vbi ſolita officia præſtita ſunt fructu quidem animarū vberrimo.

multi enim errores multos, & quas probabant ineptias posuerunt: maior populi pars salutem sibi confessione quæsiuit. Verùm non hîc tantùm, sed & in aliis supradictis locis confessus reliquus populus fuisset, si morari ampliùs nostri voluissent. sed cùm illud spectarent, vt his officiis Societas, atque eius munia innotescerent, & populi ad pietatem & frequentem Sacramentorum vsum allicerentur; tum, dum pleniores & pinguiores ex suis laboribus manipulos reportaturi erant, & ipsi populi tam dulci eorum opera perfruebantur, quasi in ora ingesto melle relictis aliò discedebant, quò inflammatiori nostrorum desiderio accenderentur. Hinc ergo cùm profectionē pararent Cabras, en Parochi cum scholasticis accesserunt, vt nostris prosequendi officium præstarent; quòd dicerent auidissimè Patres expectari, vt eos qui nunquam antea in illo populo eam in qua versabantur operam collocassent. Recepti sunt à primariis magno quidem eorum applausu & nostrorum ingenti lætitia, quòd magnam animorum comparationem eorum consiliis maximè aptam cernerent. Dies octo hîc laborarunt, adeò, vt nihil ad respirandum vacui temporis relinqueretur. tantus enim erat confitentium numerus, vt vbi surrexissent ad templum ire prima luce, & ex itinere precariis Horis recitatis, in meridianum vsque, & pomeridianum interdū tempus hęrere sellæ necesse esset, nec vespertino tempore vacabant. nam ab ipso prandio ad noctem laborem eundem repetebant, & cùm nullum intermiserint diem, copiosum retulere fructum.
Quidam Religiosus à claustro aberrans, aliquot iam hebdomadas in hoc pago degebat, & omnium offensione suæ Religionis honestatem & decus violabat: quippe qui in eius, apud quem diuer-

diuerſabatur, porcis occidendis & adurendis operam locarat, & carnificinam faciebat. eum noſtri alloquuntur, & vicanorum animorum expoſita offenſione, adhortātur vt ad relictum gregem rediret; ne, ſi ſecùs feciſſet, & Archiepiſcopus reſciuiſſet, comprehenſus ad ſuum Superiorem deferretur . nec fruſtra fuit hæc adhortatio adhibita: nam agens gratias Patrum conſilium amplexus eſt. Paces aliquot & reſtitutiones factæ, ſcrupuli multi & errores ex animis euulſi. Adulta nocte accerſuntur Patres ad feminam, quæ multos annos à malo dæmone poſſeſſa, tum temporis ab hoſte iniquo cruciabatur. ita furentem compererunt, vt duorum hominum, qui eam continebāt, ſuperaret vires, & inopia libri exorciſmorum cœperunt Scripturæ ſacræ verbis atque verſiculis ad rem aptis diuinam opem implorare. illa verò illudens Patrum ſermonem imitabatur. tunc cum Euangelio Beatorum Patrum Ignatij & Xauerij orationes adhibuerūt, & ad collum valdè tumens ſacrarum reliquiarum thecam alligarunt; remiſit cruciatus, & libera iam, cùm ſe coram Patribus incompoſitam animaduerteret, veniam petiit, & quòd eam inuiſiſſent gratias egit. adducta eſt ad confeſſionem, quam tribus pòſt diebus confecit in templo, & ſacro pabulo ſe recreauit. datus ei eſt cereus agnus quem ſemper geſtaret. liberam omnino fore propinqui ſperant in poſterum ob magnam, quam in ea factam eſſe mutationem viderent: neque enim vti antea ſolebat vexabatur à dæmone. In quodam pago ſacerdos, vt erat certa coniectura, propinquam habebat domi, verbo quidem famulam & matris adminiſtram, re autem vera concubinam: nam ſub propinquæ ſpecie fœdam ſuæ vitæ turpitudinem diſſimulare, & in ea impunè perſiſtere exiſtimabat. Propinqua

vnà cum ipsius sacerdotis matre remedium optabat, & venerem abdicare: verùm ille cæco & impudico amore ita captus erat, vt si quando sermo ad eum de remittẽdo incestui nuncio haberetur, ira excandesceret, & matrem minis atque propinquam territaret. Cùm hoc alter ex Patribus cognouisset, hominem aggreditur, eique animæ detrimentum, quam pariebat offensionem, & periculum, ne inflictas ab Archiepiscopo subiret pœnas, exponit. Negabat ipse initio veritatẽ abdens, sed culpam tandem agnouit, & pollutũ animum apud Patrem confessione abstersit: ad quem portum etiam propinqua confugit. sed priùs ab inuicem seiuncti sunt, & captum vtrimque mutandæ vitæ consilium. Idem euenit inopi adolescentulæ, qua quidam opulentus abutebatur. hæc à turpi vitæ statu discedere quidem cupiebat: sed cùm matri turpitudo probaretur, inire rationem aliquam & viam reperire non valebat, vt id tandem perficeret. Actum per alterum è Patribus est cum adolescentula atque eius matertera, quæ illam à venere alienam esse cupiebat, vt impudicus homo aditu omnino prohiberetur; & mater simul doceretur, nisi lenocinium abiiceret, fore, vt Archiepiscopi iussu per vicum cæderetur virgis. Spes est rei exitum fuisse felicem. Sed reuertamur Cabras vnde diuerteramus. vicanorum voluntates ita sibi Patres promeriti sunt, vt nec domi, nec in templo, immò neque in prandio ab eis diuellerentur, qui difficultatum solutiones, & suarum animarum salubria consilia quærebant. eluissent omnes confessione maculas peccatorum, sed præter ducentos aliis non licuit pro temporis distributione. Quare diebus octo lapsis aliò se contulerunt, & eorum discessum lacrymis multi prosecuti sunt: sed in his præcipuè hospitis vxor cum

filiis

filia, quæ vt fratres aut filios nauem conscensuros nostros luxit. Magno igitur sacerdotum, laicorum & scholasticorum numero deducti, vbi Nuraguem peruenerũt, rectà pro more ad templum: vbi Parochum repererunt, qui puerum baptizans plures adsçisçebat patrinos, quàm ex Concilij Tridentini decreto licebat. Admonitus præcepti multas egit gratias, & quamdiu in eo pago fuerunt, ex nostrorum doctrina haurire fructum studuit. quod etiam Cabrarum Parochi curarunt: eis enim in templo vespertino tempore peractis confessionibus, quęstiones exponebant de officiis Christianis. Nurague igitur alterum è Patribus Sanctum de cælo demissum appellabant. Illud valdè probabant, quòd nostri crebrò de rebus diuinis loquerentur: sed omnium maximè, quòd neque concionum, neque Sacrorum confessionúm ve mercedem quærerent. Confluxere ad Pœnitentiæ Sacramentum ea omnes diligentia, & aperiendorum peccatorum ac doctrinæ Christianæ scientia, vt dies octauus omnium confessionibus finem attulerit. & contulit etiam in eandem rem aliquam operam Curio: reliqui tantùm pastores aliquot erant, qui vbi ex stabulis venere, cùm nostri abessent, eos in alium pagum consequuntur, & ibi vitæ criminibus absoluuntur. Singulari profectò nonnullæ, & non paruo quidem omnes mulieres in B. Virginem studio tenentur. Quarum vna quæsiuit, an liceret habere fidem viso, quòd cùm duodecim annos ageret per quietem se vidisse dicebat. visum autem est huiusmodi: Mater, aiebat, rosarij quotdiebus recitatione, & sabbatorum ieiuniis B. Virginem studiosè cùm coleret, me ad idem studium hortabatur; at ego cùm essem ieiunio immatura, rosarium quidem me recitaturam dixi. vrgebat illa vt aggrederer

ieiunium; obnitebar ego. in hoc ergo certamine nocte quadam per quietem pulcherrimæ mulieris vocem audiui, quę me nomine appellabat; admonebat vt matris consilium amplecterer: roganti mihi, quænam esset, Dei Mater, respondit: Meis verbis, aiebat, pare filia: quòd si pręstiteris, quoties oppressa necessitatibus ad me confugeris, meam tibi opem polliceor. promisi me id facturã: quod triginta abhinc annis persolui, & meis omnibus in laboribus Virginis fidem atque tutelam valdè propitiam experta sum. Alia item sciscitata est, an insomniis credere habendum esset religioni. affirmatum fuit: tum illa probasse visum dixit, quòd sibi cùm annos decem esset nata, obiectum fuerat. Pulchra mulier alba veste induta se illi ostendit, quæ quotidie hanc eam repetere orationem iussit: IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM *natus ex Maria Virgine miserere nobis.* quæ verba cùm nunquam didicisset, tam tenaciter hæsere memoriæ, vt nunquã exciderint, nec pronunciare quotidie desierit. Ad Patres concurrebant tanquam ad eos, qui non animas tantùm, verùm etiam corpora curarent: cùm enim nihil eos fugere arbitrarentur, suorum morborum remedia postulabant. In his femina quædam comitiali morbo laborabat, quo sæpè quotidie corripiebatur: prolatum est ei Euangelium, & sacer agnus datus; paucis pòst diebus mater eam quotidie affectatam non esse, vti solebat, retulit, ac Euangelium repeti piè admodũ petiit. Duo fratres cõmunium inter se agrorũ caussa alienissimis animis erant; querebatur alter maiorem sibi ad colendũ agri partem fratrem vsurpasse. rem in iudicium deducunt: nec lis tamen decidi potuit, nec ferri de agrorum diuisione sentẽtia, cùm alter superiorum lucrorum fœnora posceret. interuenerunt frustra probi

probi viri, licet boni agrorum æstimatores. Cùm verò litem iamiam diremptura manus essent & arma; eos prudenter aggressi Patres vix adduxerunt, vt, quemadmodum fratres decet, rationem tandem aliquam decisionis inirent, & sibi vicissim illatas iniurias condonarent. quod vt feliciùs cederet, eos ad peccatorum confessionem priùs compararunt: qui purgati criminibus & pace conciliata dissoluendæ liti animum adiecerunt. Matrona quædam, in cuius domum recepti nostri fuerunt, tantam ex sermonibus de Deo cælestibusque rebus trahebat voluptatem, vt non solùm capere ipsa fructum studeret, verùm etiam tanquam concionabunda vicanas ceteras ad sermones & confessiones, exemplo præcedens, inuitaret & hortaretur. ad idem virum, filium, socerum, sorores duas, famulum & ancillam impulit: quibus suos etiam pastores addi iussit ex stabulis accersitos. Quatuor item adolescentulas, quas apud se disciplinæ caussa habebat, instruxit, & secum ad confessionem perduxit. Cùm alium pagum nostri peterent, effusæ lacrymę, sed præcipuè domi eius, apud quem diuersabantur; puer nouem annos agens ita luxit, vt lacrymas priùs non coërcuerit, quàm Patrum videndorum gratiâ in alium pagum mitteretur. huic pago nomen est Arreola, vbi quatuor superioris vici pastores nostros consecuti sunt: qui in Patrum diuersorij porticu noctem cubantes insequentis diei lucem expectabant, quò suis animis diuinæ gratiæ radius affulgeret positis confessione peccatis. auditi sunt: quorum pietatem omnes laudarunt, qui eos ex saltibus in suum pagum, & ex eo in hunc confessionis gratia processisse cognouerunt. Hìc octo dierum spatium in labores & munera solita impenderunt, & Curionibus suis muneribus ritè

fungendi rationem tradiderunt. Quidam diuino spiritu concitatus ad confessionem se contulit. & magnus quidem ex peccatis capti doloris sensus apparebat: nam lacrymas fundēs, gemitum edens, clamore Dei misericordiam implorans, & pectus tundens, coram multis templi ianuam est ingressus, & Patrem adiit, qui tum dabat operam reis absoluendis, & in genua prouolutus petiit, vt suam etiam confessionem audiret. Nec socium iste desiderauit: alius enim in confessione vix valebat præ lacrymarū flumine proferre verba. Volebant vicani instituere Sodalitium; sed res tardiùs procedebat, quia maior virorum primariorum pars adscribi recusabat. in eam curam incubuerunt Patres, vt vrgeretur, quadraginta & ampliùs viris adductis, & ad Archiepiscopum de curando apud Pontificem aggregationis diplomate scriberetur. quod ille libentissimè præstitit. Pagi huius incolæ eum diem, quo sordes animi cōfessione abstergunt, & sacræ mensæ accumbunt, ieiunio celebrare consueuerunt; immò & post cibum confiteri religioni habent. sed hæc religio nostrorum præceptis euanuit. Inter virum & vxorem erat orta discordia: vir (quæ solent esse dæmonis artes) ea de vxore suspicabatur, quæ à vero abhorrebant; atque eius zelotypiæ eò peruenerant, vt eas vxori aperuerit. quo factum est vt aditus dæmoni patuerit domum, qui dissensiones & discordias ita accendebat, vt infelix vxor impatiens iniuriæ se in flumen aut puteum præcipitem dare, & mortem vitæ miseræ præferre cogitaret. vir eam dimittere, & tam longè abire statuerat, vt nulla eius posset haberi notitia. Alter è Patribus callidè perfecit, vt vtrique coniuges alius alio tempore se alloquerentur, & ad confessionem animum pararent: qui confessi & cælesti cibo recreati

in

in gratiam pristinam restituti sunt,& suspiciones illas sustulerunt,quibus pacem dæmon turbabat. In viculum etiã nomine Baratim opera bis collata est, sermones de diuinis rebus habiti, & maior incolarum pars abluta confessione. Multas prætereo conciliatas paces, restitutiones aliquas, & prauas consuetudines abolitas, quas inuexerat imperitia: eam tamẽ paucis perstringam,qua Curiones aliquot vtebãtur,qui plures patrinos quàm per sacrum Tridentinum Concilium licet,ad baptismum admittebant;immò etiam sæpè reiectis illis,qui ab infantium parentibus exprimebantur, eos ipsi subrogabãt,qui viderentur. Hoc sibi licere arbitrabantur,cùm bonum in eo finem spectarent; sed in posterum docti sunt. Illud taceri non patiar,quod in hac Missione contigisse ad me delatum est, & multis ansam præbuit speculandi. Propè hunc pagum lacus est æquè magnus,atque ille qui S.Iustæ adiacet. Marinis auibus piscibusque abundat:cuius altera pars alta est,nec arescit vnquam; altera verò cùm ardoribus æstiuis arescat,pulcherrimo carrecto, pecoribus & armentis maximè pinguia præbet pascua. in hoc lacu æstiuo tempore sex septémve milliaria multis in locis tam in arescente parte,quàm in ea quę semper aquis madet; frequentissimè quidam quasi bouis mugitus exauditur.quæsitum est ex eis an aliquid vidissent. nihil vnquam apparuisse respõderunt, mugitum solùm audiri tantum, ac tam horrendum, vt omnibus & alienis hominibus maximè terrorem incutiat. Alij alia opinantur, plerique tamen magnum esse draconem,aut simile quodpiam animal, quod in profundo sub terra gignatur, alij cacodæmonem existimant. quid autem in hac re sentiendum sit non facilè dixerim.Inde Narboliam concesserunt, vbi dies octo

ſolitos Societatis labores tulerũt. Pacem inter duos iuuenes cerebroſos & factioſos conſtituerunt, qui alter alteri colaphum impegerant; & eorum alter cùm ſibi maiorem accepiſſe iniuriam videretur, aduerſarium fuſtibus palàm appetens vltus eſt: hic verò malum grauius moliebatur. curatum fuit, vt ad perfectam peccatorum confeſſionem ſe accingerent. qui comparati iam antequam audirentur, perfectum eſt, vt iniuriarum memoriam abolentes, & veniam ab inuicem petentes in mutuos fuerent complexus. his peractis peccatorum confeſſione à Deo gratiam obtinuerunt, & ſacri conuiuij participes facti ſunt. quod magnum vtrimque conſanguineis gaudium peperit: verebantur enim ne ad exitium vocarentur. Quidam ſenex octogenarius, cùm vidiſſet Patres & eorum ſermones audiſſet, à Deo impulſus eſt, vt totius anteactæ vitæ crimina confeſſione deleret. cùm igitur in hoc verſaretur, & illius piæ mentis implendæ diem differret, in prædium profecto ferociſſimus fortè taurus occurrit: qui eum aggreſſus afflixit in terram, ac ita deiectum tenens miſerè pedibus proterere cœpit, ac arreptum cornibus efferens interdum iactabat in aëra. Cùm in hoc taurus aliquamdiu permanſiſſet, cognouit ille (vt poſtea narrabat) ſibi dæmonem ante generalem peccatorum expiationem eripere vitam voluiſſe, vel Deum neglecti numinis à ſe pœnas exigere, quare ſtatim inter tauri pedes & cornua interiectus, promiſit inde ſe ad templum confeſſionis gratia iturum, ſi illud periculum effugiſſet Conceſſit Deus: nam extemplò taurus liberum & incolumem omnino reliquit, ipſe verò perculſus & lacrymans rectà ad confeſſionum ſellam: quem confeſſum ingens lætitia & ſolatium ſecutum, adeò, vt Dei miſericordiam verbis extollere

tollere non cessaret, quòd ex eo periculo se eripuisset. In hoc vico neque à nostris, neque ab alio quopiam erant habitæ cōciones, præter eam quæ fieri solebat, cùm diploma Pontificium, cui à cruce nomen est, promulgabatur. Cùm à nostris bis viderent singulis diebus de diuinis rebus verba fieri, infinitas Deo gratias agebant, quòd eos ad se homines misisset; quos non sine nostrorum pudore sanctos & apostolicos viros appellarent. Addebant vel fore, vt Archiepiscopus vitam breui clauderet, quòd erga eos tam officiosus extiterit, vel extremi iudicij adesse diem, cùm nunquam antea ex omni vel maiorum, vel auorum & parentum suorū memoria tale quidpiam audissent, vel hoc tempore vidissent: ad hæc nullū vnquam suarum mentium acies illustrasse, vel ita fuisse locutum, vt Patres, ea quæ ad suarum animarum salutem spectarent. Primarij quique viri nostros rogarunt, vt semel apud eos saltem pranderent: qui verò ob temporis angustias, id impetrare non potuerunt, se infelices existimarunt; quibus cùm exposuissent, quantum interesset nullam pati moram, vt aliis populis subuenirent, fecerunt satis, & solatium attulerunt. Per nostros Sodalitium est auctum quadraginta virorum accessione: vnde magnam omnes cepere lætitiam. confluxissent omnes ad pœnitentiæ Sacramentum, sed quo minùs eos Patres audirent matura in alium pagum Seneguem nomine profectio prohibuit. & prosequebantur eos viri præstantiores. in hunc ergo vicum instar Antistitum campanarum pulsu Patres recipiuntur. Ingressi se statim ad templum contulerunt, ac eodem vespere ad populum, qui concurrerat, orationem habuerunt, prima luce insequentis diei absoluendorum pœnitentium caussa templum repetierunt; quo ex superiori

etiam

etiam populo alij ob eandem rem conuenerunt: inter quos numeratur femina recèns enixa, quæ se à viro equo vehi iusserat, vt peccata nostris cōfessione exponeret. Videre profectò licebat pium inter vtrumque populum certamen, vtri pateret priùs ad confessionem aditus. in quo vico præceptis Christianis Ægyptios quosdam imbuerūt & hortati sunt, vt cōcionibus interessent, adducti multi. Hìc dies octo morati sunt. insoliti ad omnes nostrorum munerum exercitationes concursus. Parochos præcipuè suorum munerum rectè gerendorum rationem erudierunt. Sodalitium quod ruebat ad interitum, refectum est: nam allexerunt nostri viros quinquaginta, qui magno totius pagi applausu atque lætitia non sine pompa in Sodalium numerum venerūt. Sacerdos quidem ex antiquioribus imperitus, & abstinere à Sacro Missæ faciendo iussus, diuinas preces, quibus ex lege tenentur sacris initiati, non persoluebat: atque illud obtendebat ignarus, se videlicet recitandi lege solutum esse, quando sibi Sacro Missæ fuerat interdictum. cùm dedoceretur à Patribus eum teneri affirmantibus, & premeretur ad concedendum; illam non recitandi subiecit caussam, sibi scilicet ablatum esse Breuiarium, & præ inopia emere non posse. Patres vt hanc etiam caussam, tollerent, bonum illi atque nouum Breuiarium eleëmosyna curatum dederunt, & aliis sacerdotibus cum eo recitādi cura commissa fuit. Vir primarius cùm audisset, Patres Arboreæ velle Residentiæ domum condere, si placuisset in eo etiam pago ædificare, libras centum se collaturum dixit, adiuncturum præterea viridarium non absimile illi, quod Collegium videt Sassaritanum, malis medicis, & his similibus, prunis, piris, malis, atque variis pomiferis arboribus consitum, & irri-

irriguum flumine, quod multis & truttis & anguillis abundans interfluit viridarium. Hîc nonnulli ad pacem reuocati sunt, & aliena reddita. Inde Solarussam contendunt, vbi Patrem Garruchium & socium Fr. Monserratum comperiunt. Pater Carta igitur & Pater Ioannes Garruchius postero die proficiscuntur Arboream, qui Archiepiscopo salutato & valere iusso, versus alium pagum Oliana nomine viam capiunt, septimo Kal. Martij anni millesimi sexcentesimi primi, vbi Quadragesimalibus feriis laboraturi erant, quod Calaritanus petierat Archiepiscopus, cuius diœcesis hîc & alij finitimi populi sunt. Hoc in itinere cùm Guilarza transirent, ibi hominibus nostri Ordinis studiosis flagitantibus dies octo substiterunt, & mora fructum genuit. Nam præterquam quòd nostra munera obierunt, obstitere, quo minùs pagus hic & alius (Abasanta dicitur) vt iam statuerant, manus consererent. Hi quorundam agrorum caussa se mutuis affecerant iniuriis: Guilarcenses enim sibi cum Abasantanis communes esse volebant; sed obnitebantur isti, & suos esse omnino dictitantes armata manu pastores Guilarcenses, quos in eis inuenerunt agris, malè multarunt: & eorum multi vulnerati sunt, vnus interfectus, vnde multa mala tandem impendebãt, cùm semper essent in armis. Huic malo nostri occurrerunt, vicanos hortari, vt singulos lectos sibi patronos ad Proregis curiam mitterent, vbi ius vtrisque diceretur, nec suis bonis perniciem afferrent, & vitas in discrimen adducerent. quibus omnibus ad vnguem paruerunt. Huic populo præterea rosarij recitandi rationem tradiderunt. hinc Oranimannium (pagus est numerosus) profecti sunt, vbi, vt multis in nostros animatis id concederent cùm iterum substitissent, eo Domi-
nico

nico die, quem diem effrenata hominum libido Bacchanalibus dedicauit, de verbo Dei concionem habuerunt; quo multorum tum ex hoc populo, tum etiam ex alio proximo Nuaro consilia fracta sunt, qui ex composito personati prodituri erant: ad concionem enim curas conuerterunt. Peruenerunt tandem Olianam designatum pagum tertio Non. Martij, Nonis verò, qui dies erat Cinerum, Pater Garruchius cōciones iniuit, magna eius populi, qui inter magnos Sardiniæ pagos numeratur, frequentia. Insequenti die Pater Carta Orgozolum digreditur, vbi eodem die labores cœpit. Vt autem, quæ Deo duce patrarunt hi Patres sic Olianæ, vt in aliis populis quos lustrarūt, paucis complectar, qua laborandi ratione vterentur narrabo. Singulis profestis diebus semel, bis verò festis atque Dominicis Dei verbum serebant, nec tamen tam manè quàm vesperi pœnitentibus dare operam cessabant, nec Parochis quæsita de officiis Christianis enarrare, elementa fidei Christi docere, quò singulæ viciniæ singulis diebus confluebant, & doctrinæ periti rosariis donabantur, quorum huius rei gratia multa millia miserat. Adiuti sunt etiam inopes non solùm collecta stipe diebus festis, & per hebdomadam pro foribus templi à quatuor primariis viris, verùm etiam ab iisdem pagum obeuntibus binis in hebdomada diebus: quæ ita feliciter cessere, vt nihil eorum, quæ ad victum pertinēt pauperes hoc tempore desiderarint. Edoctus est de hac re Archiepiscopus, & inopia laborantes centū libris leuauit, quibus tela sagumque conficiendis vestibus empta sunt. Hæc autem officia non Olianæ solùm, sed & Oranimannij inopi plebi præstita sunt, quamdiu Pater Garruchius ibi fuit. cuius in eum locum discessus duobus primariis

viris

viris inimicitias inter se gerentibus vsui fuit: nam cùm amborum timeretur interitus, in mutuam gratiam compulsi sunt. Adolescentula parentibus orbata & castitatis amans, suo labore vitam tolerabat. cùm autem pecunia egeret, denarios aliquot mutuo accepit à quodam: qui cùm tum exigeret dum copia non erat, vrgebat eam ad soluendum, sic, vt periculum esset ne castitas acciperet detrimentum. quod illa animaduertens, & omni subsidio destituta confugit ad Patres, qui expositæ necessitati procurata pecunia subuenerunt, qua illa molestum creditorem absoluit. Vir primarius cuiusdam populi cùm à suo pastore rationes acciperet, tot expensi nomina ab eo prolata reposcebat, vt non solùm pecore pastor priuaretur, verùm etiam magnam pecuniæ vim deberet, & vacuus omnino relinqueretur. Hic audito concionatore de his qui pauperes opprimunt disserente, ita mutauit consilium, vt statim vocari ad se pastorē iusserit: cui, Age, inquit, Deo gratias. hodierna enim concio ita meum animum flexit, vt quidquid mihi debes remittere decreuerim: & antequam discederet debitum condonauit. In quodam pago mulier à concubinarum cœno extracta est, in quo quinque vel sex annos volutabatur. In alio ab adolescentula pudoris amittendi periculum est depulsum, cuius amore scelesti quidam ardebant. Olianam inuectus est confessionis & communionis frequens vsus, & admoniti sacerdotes, vt sedulam in pœnitentibus audiendis operam collocarent, cùm iucundissimum Deo esset obsequium. Constitutum etiam est vt tres quatuórve è Proceribus diebus festis cogant stipem in pauperum vsus à Parochis distribuendam. Pagus hic vnus est ex his, qui nostrorum hominum amantissimi sunt, cuius studium

probat

probat illud: cùm enim aliquot Residentiæ domos erigendas esse per pagos, & Olianam huic rei esse oportunam, à Patribus accepissent, tres illico sacerdotes opulentiores præter reliqua subsidia suas domos obtulerunt: quòd si hoc non placuisset, se pecuniam daturos, qua noua domus ædificaretur. ceteri sacerdotes & populi primatij pro suis quisque viribus viginti, triginta & quinquaginta aureos se collaturos esse promiserunt: populus verò se fornaces calcarias paraturum, lapides conuecturum, & ædificationi laborem insuper adiuncturum. ea de re cum Archiepiscopo egerunt vicani, suam apud Patrem Prouincialem gratiam implorantes, qui non solùm eadem de re se acturum cum Patre Prouinciali dixit; verùm etiam sua eleēmosyna effecturum, vt omnino domus octo de nostris commoda compararetur. Hoc Olianenses & magno studio flagitāt, & eius ardentissimo desiderio tenentur. hinc egresi Patres multos alios pagos, Orgozolum videlicet, Durgalım, Orosuym, Galtelım, Torpem, Loculam, Hirgolim, Onnifayn & Locoem obierunt: quibus vtilem profectò operam nauarunt. multi vitia, errores & nimias religiones abiecerunt, ac omnibus in locis fuere, qui totius superioris vitæ confessionem repetierunt. Paces & restitutiones factæ. Abeunte Quadragesima iter Calarim arripuerunt Fonny transeuntes: vbi cùm Patribus Olianæ fundari Residentiæ domum placere cognouissent; incolæ se aliam instituere velle dixerunt. & vnus qui excellit opibus inter omnes, huic rei suas ædes dicabat, & ad parandā supellectilem auxilium pollicebatur. Aritij etiam ex itinere multi omnibus, quæ in vita commiserant peccatis absoluti sunt. Tantus præcipuè mulierum animis allatus est motus, vt, si nostri annuissent,

ſent, ferè omnes generali confeſſione omnia crimina ex animis eraſiſſent. Tanta eſt apud hos vicanos noſtrorum exiſtimatio, vt non animarum tantùm, verùm etiam corporum morborum cauſa ad noſtros accederent, eis videlicet rati omnia aperta eſſe. Immò multi ad Patres ſuarũ cauſſarũ arbitrium deferebant, vt iudicium ferrent, quo ipſi ſtarẽt. Sed ad Patrem Saluatorem Monaquellum redeamus, qui cum ſocio Fratre Monſerrato Mura Solaruſſa in alium pagum ſe contulit, cui Milis à magno Medicorum eorumque ſpecioſorum malorum copia nomen eſt, vbi præclaram in noſtris muneribus exercendis operam poſùit, copioſo quidem fructu & magno populi ſolatio. Differã de iis quæ in omnibus geſſit populis quos luſtrauit. Eius ergo operâ Milis primarij omnes Congregationem inierunt ſolemni ſupplicatione, quæ à templo maximo ad ruſticum aliud vſque proceſſit. Hic concionatus eſt, & Sodales hortatus, vt in incepto perſiſterent. Tantum eſt in noſtros homines ſtudium excitatum, vt etiam hìc oblatis à primario ſuis domibus Reſidentiæ domus optaretur. Deinde in alium pagum qui Sentuueru dicitur: vbi magna amoris ſignificatione, atque ex noſtrorum doctrina fructus hauriendi ſiti receptus eſt: & omiſſis iis quæ ferè vbique fiunt, paces magni ponderis conſtitutæ ſunt. Quidam ex proceribus cum adoleſcẽte eiuſdem pagi, atque iiſdem natalibus orto filiam in matrimonium collocarat: peracto matrimonio ſine ſolemnibus Eccleſiæ benedictionibus vnà coniuges aliquamdiu habitarant. ſuccenſuit genero ſocer, & eum abſtractum ab vxore domo eiecit, & addidit ſe nolle filiam in matrimonium ei tradere. ignarus enim ius illius matrimonij ſine benedictionibus legitimum non eſſe opinabatur.

Repetebat vxorem gener, & rem vrgebat: sed cùm occlusum aditum, & soceri animum in errore videret obfirmatum, suorum consanguineorum conflata manu & armata, aggressus est vxorem domo patris extrahere. Socer parat se item ad generi impetum retundendum: & cùm vtrique concurrissent, multi vulneribus affecti sunt. & mutuas decreuerant inferre neces, nisi Præses suam auctoritatem interposuisset: qui quamuis tumultum sedauerit, & conflictum diremerit, adducere tamen socerum non potuit, vt genero vxorē redderet; vnde multa mala promittebantur. animaduertit hoc Pater, & apud adolescentulæ parentem, qui magis animum obfirmarat, prandere voluit. exceptus est, licet illud obtenderet se videlicet prandium non apparasse. tum Pater non opus esse deliciis, frustrum panis satis esse si ex animo detur. cuius animum ita sibi promeritus est, vt statim accersitum generum Pater iusserit ad soceri genua accidere, & ab eo veniam petere. Adhæc benedictionibus ab Ecclesia constitutis, & nuptiis, quæ magno populi totius applausu celebratæ sunt, designatus est dies: cui concio accessit, in qua Pater de statu bonorum coniugum egit, & viuendi rationem in matrimonio seruandam docuit. Sodalitium proceribus omnibus adiunctum auctum est, Tramacę Congregationis initium factum, quæ quadraginta viris constaret. Inde Barumini, quod Quadragesimalibus feriis culturus erat, perhumaniter eum complexus est populus. Magna frequentia in animarum salute versatus est: operam præcipuè in eos qui asseruabantur in custodia contulit, quos, præterquam quòd Christianis præceptis informauit, & ad confessionem præparauit, audiuit omnes pœnitentes, & eis conuiuium sacrū apparari à Parochis iussit: quorum famem

famem (ea namque premebantur) vnà cum ſocio coacta ſtipe ſatiauit: aliquot inopibus eâdem operâ curauit veſtes. Ad mulierem ægrotam quatuor iam menſes paralyſi laborantem accerſitur. eam ſolatus ad res aduerſas æquo animo ſuſtinendas excitauit, & confeſſam peccatis ſoluit: quæ ſacrum agnum ab eodem Patre datum ſtudioſa pietate accepit. quo factum eſt, vt quæ quatuor menſes ita iacebat, vt mouere membra non poſſet, & ſalutis ſpes nulla reſideret, poſtero die ſurgens paulatim incederet: & cùm in ſe ineſſe vires cognoſceret, equo vehi in templum à pago remotum eodem die voluit, vt vota perſolueret. Ex illo valuit, & pro beneficio per ſacrum agnum & peccatorum confeſsionem accepto gratias egit. Laudarunt Patris & ſocii viuendi rationem hi apud quos diuerſati ſunt, ipſiq́ue Chriſtianis præceptis eruditi, & peccatis expurgati ſunt. Ex alio pago vocatur Pater ad ægrotum, qui vi morbi ſoluere linguam in ſermonem non poterat: Euangelio recitato ægrotus non ſolùm ad ſermonem, ſed & ad ſalutem reſtitutus eſt. is magnam deinde vim in Euangelio ineſſe canebat, quod ſe ab illo acri morbo ereptum recrearat. Sublati ſunt non æqui contractus per inſcitiam, alij forſan de induſtria facti. In aliis populis concionatus item eſt Pater, ſocius verò Chriſti fidei elementa omnibus in locis de more docebat, magno quidem prouentu, & tum puerorum, tum etiam virorum numero. In quodam loco ita commotum eſt puerorum ſtudium in vſum doctrinæ, atque eius tradendæ ratione, qua frater vtebatur, vt poſt noſtrorum profectionem quotdiebus in templum coirent vt docerentur. Quidam vxorem deſtituerat, nec vllo pacto, vt ad eam rediret impelli poterat. illam afferebat cauſſam, quòd in eum veneficia conflaſſet,

neque se posse, neque vnquam esse reuocandum ad vxorem, quamuis ipse Archiepiscopus imperaret. Pater eum ad pœnitentiæ Sacramentum impulit, & frusto sacri agni dato, quid fieri deceret ostendit. Sic suspicione illa deposita ad vxorẽ æquissimo animo remigrauit. Hæc & alia multa nostri Deo duce gesserunt, non Barumini solùm, vbi morabantur, verùm etiam in multis aliis proximis pagis, magno equidem eorum solatio, quibus suis in locis eos audire cõcedebatur. Chari omnibus erant, vt homines à Deo de cælo demissi, cui rerum omnium laus & gloria tribuatur.

PROVINCIA FRANCIÆ.


HABVIT hoc anno prouincia Franciæ multis licet diminuta domiciliis, Socios centum & triginta. In Collegio Mussipontano duos supra octoginta: in Virdunensi vndeuiginti: in Probationis domo triginta. Admissi in Societatem quinque, amissi tres: quos inter Pater Nicolaus Douiatius Theologiæ Doctor, vir simplicitatis religiosæ & obedientiæ laude clarus.

Collegium Mussipontanum.

IN hoc Collegio non alia ferè, quàm quæ audiri consueuerunt. Dicam tamen quæ etsi communia sint, habent aliquid & nouitatis & iucunditatis. A rebus sacris faciam initium. Aucta est supellex templi non paucis iisque præclaris ornamẽtis. Illustrissimus Elector Treuirensis pro ea qua est in nostrum Ordinem voluntate, petentibus nobis ad

ad ornatum atque præſidium ædis noſtræ (quod deſiderari maximè videbatur) aliquot pignora ſanctorum Martyrum Treuirenſium, quatuor capita, & vndecim brachia, cruráue aut tibias lubentiſſimus annuit. Duo iam capita incluſa capitibus inauratis pictíſque, illo venerãda canitie ſenis, hoc virginis pulcherrimæ. Totidem brachia aureis brachiis & reliqua membra duobus loculis pictura varia & auro collucentibus, templum noſtrum ſolemnioribus feſtis mirificè ornant. Poſita eſt & ſtatua Chriſti de cruce pendentis in medio templo: elegans omnino opus affabrè ſculptum pictumque,& iuſtæ viri magnitudinis. Additæ his ornamentis veſtes ſacræ pretioſæ, ſedes ad confeſſiones audiendas, & alia quæ breuitatis memores omittimus. His omnibus & ea cura maximè, qua prouiſum, vt res ſacræ, cõciones atque Sacramenta pro dignitatę tractentur & adminiſtrentur; is concurſus eſt ciuium ad nos, vt non rarò vix templum noſtrum omnes capiat: vt ſæpè vix decem vndecímue ſacerdotes ſufficere poſſint confeſſionibus audiendis, non ſine magno multorum bono. Experta mulier, quæ cùm ſæpè admiſiſſet reuocantem ſe dæmonem à piis & ſtatis operibus, eam tandem morbo ſuo medicinam fecit. Venit vnius diei iter exomologeſis apud aliquem è noſtris faciendæ cauſſa: nec Deus defuit voto tam piè concepto. Vix ſe illa ad iter accinxerat, cùm ſe magno ſpiritali gaudio perfuſam ſenſit. Cogitate quàm bene affecta ad virtutem, quàm bene munita & firmata aduerſus cacodæmonem deletis vitæ ſordibus receſſerit. Alia mulier duos plus minùs annos à viro deſerta eum ex confeſſarii viri boni conſilio quærit (erat is in præſidio militari profligatus & perditus) & reperit tandem poſt emenſum iter triginta leucarum. Nihil illa

non molitur vt eum reducat domum, vel vt tempus certum dicat fruendis voluptatibus suis, quo exacto polliceatur se reuersurum. Verùm tantum abest vt illa mouerit, non hominē, sed tigridem; non maritum, sed perniciosum hostem, vt per summum scelus auctor ille vxori fuerit viri alterius ducendi, imò & hanc ipsam factam potestatem scripto voluerit confirmare. Neque verò hìc stetit hominis improbitas & amentia: nam cùm ab vxore doceretur quo scelere sese obstringeret, eò furoris & amentiæ, tranquillus licet & pacatus, venit, vt vxori suaserit (si alteri nubere non posset) concubinam sese cuicumque vellet adiungeret. redit illa per hanc vrbem mœrore confecta, & desperans penè, certa sequi nescio quem virum eodem fune reuinctum coniugali, cum quo absente marito iam consueuerat aliquandiu. In his tamen animi angustiis, in hac desperatione eam illi mentem iniecit Deus, vt è nostris alicui rem totam proderet. hìc sudare noster, hìc maximè laborare, vti nefarium illud consilium ex illius mente radicitus extirparet. etsi enim ad virtutem nata & procliuis videbatur; erat tamen is infixus error menti, vt crederet sibi id licere, eum à quo deserta fuerat, deserere: si quam noxam & peccatum inde contraheret, id verò se eleëmosynis deleturam. Sed vicit tandem diuina clementia, non tam obfirmatum, quàm concussum illius animum; & ei per sacerdotē nostrum in patriam vt rediret, ibique inter consanguineos & affines honestam vitam duceret, persuasit. Pœnitentium deuotionem vel hinc colligas, quòd non desint etiam matrimonio iunctæ, quæ ne consultis quidem illis qui sibi à confessionibus sunt, ieiuniis & cilicio carnem domant: imò & eò progressa virtus honestæ cuiusdam viduæ, vt ad ieiunium

quatri-

quatriduanum cilicium continuum adiungeret: ſed perſuaſa, ſaltem vt exemplo ſanctæ Iudith diebus feſtis, & cilicio & ieiuniis abſtineret. Quin & alia conditione ſerua, quibus diebus ex Eccleſiæ præſcripto ieiunatur, eos in pane & aqua tranſigit à nemine ad hoc inducta. Idem ſacro Quadrageſimæ ieiunio præſtiterat. nec mirum: tribus enim iam annis cùm ſui eſſet iuris, alternis ſolùm diebus cibum ſumere ſolita erat, cõcionibus audiendis & piis aliis exercitiis ſumma cum voluptate vacans. Mitto hìc nonnullos damnata hæreſi Catholicam fidem amplexatos, repreſſam cum hæreticis liberiùs agendi licentiam: mutua pace reuinctos, odio etiam capitali diſſidentes: & multa dominis reſtituta, quæ retenta extremam animæ perniciem attuliſſent. Sed religioni ducerem reticere quanta emolumenta ceperit ea ciuitas vniuerſa ex earum rerum quæ ad fidem ſpectant explicatione. neque enim ad pueros tantùm, verùm ad parentes, ſeruos ſeruaſque fructus ille pertinuit. Vidiſſes, & nunc etiam videre liceret ſacram ædem refertam ciuibus non infimæ tantùm notæ, ſed illuſtrioris etiam fortunæ ac nominis: qui dum explicantur fidei capita magna cùm attentione, tum deuotione auſcultarent. Vidiſſes non ſine magna animi voluptate pueros & puellas agminatim ſub ſacro vexillo ex ſua quoſq; parœcia ad maximum templum vrbis procedẽtes, & iucunda ſuauiq́ue modulatione ſacra myſteria cõcinentes. & ſuam habuit concentus ille vtilitatem: nempe otioſos otioſaſq́ue monuit officii Chriſtiani, & ſæpè ad templum audiendi catechiſmi cauſſa ſuauiter traxit. Dum hæc geruntur domi, alij interea non pauci triginta plurimùm ad circumiacentes pagos emittuntur quaſi è caſtris, & ſua quiſque ſpo-

lia ſuamque prædam referunt domum. Accipite quæ fidem faciant. cùm verſatur in opido quodam ſacerdos è noſtris vnus Dominica Paſſionis; cognoſcit ab incolis loci mulierem ſexagenariam eo morbo affli&ari, quo nullum eius ſtomachus poſſet cibum retinere. adit eam noſter, accommodat aures explicanti quæ peccata contraxerat iam ante triginta annos: quibus explicatis leuatam ſe morbo non parũ ſentit, ſed poſtridie amplius ea ipſa hora, qua pro ipſius valetudine eiuſque rogatu noſter facit: & omnino poſt triduum, quo exacto ſanitati reſtituta ad templũ ſe in cœna Domini communicatura ſiſtit. Eiuſdem operâ ſacerdotis factum, vt variis in opidis multa & pręcipua familiarum capita in feſtis Natalitiis cùm ſacram ſynaxim, tum præuiam expiationem peccatorum obirent: qui Parochum ad hæc ipſa Sacramenta eo die (qui dies naſcenti Chriſto dicatus eſt) inuitantem audire noluerant, poſtridie noſtrũ audierunt, & ſe Angelorum cibo recrearunt. Alius emiſſus in opidum hunc fructum retulit laboris & induſtriæ ſuæ, vt qui ſuo Paſtori infenſiſſimus erat, cum eo rediret in gratiam, nec ſine lacrymis, quæ teſtes eſſent doloris quem animo conceperat; & qui perſuaderi ſibi numquam paſſus erat Epiſcopum vti ſuum conueniret, qui contractum id vinculum diſſolueret, quod alius non poterat is à noſtro perſuaderi ſibi pateretur. Alij in lucro poſuerunt: hic puellam nobilem in ſinu parentum hæreticorum annos 20. educatam ereptam Caluino, Eccleſiæ reſtitutam: & virum diuinis obſequiis mancipatum reuocatum à perdita vita, in qua diu putruerat: datam nec ſine fructu operam à Chriſto patiente ad ſurgentem à mortuis, Illuſtriſſimæ Vademontanæ Reuerendiſſimi Epiſcopi Virdunenſis

ſis matri, eaque petente ſeptem ex illius ditione pagis: in quibus tam copioſa eſt collecta meſſis, vt confeſſionum frequentiam temporis anguſtiæ definirent, nec fieri ſatis omnibus potuerit. Et illic euulſa illorum opinio, qui ſollemniora Eccleſiæ feſta ad diem vnum ſic contrahebant, vt aliis neque confitendum, neq; communicandum putarent. Ita cùm in feſto die Sanctorũ omnium plurimi ſe diuino ferculo refeciſſent, proxima quæ ſequebatur Dominica, vel in vno pago tantùm quadraginta & tres idem præſtiterunt. Luſtratos denique aſcendente Chriſto tres ditionis Metenſis pagos, magnam partem infectos hæreſi, ingenti Catholicorum conſolatione, qui iam ſeptem annos verbi Dei petebant panem, nec fuerat qui frangeret. Illic reſtauratam veram pietatem, & virtutem religionis fundamentum in proximo cœnobio: cuius alumni exculti omnes ſacris & commentationibus & cohortationibus, eum progreſſum fecerunt, vt iam quotidie manè dimidiatam horam meditando ponant, & veſperi quartam horæ partẽ diurnis actibus explorandis: neque verò bene ſe habere putent, niſi identidem eum ipſum ſacerdotem noſtrum & audiant de diuinis diſſerentem & videant. Hic coactos Religioſos alios ad vitæ communionem, erecta, quæ diu iacuerat, tertia columna religioſi ædificij paupertate. Ille Martiſuillæ, opidum eſt Muſſiponto diſtans quindecim leucarum itinere, auulſam hęreſim ab homine, fidem explicatam maximo audientium fructu, & inuectum morem ſumma fidei capita vulgari idiomate concinendi. Ducatus Barrenſis in ditione eſt Sereniſſimi Ducis Lotharingiæ: regio, vt ingenium ſoli, eſt vino ac vitibus nobilis; vt homines ſunt, docilis, & apta regno Dei: verùm, vt temporum ac rerum multis iam

XX 5 annis

annis perturbatio eſt, hæreticis conſperſa, & Catholicis fide ac moribus parum cultis. vtriq; malo Sereniſſimus Dux remedium per Societatis noſtræ homines facere optauit. & ſolemni ieiunio, tres petiit qui in prouincia illa rei Chriſtianæ laboranti opem ferrent, Catholicos in fide confirmarent, de hęreticis viderent, num quę ratio eſſet humanitate & doctrina eos ad Eccleſiam reuocandi. Geſtus mos eſt quoad fieri potuit Principi de nobis optimè merito. Duobus è noſtris ſacerdotibus prouincia illa mandata comite Coadiutore vno, qui pro ratione viæ ac temporis vtrique ſubſidio eſſet (Duce, ne noſtri homines populo graues eſſēt, neceſſarios eis ſumptus ſuppeditāte) Tenuit ea Miſſio menſem vnum inchoandæ rei, vt ſperamus, principium potiùs quàm finis gerendę. & feliciter certè inchoata res eſt: perutilis enim æquè ac grata fuit noſtrorum opera Catholicis; quorum tenelli filij libentiſſimis parentibus catechiſmo eruditi, nonnulli Caluini Inſtitutiones, quas ſummatim in ſchola publicè didicerant, facilè dedocti. Pater maioreſque natu liberi, etſi (vt anni tempeſtas fuit) per id tēpus terræ ac vitium culturæ maximè diditi, atque à prima luce in veſperam operi aſſidui erant; tamē quotidianis noſtrorum concionibus, ſeu manè ſummo, ſeu primis tenebris, ſeu etiam interdum meridie beneuoli frequenteſque interfuerunt. Noſtri conciones ſuas magna ex parte in recta fidei doctrina conſumebant: ex quo eſt factum, vt non pauci, qui in ea retinenda minùs firmi erant ad firmitatem ſint reducti, & omnes publicè quoad licuit contra hæreticorum fraudes, contraque periculoſos errores, qui ſe in vulgus inſinuabāt, noſtrorum operâ ſint communiti. Fuit & ſuus confeſſionum fructus, quæ pro illorum dierum religione

ne frequentes pro egregia hominum de nobis opinione,aliquot etiam generales fuerũt: quin & ex locis dissitis exciti nobiles nostrorum hominum fama ad eos venerunt,& apud eosdem peccata deposuerunt sua . hæretici verò (quorum è numero tres ad Ecclesiam sese aggregarunt) etsi initio inter se & à suis catechistis accepto consilio, à disputatione atque à nostrorum congressu refugerunt; tamẽ aliqui à nostris in colloquium inducti Societatem nostram,quam ex scientia admirabantur, ex morum & sermonis comitate familiariùs amare didicerunt, aliisque eius humanitatis præcones ac laudatores fuerunt; atque,vt colloquiorum modus fuit,spem attulerunt fore, vt si repetẽdæ eius Missionis aliquot annos commoditas fuerit,(& verò id non parum optandum est)& hæretici paulatim se à nostris tractari sinãt, & iis ducibus ad Christi ouile reuertantur. omnino bonus odor Christi & Societatis in eam prouinciam est sparsus,vt nos sanctos putent, & illi maximè qui plurimi sæpè diuersa munera nostris obtulerunt, retuleruntque non sine ingenti admiratione:& qui vel viderunt ipsi,vel auditione acceperunt, quanta cura & studio nostri in id incumberent, vt dissidentes animos pacis inter se vinculo & amoris colligarent.Missi & alij duo sacerdotes ad principem ciuitatem totius Lotharingiæ, vbi & Societatis muneribus obeundis, & consuetudine cum ciuibus eos ita sibi & Ordini nostro deuinxerunt,vt dicerent referre se quidem acceptam gratiam nullo modo posse;quandoquidem quæ munera non pauca fecerant à nostris ea fuerant constanter repudiata: sed quod possent, se nostri memores & nobis addictissimos fore.Erant in eadem ciuitate id temporis hæretici quidam quos aura cælestis afflauerat vt portum peterent,

terent, nec amplius turbulento hæreſeos mari agitari ſe ſinerent: cum iis noſtri tam beneuolè, tam ſuauiter egerunt, vt noſtrorum charitatem mirari ſatis non poſſent. admiratione recepτus ad Eccleſiam conſecutus. In Nomenianum profectus opidũ Muſsiponto trium circiter milliarium itinere diſtans, rogatu ciuium ad Quadrageſimæ conciones, ſacerdos è noſtris cum ſocio, multos animis diſsidentes beneuolentia reuinxit. in his duos è primoribus ciuibus fratres, cuiuſdam item opulenti ſenatoris vxorem cum viri fratre. Verùm cæleſtis opis & gratiæ ſingularis eluxit opus in ſeptem omnino familiarum reconciliatione. cùm enim ex his duæ cõtra quinque inimicitias gererent inueteratas, quæ ſubortis litibus palàm etiam indieſque incrementum maius capiebant, eò maiore popularium ſuorum offenſione, quò omnes affinitate iuncti aliis erãt: neque ſuperioribus annis duobus Religioſorum monachorum, qui Eccleſiaſtico munere fungebantur, hortatu ad ea quæ pacis ſunt adduci poterant; Deo bene iuuante, noſtri ſacerdotis non exiguo labore, odiis relegatis, petita & impetrata vtrimque venia coram lectis aliquot præcipuæ auctoritatis viris, & ſacerdote noſtro, in amicitiam redierunt, totius ciuitatis ac magiſtratus inprimis gratulatione. Huius ſacri temporis initio ferè, aduena quidam non ignobili genere ob interuerſam non mediocrem aureorum ſummam confictis nominibus ac ſchedis, vt aiebant, in carcerem arcis ciuitatis coniectus eſt. pluſculos dies ibi agentem vt inuiſere liceret, noſter ſacerdos à magiſtratu petiit, magiſtratui autem negotium id pium licet differri cupere reſpondenti acquieuit noſter. Poſt aliquot tamen dies cùm reſciuiſſet Pater ſuam operam à captiuo flagitari, nec vt

huius

huius rei poteſtas fieret iudices annuerent; ratus quod verum erat, iudices ibi timere, vbi non erat timor; Gubernatorem opidi & totius Marchionatus ab Illuſtriſsimo Duce de Mercuria loci huius domino conſtitutum adit. docet confidenter noſtri inſtituti eſſe non tantũ commune multorum, ſed particulare ſingulorum bonum prout fert occaſio promouere. Addit compertum ſibi operam ſuam ab eo qui in cuſtodia tenetur expetitam; ſed fruſtra, obſtante magiſtratu: quaſnam ob cauſſas neſcire ſe; ſcire tamen tam nihil periculi cauſſę externi iudicij ex interni fori ac rerum ſpiritualium commercio metui debere, quàm Chriſtianos iudices tuta conſcientia non poſſe nectere moras ad ſalutarem pœnitentiæ portum appellendi, quem nullo vnquã tempore ſummus omnium Iudex vlli quantumcunque facinoroſo interclusum eſſe voluit. Quòd ſi quid euenturum ex colloquio captiui cum Patre ſpiritali diuinare liceret, illud potius quàm quiduis aliud, rebus cum Deo compoſitis, ęquiorem iudices nacturos eſſe reum. Perſuaſit pater Gubernatori, hic iudicibus: ſucceſsitque ex animi ſententia negotium, at præter ſpem magiſtratus. qui vafro ingenio præditum, & accuſationum tela callidè eludentem reum nactus bonis, vt ſibi videbatur, rationibus ductus, non antè captiui conueniendi poteſtatem facturus erat ſacerdoti, quàm eius obſtinatum animum pertinaci iudiciorum prudentia expugnaſſet. Pater igitur in carcerem admiſſus, & cum reo collocutus, miratur Dei gratiam vberem homini inſpiratam: qui gratulatus ſibi quòd in hominem noſtræ Societatis incidiſſet, ſponte ſpondet ſe in arbitrio Patris fore, nihilq; quamuis ignominioſum & aſperum, quod ad ſalutem neceſſarium ei eſſe à Patre decerneretur, recuſaturum.

rum. hominem bono animo esse iubens Pater, ei tempus ad aliquot annorum (quibus confessionem Sacramentalem prætermisisse aiebat) noxas repetendas constituit. Quibus expeditis mirati valdè iudices adeò mutatum hominem pœnitentiæ Sacramentalis interuentu: mirati se quoque multis difficultatibus, quibus antea à reo implicabantur, eâdem operâ liberatos: quod iudiciorũ Přeses ipse Patrem familiariter inuisens, ei gratulabũdus affirmauit Ad scholas venio. plenissimę illæ auditorũ, quos inter plurima nobilitas splendorem & dignitatem affert gymnasio: præsertim verò nobilissimus adolescens Philippus Comes ab Arenberga Flander, auis & proauis illustris, & notissimus. is vt est subtili & sagaci ingenio, laudis & nominis percupidus, admirationẽ parit vniuersis, dum in Rhetorica doctissimos quosque ad singulare certamen vocat, & prosternit sæpè concertationum telis. Idem pro ea qua præditus est liberalitate, præmia tribuit distribuitque in theatro adolescentibus, omniũ quæ hactenus hîc distributa sunt elegantissima. Nec defuit tantę liberalitati scenæ apparatus. data quippe tragœdia Darius ab Alexandro superatus ea pompa & celebritate, vt neque Principum arma argentea auroq; cælata desiderata sint: nec bombardæ etiam maiores, quas ciuitas ipsa publicis sumptibus lubentissima concessit. sed iucundum maximè id spectaculum, peregrina spolia spectata toto theatro per biduum, quo tragœdia tenuit auditorem, quamuis ex finitimis vrbibus plurimi nobiles & illustres viri conuenissent. Iam si licet de superioribus scholis aliqua dicere, fuit nobilis hic annus eorum numero, qui Doctorum laurea, vel magistrorum sunt insigniti. Doctores creati duo, quos eruditio virtusque maximè commendabant: factus

ctus vnus Licentiatus, vt vocant: magistri fuere duodecim, egregii omnes. quorum è numero suaue Christi iugum subire duo Virginis alumni in Societate voluerunt. Præuerterant istos & alij duo, quos eadem Virgo educarat, & ad ineundum vitæ nostræ genus, vt credimus, induxerat. Et quia Sodalitii facta mentio est, expediam quæ digna videntur Annalibus. Tres alii eiusdē alumni Deiparæ, ad alias Religiosorum familias repudiato mundo se receperunt. Non paucis idem est consilium, mens eadem, quam & sollicitè seruant, dum fiet potestas è pedicis auolandi. Adhæc laxanda fuit ædes Virginis, vt eos caperet, quos & importunæ preces, & promptus animus ad illius cultum & amorem excludere non patiebantur.

Collegium Virdunense.

HABVIT hoc anno 1601. Virdunense Collegium Socios vndeuiginti, quibus bene operæ in vinea Domini collocandæ materia domi forisq; non defuit. In templum nostrum magni diebus festis hominum cōcursus sunt, tum ad suscipienda ritè Sacramenta, tum ad obeundas sacras conciones. Diebus verò celebrioribus tantus vulgò est confitentium numerus, vix vt sacerdotibus nostris iis operam dantibus respirare liceat: sæpeque accidit, vt cùm neque ipso die festo, neque pridie posśint omnes audiri de peccatis confitentes, huic negotio dierum consequentium bona pars tribuenda sit. Nobis pręsertim admirationi fuit insolita tum ciuium, tum externorum ad obeunda Sacramēta in ædem nostram per totam hebdomadam feriarum Paschalium cōfluentium multitudo: quam scilicet occasione quarundam Indul-

Indulgentiarum in æde proxima Patrum Dominicanorum propositarum, concepta vulgi errore iubilei opinio exciuerat. Qui error multis saluti fuit. Auditæ hoc anno totius vitæ circiter confessiones quadringentæ: & in his cuiusdam, qui totos vigintiquinque annos grauissimum aliquod flagitium celarat confessarium pudore sacrilego; & alterius qui iam annum decimumtertium in maximi cuiusdam peccati cœno iacuerat. Alij præterea complures, quod multis abhinc annis non fecerant, ritè se atque integrè apud nostros expiarunt Quidam cùm stimulis conscientiæ vehementer exagitatus, ad remedium quærendum, huc se longo itinere contulisset, omnes à puero præteritæ vitæ maculas tanto cum animi sensu sacerdoti exposuit, vt non inter confitendum solùm fleret vberrimè, verùm etiam discedens in hominum aspectu lacrymas non teneret. Nec defuerunt alij, qui à multis milliaribus ad nos confessionis gratia se conferrent. Obseruatum sæpè est totius vitæ confessiones à plerisque institui, quoties pro concione de huius integritate Sacramenti agitur. Fecerat id magno ardore animi & contentione orationis sacerdos noster decimo Kalendas Ianuarij (qui dies Dominicus erat Christi Natalitio proximus) ad comparandos auditorum animos, ad ritè expiandas confessione scelerum maculas. eius oratione complures accensi de totius vitæ peccatis confessi sunt, cùm dicerent nonnulli se tum demum ex concionatore nostro didicisse nullam se hactenus instituisse integram confessionem. Sed vnius insignis motus animi fuit, qui à concione nostrum illum sacerdotem conuenit, ac doloris significatione non vulgari se peccatorem maximum clamitans, flagitauit sibi vt aures præberet confitenti scelus grauis-

grauissimum, cuius conscientia vehementissimè torqueretur. Septem sunt à nobis B.P.N. Ignatij exercitiis exculti, in quibus fuit sacerdos idemq; Parochus insignis, qui diuina prouidentia videtur iis præparatus ad mortem, quam non ita multò pòst in maximis corporis cruciatibus cum eximia patientiæ significatione obiit. Hæretici septem eiurata hæresi ad gremium Ecclesiæ reducti. Quidam, in fide dubius ad hæreticos abierat eo cōsilio, vt exploraret veráne essent, quæ de ipsis auditione acceperat, vigere scilicet apud eos religiosam decalogi præceptorū obseruationem. Verùm, cùm eorum mores diligenter inspexisset, & cum nostrorum moribus conferens experimento didicisset, etiam Catholicis improbis multò illos esse deteriores, rediit ad castra quæ deseruerat, & fidem quam præpostera leuitate abiecerat, iterum amplexus, nostris secundùm Deum adiuuantibus rediit in gratiam cum Ecclesia. Detecta à sacerdote nostro est oppressaque fraus cuiusdam hæretici, qui cùm se sensim in vulgus incautum insinuasset, paulatim venenum suum instillabat animis imprudentium. Itum sæpè est ad custodias publicas magno vinctorum solatio. quorum exceptæ confessiones, animique sunt ad patientiam confirmati. Eadem opera strenuè posita est in ægris adeundis, adiuuandis morientibus, mœstis afflictisq; consolandis, dissidentibus ad mutuam concordiam atque amicitiam reuocandis. In his fuere fratres duo, qui tanto odio inter se dissidebant, vt mutuæ cædis periculum timeretur. Duo item coniuges, qui tam graues secum inuicē inimicitias gerebant, vt propiùs abessent à diuortio: & iam de adeundo ob eam rem magistratu vehementer agebatur, cùm duorum è nostris Patribus eò missorum operâ & exulceratorum vtrim-

que animorum lenitione in mutuam gratiam redierunt. Quædam mulier sibi iunctam affinitate proxima iam annum quartum vel sextum sic auersabatur, vt eius cõgressum & colloquium pertinacissimè fugeret. Docta illa ab vno è nostris quanto in periculo versaretur, virum suum adiit, significauit omnino sibi certum esse ante præsentis anni exitum (aduenerant autem Christi Natalitii dies) affinem illam suam inuitare ad cœnam pignus reconciliatæ gratiæ. Quod & annuente illo perfecit. itaque inter vtramque depositis omnibus simultatibus amicitia constituta conseruataque est. Grauiores, & quod ad plurium scandalum pertineret, perniciosiores, Parochus cum plerisque eorum, qui suæ curæ commissi erant, simultates fouebat. Eæ Dei auxilio à nostris penitus sublatæ sunt. His adiungatur si lubet, nonnemo ab homicidii voluntate nostri sacerdotis oratione reuocatus. Aditum est publicum nosocomium, cùm sæpè aliàs, tum præcipuè Quadragesimæ tempore quoad consueta officia caritatis, accessit hebdomadis singulis pia tum ad ægrotos, tum ad nosocomii Præfectos ac ministros exhortatio. Nec defuit nostrorum labor & industria præsidiariis militibus, qui per contubernia distributi aditi sæpè sunt à sacerdote nostro, & piis exhortationibus ad officii Christiani partes exequendas incitati. Neque verò à surdis exceptã illius orationem, vel ex eo satis intellectũ est; quòd cùm semel eos ad obeundam concionem, quæ per solemnes ieiunii dies singulos in primario vrbis templo habebatur, esset cohortatus; tam constanter paruerint, vt quotidie non expectato Centurionum Decurionúmve imperio, eò se conferrẽt. Tradita sedulò pueris est doctrina Christiana, tum in externis eorum scholis, tum etiam aliquot

diebus Dominicis in præcipuarum parœciarum templis: in quibus etiam, vt & in summo templo, conciones oportunis temporibus sunt habitæ, non sine fructu & approbatione ciuitatis. Adducti ad restituendi voluntatẽ coniuges duo, quam cùm explere præsentis pecuniæ inopia non possent, eam sponte sua mutuam corrogarunt. Virgo nobilis in fide votoq́; virginitatis perpetuæ, quo se Deo sponte deuinxerat, aduersus patris hæretici graues insidias conatusq́ue confirmata. Quædam alia virgo è nostra disciplina ad reformatum D. Claræ monasteriũ se recepit. Mulieris cuiusdam viduæ pauperisq́; ex iis, quæ apud nos confitentur, pudor à pluribus etiam præsente non mediocri pecunia oppugnatus expugnari numquam potuit, cùm diceret illa eo sibi nil in vita esse carius, malleque se omnia vitæ incommoda, quàm illius iacturam pati. Simile periculum virgines quatuor tempestiuo clamore depulerũt. Manauit etiam nostrorum labor ad religiosam quorundam cœnobitarum familiam, qui piis interdum exhortationibus adiuti sunt summa ipsorum voluntate. Monialibus item pia opera nauata est quantum instituti nostri ratio postulabat. Pergit Illustrissimus ac Reuerendissimus Episcopus Virdunensis nostrorum quotidiana vti opera, tum in confessionibus, tum in studiis litterarum, magnaque erga nos præbere signa beneuolentiæ. Vnde nonnulli calumniandi ansam arripientes, quæ optimus Princeps summa cum admiratione gessit in nos inuidiosè reiiciunt. Prudentiores tamen hos boni Pastoris labores, indeq́ue fructus ad hominum vtilitatem emanantes magnopere laudant & suspiciunt, simulq́ue dum nos vident nostris nos limitibus continere, nostram omnem agendi, cumq́ue hominibus ver-

ſandi rationem probant maximè, ex qua nonniſi diuini obſequii prouentus maior pro cuiuſque officio conſequatur. Nulla cęli intemperies pium Præſulem auocat ab obeunda concione, quæ feſtis diebus omnibus habetur in noſtro templo: in quo Sacrum fecit aliquoties, plurimoſque cæleſti pabulo refecit. Spectata præſertim illius pietas fuit extremo Bacchanaliorum die, quo Miſſam apud nos celebrauit, exhortationi ad Sodales Parthenios habitę, piiſque eorum exercitiis interfuit: totum diem in Collegio tranſegit. Exeuntis verò Quadrageſimæ nocte illa, quæ patientis Chriſti ſolemni recordatione celebris eſt, apud nos pernoctauit, & apud ſepulchrum Dominicum horam ſuam de more noſtro in ſancta meditatione traduxit. Scholarum vberes fructus extiterunt. Eorum fama tantam hoc anno ex multis, iiſque remotis Galliæ partibus exciuit multitudinem auditorũ, vix vt ipſos capiant anguſtiæ claſſium. Nam cùm ſuperioribus annis trecenti ferè nobis operam darent, nunc duplicato numero ſexcenti circiter numerãtur: & in iis nonnulli, qui ducentarum ferè leucarum Gallicarum iter ingreſſi huc ſe tanquam ad commodũ honeſtarum diſciplinarum emporium cõtulerunt: & verò illi tam auidè in ſtudia litterarum incumbunt, quaſi diuturnam ſitim explere velint. Neque verò pietatis minùs, quàm liberalium artium ſtudia viguerunt. Infimæ claſſis puer in patriam circa ferias autumnales profectus ſororem ſuam ab hæreſi ad fidem Catholicam præcipuorum doctrinæ Chriſtianæ capitum recitatione reuocauit. Tres Patrum Capucinorum inſtitutum amplexi ſunt, duo ad Carthuſianos abierunt. Cuidam obiecta vigilanti ſpecies Deiparæ Virginis, quæ manu coronã eximij ſplendoris porrigens monebat, vti eam ſi obtinere

tinere vellet, Religiosorum vitę statum amplecteretur. annuit adolescens: & spes est, vbi commodum erit, vocantem Virginem secuturum. Eidem cùm grauioribus quibusdam tentationibus premeretur venit in mentem, vt se patronæ illi commendaret. Quod vt fecit, statim se importunissima illa vexatione sensit liberatum, & suaui quadam animi voluptate perfusum. Sub vacationum solemnes ferias, incidit ingens populorum vbique gratulatio ob Delphinum Galliæ natum. Ea vt celebrior Virduni redderetur, ad nos ventum est, & concionator è nostris postulatur, qui die sequenti in publica supplicatione concionem super hac re haberet. Et sic placuit omnibus vt descriptam habere voluerint duo Galliæ Præsides, qui tum fortè aderant publici cuiusdam negotij caussa Quinetiam hoc quasi inuitamento allecti, sese vltrò cum vrbis Gubernatore ad prandium domi nostræ inuitarunt non sine spe desiderioq; probandæ Musarum nostrarum in celeberrimo Delphini natalitio voluntatis. Aberant tum præceptores omnes rusticatum missi ad sextum ab vrbe milliare. Nihilo tamen minus curriculo reuocati sunt; itaque elaboratum est diuisis cuique partibus suis, vt tertio pòst die exhibita ea fuerint, quæ plurium hebdomadarum laborem exigere videbantur. Instrata aula vario emblemate, & epigrammate multiplici Hebraico, Græco, Latinoque diuersi generis, accepti primùm cum vrbis Gubernatore Præsides echone, dialogo ad præsentem lætitiam accommodato salutati sunt. Inde prandio excepti iucunda rursus ecloga eodem argumento, & consequente symphonia recreati sunt. Secuta est propria consalutatio singulorum, oblatis cuique pronunciatisque diuersi idiomatis epigrammatis. Quæ sic placuerunt

omnia, nullum vt maius vel nostrorum aduersus Regem Christianissimũ obseruantiæ, vel eorundem erga se beneuolentiæ, vel scriptorum industriæ, vel ingenij Actorum atque memoriæ argumentum requirerent. Mirati tam breui tempore tam multa tamque diuersa excogitari, adeoq; tam scitè scribi, pingi, memoriæ mandari, & repræsentari potuisse. Et quidem certum, præsentium quendam, qui antea sic à nobis erat alieno animo, nos vt ęquis oculis aspicere vix posset, & tanquã sibi Galliæque inimicos auersaretur; ex illo tempore meliùs cognitis rebus nostris ita mutari cœptum, vt ex inimico factus sit amicus, idemque palàm de nobis perhonorificè loqueretur. Fuit qui vno è nostris alloquente diceret, atque iterata voce inculcaret, opprimi nos confessionibus, consultum fore eam curam in Parochos remittere. Quod eo consilio dictitabat, vt ab audiendis confessionibus arceremur. Sed in cassum eius conatus cecidit. Nam Præsidum alter cum coniuge Pœnitentiæ atque Eucharistiæ Sacramenta, non semel in templo nostro piè ac religiosè obiit, & propensam in nos voluntatem multis officiis testatus est. Quidam alij quasi tempus opportunum iudicio suo nacti, libellum supplicem iisdem Præsidibus obtulerũt, in nos vt ferrent sententiam de decimis ipsis persoluendis. Verùm hi contrà, stare à nostris partibus; probare conditiones æquas à nobis concordiæ caussa aduersariis oblatas, dignos prædicare nos, quibus alij gratificarẽtur hominibus natis ad reipublicæ vtilitatem. Affuere ambo orationi habitæ, dramatique dato in solemni restauratione studiorum, quorum vtrumque maiori, quàm vnquam antea frequentia celebratum fuit, non vulgari approbatione & laude Societatis. Admirabantur illi vtile adeò & ad promouenda

mouenda iuuentutis ſtudia accommodatum inuentum diſtributionis præmiorum, quæ hoc anno illuſtrior ac celebrior fuit, quàm ſuperioribus. Nā Illuſtriſſimus Princeps Carolus Chalignæus, nouennis adhuc puer, ſed moribus gratiſſimis, qui claſſes noſtras frequentat, quotidie ſumptum in eam rem commilitonibus ſuis liberaliter ſuppeditauit, magna cum voluntate Illuſtriſſimi Epiſcopi Virdunenſis patrui ſui. His rebus ſic nobis conciliati ſunt illi Præſides, vt in familiari colloquio horum alter diceret aliis Academiis leges optimas præſcribi ad iuuentutis inſtitutionem; penes nos ſolos laudem eſſe facti; idemque ſibi vnum è noſtris delegerit, quocum familiariter propè quotidie, quamdiu in hac vrbe fuit conferret de ſtudiis litterarum. Pecúniam adoleſcens emptori noſtro ſurripuerat. Iuſſum à Magiſtratu virgis cædi, nos confeſſione reconciliatum, ac cibo etiam refectum dimiſimus. Excurſiones frequentes in opida vicina & pagos factæ ſunt ingenti cum fructu incolarum. Menſe Ianuario, cælo incommodo, ſed commodè homines domi continente, luſtrati à duobus noſtris ſacerdotibus pagi tres & quadraginta, & in iis tradita doctrinæ Chriſtianæ rudimenta, habitæ cōciones frequenter, datæ aures confitentibus, aliaque munia Societatis obita, magno cum ardore animi, fructu minimè pœnitendo. Claromontum (opidi nomen eſt in finibus Lotharingiæ) ſub extremam Quadrageſimam profectus alius ſacerdos meſſem collegit vberrimam. Illic dies quindecim commoratus, binas in die conciones habuit, alteram in vrbe ante meridiem, poſt meridiem alteram in pagis vicinis. Auditus eſt eo ſenſu motuque animorum, qui ſæpè in concione ſe proderet effuſione lacrymarum, & à concione morum mutatione.

tatione. Cùm verba fecisset aliquando ad populum de rerum malè partarum necessaria ad salutem restitutione; triginta circiter quos ea oratio pupugerat, partim restituerunt, partim ab iis quibus restituendum erat, debiti æris condonationem impetrarunt. In iis nonnemo fuit, qui cùm fœnerationis ergo sexcentorum aureorum restitutioni esset obnoxius, non priùs acquieuit, quàm eos quibus debere se intelligebat, quosque iniquis nexibus implicuerat, diuersis ac longè distantibus in locis constitutos adiret, faceret satis omnibus, & hoc onere liberam conscientiam ad tranquillitatem reuocaret. Inualuerat apud multos hæc superstitio, vt ęgroti ad morbum depellendum carnis die Christo resurgenti sacro non edendæ voto se obligarent. Eam consuetudinem sacerdos ille noster cùm pro concione damnasset, ea dimissa viginti circiter huic malo remedium ab eo quæsierunt, seque totos eius prudentiæ permiserunt. Nihilo plus eidem laboris fuit in persuadendo paganis quibusdam, vt cœmeterij muros partim ruinosos, partim disiectos suis sumptibus restaurarent, ne in locum sacrum porcis, lupis aliisque immundis animalibus, cum nonnullo effodiendorum cadauerum periculo aditus pateret. Itaque quod sæpè irrito conatu tentatum erat à Parocho, perfectum à nostro est vnica adhortatione, quam eadem hora consecuta est coëuntium in eundem ipsum locum paganorum ea de re seria deliberatio. Idem Claromonto priusquam discederet, persuasit duodecim non vulgaris notæ ciuibus, sibi vt in perpetuum librorum prohibitorum vsu interdicerent, ac ne apud se quidem retinerent. Totidem de totius vitæ, plures de multorum annorum peccatis confitentes audiuit. In mutuam gratiam duos reuocauit, quorum alter

alter ab altero per summam iniuriam impacto cultro, quatuor in capite plagis affectus erat. Hinc cùm tandem conualuisset, omnino certum erat cum inimico agere iniuriarum; nec dubium erat, quin lis diuturna, diuturniores inimicitiæ futuræ essent. Quapropter sacerdos noster Dei fretus auxilio omnes admouit machinas, ad expugnandos pertinaces animos; illius, vt ab eo, quem læserat peteret veniam, huius, vt eam libenter impertiret. Nec priùs ab incepto destitit, quàm negotium feliciter confecisset. Ipso enim præsente in eius domo, qui vulneratus fuerat, condonatis iniuriis, secum inuicem redierunt in gratiam: quam vt ex animo reconciliatam esse ac perpetuam fore demonstraret, is qui passus erat iniuriam sponte sua, Patre tale nihil expectante, protulit omnes criminationum libellos; lacerauit, in lucentem caminum coniecit incredibili cum animi alacritate ac voluntate. Extrema concione Claromontanis cùm valediceret Pater, tantus subitò fletus exortus est, vt pios filios à parente optimo, bonos discipulos à præceptore carissimo diuelli diceres. Abeuntem insecuti sunt duo enixè postulantes sibi vt de vniuersæ vitæ peccatis confitentibus operam daret: quod in pago proximo præstitit. In oppido Sancti Michaëlis (vulgò Sanmielum vocant) habitæ sunt ab eodem sacerdote conciones per Octauas festi Sanctissimi Sacramenti, magna auditorum frequentia. Ibi tres quatuórve ad malepartam pecuniam restituendam, totidem ad perniciosos libros igni tradẽdos adducti sunt. Confutata hæretici cuiusdam impietas, qui in domo Præsidis, quò multi viri graues conuenerant, à Patre de certis fidei nostræ capitious interrogatus, & ad aspiciendam veritatis lucem prouocatus, cùm obstinato animo resisteret; damnatus est

omnium ſententiis vehementer admirantium hominis vel inſcitiam, vel impudentiam, qui tam firmis rationibus, tam apertis ſanctorum Patrum teſtimoniis non cederet. Per Octauas Corporis Chriſti concionatum miſſus Claromontum alius è noſtris ſacerdos tanto id cum fructu perfecit, vt affirmaret Parochus numquam ſe tantam in eo opido confitentium & communicantium multitudinem vidiſſe. Maruillam diœceſis Treuirenſis opidum miſſus opidanorum accitu alius è noſtris Patribus, vt ſolemne Quadrageſimæ ieiunium quotidianis concionibus obiret: id Dei beneficio licet initio inualetudine impeditus, nõ ſine fructu perfecit. Auditus eſt ſecunda admodum concione, tantoque etiam profeſtis diebus non indigenarum ſolùm, ſed aliorum etiam concurſu, quantus ſupremi Magiſtratus teſtificatione à multis annis viſus non fuerat. Diebus Dominicis poſt antemeridianam concionem, in pagos vicinos concionatum ibat, profeſtis à prandio tradebat pueris doctrinã Chriſtianam. Quod dum in templo fieret, non minor ſæpè, quàm in matutina concione, frequentia erat auditorum. Nec omnino vulgares fructus hæ conciones catecheſeſq; faciebant. Sacrum erat in opido illo Sodalitium, in quo Sodales partim inſcitia, partim corruptela morum, pecuniam fœnori dabãt. Et quoniam ſiue in res ſacras, ſiue in ἀγαπὰς, ſcilicet conuiuia Sodalium inſumebatur, à noxa ſe immunes exiſtimabant, fruſtra monente ac reclamante Parocho, viro docto, ac peramante noſtræ Societatis. vna tamen atque altera concione grauitatem peccati ſic eis planam fecit ſacerdos noſter, vt non modò vniuerſi, ſed & Rector quidam Sodalitatis & alij priuati eũ cõuenerint, vt rationem reſtitutionis, & tollendi illius abuſus, ex eo

meliùs

meliùs planiuſque acceperint. Aliæ prætereà aut malè partorum, aut furtim ſublatorum curatę reſtitutiones; diſſidentes inuicem conciliati; impedita in pleriſque ebrietas: frequens vſus Sacramenti pœnitentiæ perſuaſus & inductus. Quo de Sacramento appetente ſancta hebdomade, cùm egiſſet Pater, ac potiſſimùm de confeſſionis integritate, tantus integrè cõfiteri, ac totius anteactæ vitæ peccata replicare volentium numerus fuit, vt neque ille, neque Parochus facere ſatis omnibus potuerint. Horum complures, quæ peccata multos iam annos in ſacra confeſſione malo pudore tacuerant, ea tunc ſacerdoti noſtro patefecerunt: qui licet poſt ferias Paſchales biduum ita ſubſtiterit ſic impeditus, & excipiendis confeſſionibus & dandis reſponſis de ſtatu conſcientiæ conſulentibus, vix vt quietem neceſſariam capere poſſet; facere tamen omnibus non potuit ſatis. Hæretici duo errorem ab eo edocti hæreſim abiurarunt, atque Eccleſiæ conciliati ſunt. His aliiſque pietatis officiis capti indigenæ tam bonam de hominibus Societatis opinionem conceperunt, vt cum Patre de fundando ibi Collegio primus Magiſtratus egerit. Miſſu Illuſtriſſimi Principis & Epiſcopi Virdunenſis idem ſacerdos ad vicinum aliud opidum ſe contulit, vt vinculum cenſuræ Eccleſiaſticæ exolueret loci illius Gubernatoris, qui vim quondã Parocho fecerat. Quod Dei ope tam ſecundum habuit exitum, vt ille non in præſens ſolùm, ſed in poſterum etiam præbuerit ſe Epiſcopo ſuo obſequentem, & Eccleſiaſticę immunitatis obſeruantem Alius quidam vir præcipuæ nobilitatis ſimili vinculo obſtrictus accito vno è noſtris, quem ſperabat optabatq; fructum eius præſentiæ cepit, magna animi ſui voluptate & tranquillitate conſcientiæ. Miſſus & alius ſacerdos

cerdos decimoquinto die ante Pascha in pagos vicinos, præter quotidianas conciones, quas vesperi instituebat, & confessiones in quibus audiendis reliquum penè diem insumebat, aliquot dissidentium reconciliationes curauit, atque in iis patris & filij, qui graues inter se gerebant inimicitias. Explicato ritè confitendi communicandiq; modo varios abusus sustulit, quendam a vesano pellicis amore auulsit, persuasitque aliò vt migraret, vbi longiùs abesset à periculo. In iis quibus confitentibus operam dedit, sex octoue totius vitæ, bonæ partis decem circitèr peccata retexuerunt; plures varia crimina confessi sunt, quæ hactenus pudore præpostero confessarium celauerant. Quidam oratione quæ de grauitate peccati habita erat, ita compunctus est, vt præ lacrymis & singultibus vix peccata sua posset confiteri. Quinquaginta supra centum aureos acceptos retulimus liberalitati amicorum, Præsulis verò nostri amantissimi beneficentiæ septuaginta, præter tres casulas, quibus auxit idem nostram sacram supellectilem, ad quam accessit & scyphus argenteus. Auctus etiàm hoc anno est eiusdē Principis munificētia census annuus eo frumenti numero qui duodeuiginti aureis nummis æstimetur.

Domus Probationis S. Nicolai.

NOSTRORVM in hac domo numerus ferè semper hoc anno fuit triginta. Significatū enim iam fuit, è concessis & perangustis ædibus, vbi pauci tirones sunt primùm collocati, migratum in proprias atque laxiores, quæ etiamnum ad nostrorum vsus accommodātur indies & ornantur. Exædificata est ampla satis splendidaque cœnatio, cum viciuis locis ad instruendos cibos & pe-

penum opportunis. Cui rei adiumento fuit maximè Cardinalis Illustrissimi munificentia, qui tenuitatis nostræ haud ignarus centum nobis aureos nummos donauit, plures anno superiore dederat. Ipse verò Princeps Henricus Reuerendissimus Antistes Virdunensis nullum finem facit nos amandi, nobis fauendi, fouendique hanc domum quam fundauit, opere, gratia, modis denique omnibus: vt familiam suam vniuersam in nos velle transferre videatur. Seruos habuit tres à pedibus iuuenes sibi non ingratos: superiore nobis vnum, alterum hoc anno dedit, collacrymante tertio, quòd in beatæ vitæ studio socius sibi præferretur. Inuisit nos perhumaniter aliquoties, neque aliud sibi domicilium, quàm perexiguum domi nostræ cubiculum parari voluit: cum nouitiis omnibus singillatim est amantissimè collocutus, cùm vnumquemque ardore animi singulari ad perseuerandum animaret. Ceterùm, vt se dant initia, spes maxima est ex nostrorum consuetudine non mediocres hìc fructus, Deoq; gratissimos exorituros. Vt sacellum primùm est patefactum, mirum est in tanta paucitate nostrorum sacerdotum, nouitateque rei fuisse tantum tamque nouum ardorem religionis in opidanis. Ingens fuit eorum numerus, qui celebrioribus festis cælestem apud nos panem sumpserunt, cùm propter ædiculæ nostræ angustias, sibi quasi per vices succederent. Cui tamen rei prædo animarum inuidit: nam cùm rarior esset vsus Sacramentorum in his partibus, dæmonis emissarij virgines primùm irridebant, ceterosque pios homines, qui sæpiùs vel explicarent peccata sua, vel arctiùs Christo Domino iungerentur. Sed illa res aluit potiùs quàm minuit, cœptam pietatem. Itaque mille numerati sunt, qui festis Christo resur-

genti

genti ſacris ſui Curionis permiſſu apud nos ſynaxim agerent. Et quoniam ſcholæ ſunt paruulorum in opido variæ, perfectum hoc etiam eſt, vt noſtrorum Collegiorum more ſingulis menſibus ad nos ſemel accedant peccatis expiandis Sub initium magni ieiunij, pueri, ſerui, ancillulæ, omnes denique, qui tum primùm ſacrã Euchariſtiam appetebant, edocti tum de peccatorum confeſſione inſtituenda, tum de diuino cibo ritè capiendo. Meſſis omnino animarum eſſet vberior, ſi grandius templum auguſtiuſq; haberemus. Sacellum interim inſtruitur rebus neceſſariis, tum diuinæ rei faciendæ, tum excitandæ pietati. Auctum fuit hoc anno Diuorũ ſacris reliquiis, tum è refertiſſimo Treuirenſis Eccleſiæ theſauro, tum etiam aliundè petitis Qua in re ſtudium extitit erga nos & amor haud obſcurus Illuſtriſſimi Colonienſis Epiſcopi Adiutoris Sereniſſimi Bauariæ Ducis filii. Litteras ad eum per nouitios peregrinatores miſerat P. Rector, quibus ad ornatum nouæ domus ſacras huiuſmodi exuuias Colonienſis armarij poſtulabat: perficere tum quidem ille quod voluiſſet non potuit, quamuis ea de re Vicario ſuo diligentiſſimè perſcripſiſſet. Sed accidit vt illo ipſo tempore cùm noſtri peterent, ad eum trium Apoſtolorum non exiguæ partes aliunde mitterentur pio parenti tranſmittendæ: eas confeſtim nobis donat, vti acceperat, omnes cum pyxide, cumquelitteris rei veritatem declarantibus: quibus & è priuato ſacrario nonnullas adiecit, vt cumulatior eſſet benignitas. Prouidebit, vt ſperamus, Deus, vt hæc quondam S. Spiritus tabernacula thecas aliquando habeant elegantes, quæ populi contuentis animos ad Diuorum cultum & ſanctimoniam accendant. Et quoniam huius loci incolæ rudes erant antea, diuinarumque

rumque rerum haud satis gnari, doctrina Christiana statis temporibus traditur à P. Rectore, in principe templo, magno concursu. Operæ fuisse pretium, eiectæ superstitiones, pacatę conscientiæ, publicaque vitia repressa declararunt. Multi Biblia vulgari lingua & ab hæreticis corrupta aliosque libros eiusdem prauitatis cremandos attulerunt. Non pauci rebus sacris dicati homines, à perditis vitæ rationibus ad meliorem frugem reuocati, tum B. P. Ignatij commentationibus, tum etiam consilio nostrorum. Quosdam malus dæmon variis imaginibus, & obiecta multiplici specie deludebat: illis persuasum Confirmationis Sacramentum, quo carebant, vti susciperent, quod aduersus terriculamenta fuit præsentissimum remedium. Quidam hæreticum hominem aduersus Eucharistiam indigna quædam proferentem, æquis auribus audierat: quæ caussa fuit, vt tres totos menses à diuinis in templo cæremoniis frequentandis, augustoque sacrificio abstinet. is deinde ita cœpit agitari spiritu blasphemiæ, vt vel inuitus indignissimas in Deum contumelias iaceret. Facta peccatorum confessione, fideique apud nos professione, sanatus est. Alius quòd grauia peccata, dum sacerdoti noxas aperit, sciens prudensque reticuisset, dies quindecim furiis turbulentissimis vexatus fuit: nam de nocte vigilans & penè desipiens, opprimi se vehementer à fele sentiebat, tum etiam videre sibi videbatur hominem stricto gladio penè iam vitam & sanguinem haurientem, quòd Sacramenta violando summum Deum ita grauiter offendendisset. Hoc cùm illi contigisset aliquando vehementiùs, vix lucem expectare potuit, quin domum nostram accurreret, tam graui sarcinæ deponendæ. Damnatis etiam vltimo supplicio consul-

consultum est, & ab orci faucibus quidam erepti. Reus erat fraudis capitalis ita pertinax in odio inimicorum, vt in eo permouendo, qua precibus, qua terrore Numinis denunciando, frustra noster quinque horas summo labore collocaret. deducitur ad carnificinæ locũ; tum, vt fit, cruciarius præsentium religionem obtestatur, precesque petit. At sacerdos, elata voce: Cauete, inquit, ne vel vnum verbum piè pro eo dicatis, quem nefarium odium inclusum imis sensibus tenentem, & morientium vltima remedia contemnentem videtis: cur enim frustra elaboreris? Quæ vox ita ferreum pectus hominis verberauit, ita perculit, vt subitò in omnium oculis & peccatorum confessionem institueret, & ab iis quos sæpè verbo contumeliisque violarat, veniam peteret, quam à summo iudice faciliùs consequeretur. Nec minùs voto damnatis quàm scelere fructuosa fuit nostrorum opera, quam nauant iis qui frequentes remotissimis è prouinciis huc confluunt, Deo diuoque Nicolao gratiis persoluendis. Vnius pietas digna est quæ commemoretur. Venerat ille vltima è Gallia supplicatum: caussa isthæc fuit; dum pontem cum curru iumentisque transmittit, accidit vt, quòd fluuius magnis imbribus excreuisset, eodem ipso tempore pons corrueret, sed ita vt homo priùs ageretur in præceps, tum equi, deinde moles grauissimæ sequerentur, quæ multos homines opprimere potuissent. In casu D. Nicolaum patronum adoptauit, nec frustra: obstupefactis qui aderant omnibus, saluus in ripa cum iumentis extitit. Sed hæc quasi domi nata factaque. Itum etiam est foras, lustratique pagi quam plurimi festis diebus. Inducti sunt primùm quidē ipsi Parochi, vt, quod hactenus vix fecissent, quæ ad salutem sunt necessaria, suos docerent. Sacramen-

torum vſus erat in opidis infrequens: is quibuſdam perſuaſus. Audiuerat noſter ſacerdos duos tantùm pagi haud mediocris in feriis Pentecoſtes panem Angelorum ediſſe: caſtigauit languidos animos,& in eam rem ita dixit, vt feſtis proximis penè omnes ad diuinum epulum accederent. In multis deinde locis cùm paulò magis diuinis rebus aſſueuiſſent, tanta cœpit eſſe ruſticanorum pietas, vt Parochi ſanctè affirmarent, ſe poſt hominum memoriam, cùm multos iam annos curam animarum habuiſſent,nunquam vidiſſe tantam eorum frequentiam, qui panem vitæ caſtè religioſeq́ue appeterent. Ritus etiam ſuperſtitioſi & noxiæ etiam conſuetudines ſublatæ Mos erat quibuſdam vt ad auertendas anni tempeſtates vigintiquatuor horarum ſpatio æra campana pulſarent in peruigilio D.Ioannis Baptiſtæ:quo ſonitu tum res diuina, tum piarum rerum explicatio impediebatur. noſtro monente deſierunt. Abibāt de more noſtri in vicinum pagum, cùm ſubitò vident accurrentes in agrum homines, duoſq́ue nudatis pectoribus ad excipienda vulnera, quibus infeliciter animas proiicerent,decretoriis armis concurrere. Aduolant è veſtigio,exclamant, incitantur, diuina humanaq́ue omnia obteſtantur,per Chriſtum, per eius ſanguinem monent vt deſiſtant. At illi ferociùs impetere,noſtri interponere ſe,& agere iam aſperius:tandem peruicerunt vt delaberentur enſes de manibus, & noxarum expurgationem in proximos dies feſtos reconciliata gratia ſponderent.Redibant alij à docendo catechiſmo, cùm hiemis aſperitas erat maxima; reperiunt paruulum mediis in agris ſine ſenſu iacentem,frigore debilitatum, quem nox ingruens planè confeciſſet: cùm nouitius noſter exceptum humeris vnius milliaris ſpatio detulit in opidum,

 vbi


vbi cibis & igne fotus, animam, quam extremis in labris habebat, retinuit. Nunc vt nostrorum nouitiorum proprias attingamus, illorum virtus suique vincendi studium quà domi, quà foris eluxit. Certamen erat quis omnium obsonatorem nostrum ad forum rerum venalium, pannosus cum corbe, cum mantica comitaretur. Ostiatim, quod nouum fuit, per omnem ciuitatem terni emendicarunt. Peregrinationes ex instituto Societatis obitæ, quæ in omnem partem plurimùm valuerunt, vel declarandæ Numinis prouidentiæ, aut nostræ in ipsum fiduciæ explicandæ. Quibusdam aduentante nocte prope siluas errantibus, iamque lustra vel arbores pro cubili meditantibus benignus Deus prouidit occursu pagani, à quo sunt in viam è periculo reuocati. Aliàs post iter longum ac difficile, cùm à ciuitate longè positi, defatigatione iuxtà molestiisque fracti, penè animum desponderent; ecce tibi à tergo eques benignè compellat, addit animum, spondet vltro se curaturum, ne portæ priùs occluderētur, quàm essent in tuto. Dictum, factum. auolat ex oculis, nostri laboriosè progrediuntur: admissi in vrbem & commodiùs habiti didicerunt spe cælestis auxilij in posterum esse firmiores. Fuit etiam cùm nostri locorum ignari deprehensi nocte vagarentur, & quærentes opidum per deuium iter longiùs in errore progrederētur: timidis, vt fit, haudque parum sollicitis lucem dedit, consilij operæque suæ mediis in tenebris rusticus, è vestigio consecutus, à quo sunt in rectam viam ita restituti, vt quoniam abeundum erat aliò, cœpto in itinere dubitantes relinqueret. Pergunt porrò, sed è Scylla in Charybdim, nouum nimirum periculum adeunt: præcipitia occurrebant longè periculosissima, nox cælum obtexerat, fallens erat vestigium

gium fessis & trepidatio. & profectò vix ruinam euasissent, nisi tenuis lunæ splendor semitam angustam & depressis rupibus imminẽtem aperuisset, quà deducti sunt in opidum : vbi factus sacerdos obuius ædes indicauit egregij cuiusdam ciuis & maximè pij, qui labore viæ conflictatos benignissimè recreauit, cùm gloriaretur, beatumq; se prædicaret quòd matutinis in epulis tres omnino Capucinos, vespertinis pari numero Iesuitas ad suam mensam habuisset. Abierant alii cum litteris commendatitiis ad notos homines, quorum etiam liberi nostris in scholis erudiebantur: & læti quidem in spem magnam venerant, fore vt benigniùs ibi tractarentur, & multorum liberalitate cumulati discederent. Ad vrbem cùm est ventum, interrogantur: agitur asperiùs, promunt patentes: litteræ fictæ iudicantur: rem mirantibus aditus interdicitur. tum vicino in pago rusticanum hospitium quærendum fuit, reapse doctis spem in hominibus omnem nimiùm quantum dubiam & incertam esse. Atque Dei prouidentiam hominum etiam charitas illustrauit. exceperant nostros matronæ honestissimæ duæ, diuino cultui inprimis deditæ, lauteque tractarunt, & beneuolentia singulari. dum discedunt, certamen oritur hinc modestiæ, illinc liberalitatis. nam illæ pecuniam offerre: nostri recusare, gratiasque agere. illæ nihilominus perseuerare, vrgere, obtrudere: abiicere oblatam nouitii. Sed peruicerunt, proiectâ videlicet nostris pecuniâ fores obseranere ne rediret. Alii in bene moratam ciuitatem venerant plenam bonis ciuibus, quos de nostris Patribus vnus eruditis concionibus ad omne genus pietatis instruxerat, & odorem pietatis sparserat gratissimũ. Petunt de more eleëmosynam, quam largè accipiunt, obtinentque à Prætore probo &

honesto imprimis, vt in xenodochio esse liceret. Datur iis cubiculum omni supellectile vacuum: id cùm resciuisset lectissima piaque matrona, iubet statim adferri lychnuchos, lignum, scabella, vestes stragulas, sindones mundissimas, duosque lectos parari. Prætor ipse dubiam cœnam misit, & cibos exquisitos varii generis, voluitque suum famulum sedentibus ad mensam inseruire. A cœna ecce tibi summa modestia notæque virtutis nobilis mulier cum ancillulis, quæ repugnantibus nostris calceos cùm detraxisset, crepidas subministrauit ad pedes habiles atque molles. Nec largitatis hic finis: postridie manè Prætor idem cùm nostrorum pietatem prouideret, mantile candidum cum scypho misit Eucharistiæ capiendæ: & templo egressos mensa iterum bene lauta excipit: postea discedunt, agunt vt par est gratias. at humanissimi viri quasi nihil egissent, excusant tenuitatem, commendant se nostrorum orationibus, se suaque perliberaliter offerentes. Neque nihil profectum est in ea profectione nouitiorum in externis iuuandis. Terni cùm venissent quoddam in opidum, à nobilissimo sunt pioque viro benignè excepti, & cùm longiùs eo die progredi vellent, haud ingrata violentia retenti. Disseritur à nouitio sacerdote de rebus cælestibus: quibus ita captus homo est, vt partem religionis pietatisque nostrorum ad opidanos suos deriuatam nimio opere cuperet. Rogat igitur piam concionem noster habeat, breuem explicationem Christianæ doctrinæ spondet. nox iam appetebat, ipsemet pagi dominus domos obit singulorum, monet vti summo manè conueniant, nec quidquam operis priùs à quoquam attingatur quàm sit explicata concio. Paretur, adsunt æquis animis: ita noster disputat, ita illi audiunt de peccati fœdi-

fœditate miserabilique fructu, vt tantam vim lacrymarum in vlla concione non meminissent. Gratias illi certatim agunt, & dictorum memoriam diu conseruaturos spondent. Iidem cùm decliuis sol esset in occasum, procul ab vrbe hominem reperiunt vino plenum, motu sensuque vacuum in periculosissimis locis derelictum, vbi rupes & depressæ maximè valles erant, & sine dubio præsens periculum aditurus videbatur. Tetigit animos miseri hominis species, purgant sordidatum primùm, tum excitant humo, & vtrimque sustentantes magno labore deducunt. Iam propiùs aberant ab opido; tum ille conniuentes oculos aperiens, nostrosque respectans, se miserum proclamare cœpit, qui vino nimio diuinam iram meruisset, non passurum se vt sui caussa pij sacerdotes (sic nostros appellabat) eum laborem exhaurirent. Nostri cùm ea dixissent, quæ pro loco & tempore dici potuerunt, hominem progredi recusantem, pudore simul & dolore confectum, & peccatorum confessionē pollicentem relinquunt. Modestia fecit aliorum, vt hæretici quibuscum in eodem erant diuersorio faterentur Iesuitas minùs esse malos, quàm vulgus reliquum sacerdotum, siue frugi piosque. Alij diuerterant ad sacerdotem à nobis alioquin non alienum, sed qui fuerat semper in ea opinione, vt Iesuitas crederet fictam potiùs & adumbratam, quàm veram & expressam pietatem colere. Nostri priusquam lectum peterent, Litanias pro consuetudine dum recitant., flexisque genibus exigunt rationem conscientiæ; animaduertuntur à domesticis, qui rem deferunt Curioni. Is errorem postea suum nostris amicis est testatus. Et profectò pietas hæc religionisque seruata integritas plurimorum beneuolentiam in Societatem prouocauit.

PROVINCIA AQVITANIÆ.



Alvit hoc anno 1601. prouincia Aquitaniæ Socios in nouē distincta domicilia distributos 219. In Collegio Tolosano sacerdotes 18. è quibus vnus Theologiæ, duo Philosophiæ professores, humaniorū litterarū professores quinque; Philosophiæ auditorē vnum, reliquos Coadiutores vndecim. In Domo Probationis sacerdotes duos, Coadiutorem vnum, reliquos nouitios trigintaquatuor. In Collegio Burdegalensi Patres viginti, è quibus duo professores Theologiæ Scholasticæ, Scripturæ & Casuum totidem, scholastici quatuor; reliquos Theologiæ Scholasticæ auditores vndecim, Casuum tres, Coadiutores decem. In Residentia S. Macarij sacerdotes duos, professores totidem, Coadiutores duos. In Collegio Aginnensi sacerdotes septem, quorum vnus Philosophiæ magister, scholarū humanitatis professores quinque, præfectum studiorum vnum, Rhetoricę auditores quatuor, Coadiutores quinque. In Collegio Petracorensi sacerdotes vndecim, è quorum numero Philosophiam docet vnus, scholarum inferiorū magistros quinque, Coadiutores quinque. In Rhutenensi sacerdotes sex, professores totidem, præfectum studiorum vnum, auditores Philosophiæ tres, quinque Coadiutores. In Auscitano sacerdotes septem, in quibus vnus Philosophiam docet, magistros quinque, totidem Coadiutores. In Biterrensi sacerdotes octo, ex his Philosophum vnum, reliquos professores quinque, Coadiutores quatuor, vacantem à studiis ob

afflictam

afflictam valetudinem vnum. In Lemouicensi sacerdotes nouem, magistros quinque, Coadiutores quatuor. Obiit vnus è Collegio Rhutenensi P. Edmundus Rotardus post annos 40. in Societate magna ciuium satisfactione transactos, vir ea ætate nemini grauis, domesticis & externis omnibus gratus; in Collegij procuratione & confessionibus audiendis, in quibus vtiliter erat assiduus; Societati probatus, confessionum maximè nomine: in quibus sic erat industrius, vt vulgò non alio, quàm Patris confessarij nomine, etiam in vicinis prouinciis appellaretur. Admissi viginti: plures in singulis Collegiis importunè flagitantes excludunt rerum nostrarum angustiæ. Auxit & spiritualem in nostris profectum, & impensorum circa externos laborum fructum non mediocriter R. P. Laurentij Magij Visitatoris tam exceptus auidè, quàm diu expetitus & expectatus aduentus. quatuor lustratis Collegiis, Aginni commorantem, Rex per litteras plenas humanitatis ad se vndecimo postquam venerat die cùm euocasset, Burdigalæ rebus vtcunque compositis, quantum vires afflictæ morbo quo penè oppressus patiebantur, Regem adiit: à quo de rebus nostris bene sperare iussus. Nouo Prouinciali prouinciam primùm obeunte, & reliqua duo Collegia Lemouicense & Petrocorense P. Visitatoris nomine visitante, nouo feruore nostrorũ accensi animi: spiritualibus ferè omnes exercitationibus exculti, redditi ad iuuandos proximos expeditiores. Nunquam in scholis discipulorum, in templis pœnitentium maior numerus. In concionibus auditorum pari vbique fructu. nam & innumeræ vbique confessiones, in quibus totius anteactæ vitæ plurimæ expressis, quæ multos annos pudor represserat criminibus, ritè factæ, restincta

odia, pecuniæ malè partæ veris dominis restitutæ, aucta Sodalium numero & disciplinæ melioris legibus Sodalitia, cum pietate & fructu frequentati carceres, lustrata xenodochia, tum à nostris, tum à Parthenicis Sodalibus. Sed enituit singularis ardor & pietas, cùm horarum 40. in singulis ferè Collegiis institutæ preces pro felici Reginæ puerperio: & paucis pòst diebus in gratiarum actionem pro Delphino nato, siue cùm templa nostra ad ceterum ornatum emblematis ornata, ciuibus ad Sacramenta, preces & conciones confluentibus, replebantur; siue cùm & Sodales & discipuli, accensis cereis, turmatim è Collegio in sacram ædem ad expositum Eucharistiæ Sacramentum procedebãt; siue cùm ad festos ignes genethliacis & poëmatis ex tempore datis, inde ad concionem in templum deducti spectatores pio & iucundo spectaculo distinebantur. Exercitiis spiritalibus adiuti plurimi, & partim ad Christianam, partim ad religiosam perfectionem adducti; partim in ea cui nomen dederant religiosa familia confirmati. sic vt prædicent plurimi, nostrorum operâ & meditationibus se spirituales factos, & in schola perfectionis institutos. Obsceni libri & hæretici tum domi, tum in Missionibus incensi. plurimi Casus conscientiæ, Aduentu & Quadragesima à nostris concionatoribus, in Missionibus magno Ecclesiasticorum bono explicati. Hæretici centum viginti aut plures tota prouincia Ecclesiæ restituti.

Collegium Tolosanum.

Ex eorum numero, qui Tolosæ Societatis meditationibus eruditi sunt, insignis concionator zelo reformationis flagrans, non minimum ad perfectionem calcar & lumen est expertus, ma-

magno suo & amplissimi cuĩ præerat monasterii bono: cujus nouitij iisdem exercitiis instituti impetrarunt à Præfecto, vt, quod per regulam singulis mensibus cõcedebatur, liceret octauo quoque die ad sacram mensam accedere. Duobus salubriter instituta generalis confessio & animi quietem & perfectionem in Patrum Capucinorum familia cum sæculi contemptu dedit; tertium monasterio ex quo malè recesserat, restituit. Hæretici, in quibus vnus ex iis quos illi diaconos vocant, Ecclesiæ restituti triginta. Exhortationes habitæ Quadragesimæ feriis, moniales quasdam laxioris obseruantiæ ad meliora & salubriora consilia reuocarunt. Libelli item de ratione orandi, deque religiosa perfectione acquirenda patrio sermone vulgati, mirum quantum religiosis familiis profuerunt. Feminarum pudicitiæ & inopiæ consultum, vel corrogatis pecuniis, vel in cœnobium pœnitentium aggregatis, vel matronarum honestarum curæ commendatis. Dum publicæ de more visuntur custodiæ; capite damnati duo sua sibi inuicem crimina exprobrantes, acciti confessarii hortatu ad pœnitentiam & mutuam iniuriarum condonationem inducti. Alius, cùm ob patrata facinora damnatum iri se propediem expectat, ingenti simul anteactæ vitæ dolore & pudore suffusus, præcipitem sese dare in puteum cogitat: sacerdoti nostro facta confessione ab illa mente deductus ac recreatus est. In opidum, quod Calabriam vocant, missus è nostris concionator, præter confessiones, & ex iis generales plurimas exceptas, & insolentem communicantium Natali Christi festo die numerum, ciuitatem in duas factiones diuisam, sedatis odiis, pacatam reliquit. Pari fructu in Vaurensi ciuitate laborauit alter, Aduentus & Quadragesimæ tem-

 pore.

pore. Egenti ſeni, quem mendicare verecundia prohibebat, à ciue datus in ſingulos menſes nummus aureus, eo prætextu, vt viſitaret pauperes in xenodochio. Feminæ nobiles corrogatas oſtiatim eleëmoſynas in xenodochium detulerunt: ex quibus præter pecuniæ vim non exiguam, lintea, mappæ & reliqua ſupellex, ſatis abundè curata. Redierunt in gratiam ſeptem diſſidentium paria, & ad Eccleſiæ caſtra duo pedem retulerunt. Poſt Paſchales ferias ſuis, milliaria ferè ſex, ab vrbe diſtantibus Parochus ea lege concionem impetrauit à noſtro, vt alteri è duobus quo iure vti frui non poterat Beneficio renunciaturum ſe, iamque perceptos fructus in dirutæ eccleſiæ inſtaurationem atque ornatum collaturum reciperet. quod vtrumque bona præſtitit fide. Quàm ſint Parthenici Sodales humilitatis & modeſtiæ Chriſtianæ ſtudioſi, vel hoc vnum argumento ſit, quòd cùm inſtaurandus eſſet Sodalium catalogus, & de eo in claſſes pro cuiuſque dignitate diſtribuendo, deque ſedibus in Sodalitio cuique pro cuiuſque nobilitate vel conditione deſignandis ageretur; vel ipſi ſupremæ Curiæ ſenatóres, quos habemus Sodales non paucos, reſponderint alphabetico ordine perſcribenda nomina, & promiſcuè ſedendum in Congregatione ſibi videri, vt oſtentationis ſpecies vitetur omnis; & vel hac vna re conſtet, non ambitionis, ſed humilitatis ſtudio Sodalitio nomen dediſſe. Dominicis ſolemnioribuſque diebus, dum vel Sacrum in ſacello, vel rerum diuinarum colloquium expectant, in tanta Sodalium frequentia & conditione permirum eſt, tam altum ſeruari ſilentium, ne muſſitantes quidem inaudias, ſed vel preces fundentes, vel pium aliquem libellum ſubinde lectitantes, vel certè ad confeſſionem ſeſe comparantes.

Do-

Domus Probationis.

VNVS & viginti ad loca pia pro more peregrinati, tametsi multa quinquaginta leucarum itinere incommoda perpessi; illæsi tamen per media hæreticarum vrbium ludibria conuiciaque non sine victoria penetrarunt. Experti rerum cælestium tirones, quantum sit positum remedii in tentationibus aperiendis; dæmoni eas fraudulenter supprimere conanti fortiter restiterunt. Nonnemo octo ipsos annos hero suo nulla mercede fideliter famulatus, ob leuem errorem, in quem incautus impegerat, quærebatur ad mortem; dum hic non amplius ingrato adeò immemoriq; beneficiorum domino, æterno potiùs omnium remuneratori in Societate IESV inseruiendum esse hoc ipso primùm tempore & cogitat & statuit. Adolescens nobili familia natus, cùm ad concionem audiendam in templo Collegii, qui mos est, cum sociis è nouitiatu proficiscitur; ecce tibi in itineris medio nefarios homines à patre subornatos, qui iuuenem corripiunt, pallio nudatum & galero per vicos vrbis ad ripam fluminis trahũt, nobis quidem quiritantibus, sed furiosos hosce contra lictores adniti non valentibus. vbi ventum ad flumen, celeriter cymbæ antè instructæ imponitur, laceratur tunica tirocinij, veste serica induitur, excitatur plausus vtiq; dæmone applaudente. Crederes, manubiis raptis, patrem ad propria remeare. adductus domum tentatur omnibus modis, apponuntur varii qui Societati grauiter imponãt; &, quod vix ausim dicere, adhibetur vir religiosus (si hoc tamen vtroque nomine dignus) qui suadeat, inuitis parentibus religiosam vitam instituere non licere ei, qui à Deo mandatum

tum acceperit de parentibus honorandis. In iis & id genus concertationibus labuntur quinque menses: per quos ita se morigerum parentibus filius præbuit, vt à nihil sibi ampliùs metuentibus, non difficulter exorarit facultatem ad vicinam Academiam studiorum absoluendorum caussâ proficiscendi. eò itaque profectus consilium patris & suum Religiosis Ordinis Minimorum patefecit: à quibus & recreatur, & diuinæ vltionis terrore, ni se vocantem audiat ad cœpta persequenda, satis alioquin propensus stimulatur. Rebus igitur vtcunque compositis postridie quàm illuc venerat, viam longam difficilemque pedes ingreditur. nec defuit piis conatibus diuina benignitas, quæ eum dies decem comitata nouitiatui, cui ereptus fuerat, restituit, tanto lætiorem ac gloriosiorem, quanto constantiorem. Duobus nouitiis per vrbem ambulantibus decidit trabs prægrandis è tecto domus: quæ cùm cadendo ipsorum capitibus immineret; audiunt quidem inclamantem turbam, Cauete; sed quorsum vox ederetur, non aduertunt itineri solũ intenti. mox ergo trabe alterius galerum brachiumque leuiter peruolãte, ille repentino casu perterritus, signum crucis opponit, & illæsus iter suum prosequitur. præmium vtique modestiæ, salus in periculo. Alter cùm ab ingressu in Societatem animo esset alieno, rideretque eos qui de eo vel cogitarent quidem, nostris Lutetia cedentibus cœpit ipse subitò cogitare Societatem, ratus Dei esse familiam, quæ nulla sua culpa exilium probraq; pateretur: ac paulò pòst peregrè abiit ad locum, in quo voti potest fieri compos, & socius etiam laborum, in quibus nostrorum tolerantiam fuerat demiratus. Occludebat alius aures vocanti se ad nos Domino, iamque annos quinque magna, vt sibi
vide-

videbatur, constantia, vrgentem represserat; cùm tandem Beatæ Virginis Sodalitio aggregatus, eodem excitante, igniculos sensit renouari, ita vt quietus esse non potuerit, donec intellexit durum sibi esse contra stimulum calcitrare.

Collegium Burdegalense.

BVRDEGALÆ non defuit rei Christianæ bene gerendæ occasio, neque verò nostri defuere occasioni. quamquam enim nondum apertæ sunt publicæ scholæ externis auditoribus; attamen non parum multi ad priuatas Theologiæ & Casuum prælectiones audiendas excipiendasq; ventitant. Præterea tantus concursus omnium ordinum vtriusque sexus fit in templum, quantus optari vix possit ab hominibus proximos adiuuandi cupidissimis. Viduam cùm à creditoribus nimiùm vrgeretur, à desperationis veneniq; consilio deterritam vnus è nostris Deo primùm, tum etiam creditoribus reconciliauit, solutionis mora diuturniore. Mulieri coniugatæ honos ab eo restitutus, à quo falsò traducta. Admoniti pro concione sacram Eucharistiam frequentiore pompa ac ornatiore apparatu esse deferendam; opifex tenuis licet fortunæ quinque & viginti aureorum conopæum obtulit. In sex vrbis templis nostri quotdiebus Dominicis per Aduentum & Quadragesimam auditi auidissimè, & concionem aliàs infrequentem, fecere numerosam & attentam. Senatorii viri exclusi præ multitudine templo nostro, suis sibi impensis commodam æquè ac concinnam, quà opere, quà pictura porticum ædificandam curarunt. Illustrissimus Cardinalis Burdegalensis Archiepiscopus ferè semper auditor, interdum etiam domi conuictor. Is non exigua

sui

ſui erga nos amoris oſtendit argumenta. Vt cetera mittam ex hoc vno colligas. Auctor fuit noſtris, vt pro felici Reginæ partu quadraginta horarum orationem (quæ antea numquam, ne ſtante quidem & florente Collegio, licet expetita) inſtituerent. In ea ipſe & Sacra & verba fecit ad populum cupidiſſimè ſi vnquam & numeroſiſſimè confluentem. Ab hæreſi ad rectam fidem vno minùs quadraginta traducti: in quibus viri nobiles duo, duæ item nobiles feminæ cum viro quodam militari, qui quondam in Caluinianis caſtris cicatricibus oppletus, & membris penè omnibus captus, ante eiuratum errorem, non dubitauit Miniſtris in conſiſtorio perfidiam exprobrare. Alter parentibus natus hæreticis, & per ipſos Caluinianos Miniſtros litteris imbutus parum aberat ab atheiſmo. adeò dubiè religionis fluctibus diuerſus agebatur, & anxius diſputauerat ſuperiore proximo anno cum noſtris ſumma pertinacia. nihil profectum rebamur, cùm, ecce tibi, vltro ad nos redit, & ſalutaribus veræ doctrinæ hauſtis documentis, toxicum hæreſeos euomuit, quamquam certus ſeſe parentis cognatorumque Caluinianorum iram odiumque incurſurum. Puella nubilis iam erat à patre viro nobili quem credebat Caluinianum, deſponſata. expectâtur nuptiæ per Miniſtrum celebrandæ; anteuertit ſponſus, & facta ab Archiepiſcopi Vicario poteſtate, per ſacerdotem noſtrum eo conſilio euocatū, clam patre, coram teſtibus ritè priùs confeſſi abiurataque à puella hæreſi matrimonio coniunguntur. Indignè tulit ſe deluſum ſenex è primariis ſuæ ſectæ, éque eorum ordine, quos ipſi vocant ſeniores. Itaque abſente genero, quà lacrymis, quà minis filiam compulit, vt Miniſtrum audiret concionantem. paruit illa nihil doli ſuſpicata, cùm

deinde

deinde non cogitantem assurgere pro concione iubet Minister: cui vt perturbatum muliebrem animum præ rubore, & quasi abalienatum videt, pœnitere illam facti fraudulenter mentitur: sed à viro domum reuocata, vnius è nostris operâ in religione Catholica confirmata est. Socrus porrò anus nobilis, sed hæresi addictissima, quæ nostro aduentāte, cedere domo primùm voluit, illius suauitate humanitateque capta, non tantùm æquo animo passa est nurum in religione Catholica confirmari; sed negotium etiam ipsa vrgere cœpit, pollicita se de rebus religionis sacerdotem nostrum non grauatè audituram, neque recusaturam veritati, cùm primùm affulserit, manus dare. Ceterùm per eos dies quibus noster eò loci diuersatus est, puella à cubiculo, dominæ suæ exemplo ad fidem accessit. & memorabile illud antè accidit, cùm de aqua lustrali pro concione verba facta fuissent eo die, qui dies S. Alexandro primo illius institutori sacer est; domesticus famulus tertiana exæstuans & penè consumptus, aquam sibi à sacerdote nostro benedici postulauit. ea hausta febris depulsa est; & ita postridie apparuit, vt ægrotasse nemini videretur. Quod anus illa nobilis demirata, lustralis aquæ tantillū clàm defert ad ægrotantem quandam feminam secum familiaritate & hæresi coniunctam: quæ de famuli salute certior facta, dari sibi ex ea expetierat. neque erga infidelem sua vi aqua caruit. Post aliquot enim dies præter omnium expectationem conualuit. At cùm nihilominus ingrata mulier in hæresi perseueraret, perseuerarunt morbi reliquiæ, vt & piacularis aquæ virtus, ad Catholicæ fidei gloriam emicaret, & indigna mulier pleno beneficio minimè potiretur. Flammis damnato persuaserat dæmon tam sæuam mor-

tem

tem vti meliore anteuerteret, gladio iugulum petendo: ab hac mente deductus & confessione expiatus. In aliis tantus sæpè nostrorum adhortatione doloris sensus enituit, vt spectatoribus non admirationem dumtaxat, sed lacrymas mouerent. Nobiles viri duo ex contentione honoris in singulare certamen descenderant equitantes: altero letaliter vulnerato, ephippiisque deturbato, miseri casus spectator eques ad vrbem conuolat, diuinitus vnum è nostris ad ambulationẽ exeuntem pro portis vrbis offendit, obtestatur vt animam exhalanti festinus adsit. occurrit anhelus, responso, quod satis esset, accepto, absolutionem elargitur expiranti. Cędem alius adulteri & adulteræ vxoris meditabatur; sed cùm ira simul & conscientia diuersus traheretur, è nostris vnum aliquem consuluit. Dehortatus ille hominem à speciosa vindicta, ita demum placat, vt tantam vtrique iniuriam condonarit; quinetiam coniugem suam ad adulterij ceterorumque vitiorum expiationem confessionemque induxerit. Ex his qui spiritualibus exercitiis exculti sunt, Religiosus imprimis vir, quem ex iis fructum retulit, Fratribus suis communicare studiosissimè conatur. totus est in instauranda disciplina monastica; difficulter id quidem, vtiliter tamen. Peractis exercitiis, Blauiam (sic vrbem vocant) per quadraginta dierum solemne ieiunium tam apposité ad animorum motus tanta orationis vi & spiritus vehementia, tanta denique vtilitate auditorum, & Ecclesiæ ad quam missus bono concionatus est, vt non inanes fuisse commentationum stimulos, liquidò constiterit. Etenim non paucos ab hæresi, plurimos à turpi vita ad honestam reuocauit: iacentem inibi & neglectum religionis cultum excitauit. Ad templum celebre iniuriáne

tempo-

temporum, an opidanorum incuria, vel vtroque, terra & sordibus oppletum purgandum vsque ciues permouit, vt Consules ipsi & alij viri honorati nobilesque matronæ sordes egererent; ipse instaret operi, vrgeret, adlaboraret. Eiusdem templi sacram supellectilem laici occuparant, ea vt restitueretur, partim adhortatione, partim censura in contumaces procurata, non parum iuuit, vt videatur Deus tam copioso fructu ostendere voluisse quantum sit in B.P.N. Ignatij exercitiis ad res bene feliciterq; gerendas momenti. Effectum est etiam nostrorum operâ, vt Religiosi duo Carmelitæ, qui ad scholam Casuum cõscientiæ ventitabant, ad perfectiorem sui instituti obseruationem aspirarent; adeoque impetrata à Superiore suo facultate Romam ad Reformatos seu Excalceatos se contulerunt. Partheniana Sodalitas Ordini Capucinorum quatuor, Societati nostræ septem hoc anno dedit. Suos alumnos ita fouet & instituit, vt maiora in dies præbeant argumenta virtutis. Conuenit inter Sodales vt Expræfectus ad maiorem animi demissionem, ianitoris officium exerceret, quod communi auctoritate præscriptum nemo recusauit: omnium etiam suffragio & consensu statutũ, vt qui dies ante vernum ieiunium ventri ac ingluuiei vulgò dicantur, ii à Sodalibus precibus fundendis, rerum piarum allocutioni auditioníve transigerentur, tum declinandis peccandi occasionibus, tum Deo pia prece placando. Quanta verò Christianæ vitæ integritate flagrent, ostendunt ciliciorum diu noctuq; gestatione, per totam Quadragesimam. multi alij pane & aqua ad cibum potumque contenti; alij demum vel super nudam humum aut asseres dormitando, carceres & xenodochia quotdominicis per vices adeundo, eleemosynisque inopes

iuuando, & vinctos liberando, qui soluti in Collegium Congregationi gratias acturi venire dicerunt, nec nisi confessi & cibo refecti salutari dimittuntur. Vnius in condonanda iniuria & seipso vincendo virtus imprimis enituit. Erat is patronus & morum & verborum grauitate grauis; inter epulas ab amicissimo alioquin & familiarissimo grauiter tum verbis, tum etiam verberibus impetitus, parum abfuit quin ferrum quod fors obtulerat in viscera percussoris adigeret; sed illa statim cogitatio retardauit, non decere hominem grauem, & B. Virginis mitissimæ patronæ clientem, tam esse iræ impotentem & vindictæ. Itaque cùm collegisset sese, destitit; eo tamen animo nunquam vt cum illo in pristinam gratiam redeundum proponeret. Nec poterat deinceps obuium habere, quin nondum extinctus recrudesceret dolor, & ad conuicia veniretur: atque etiam ferè vltra minas. hoc vbi resciuit noster, patronum iniuria affectum aduocat, orat, obtestatur, obsecrat, vt minimè Christianum, nedum fraternum, consilium despuat. Nec pluribus opus. emollitur, acquiescit omnia per Patrem ex æquo & bono componi. interim bono dolo aggressor accersitur: sed veritum atque etiam præ conscientia tardantem nimis, quò gloriosiorem victoriam de se iste referret percussus, vltrò adit ad percussorem, & supplex veniã petit. Alter pudore suffusus, & viri virtutem magnitudinemque animi demiratus, ruere in amplexus, deosculari, accusare sese, & propemodum lacrymari. ambo ergo confessione expiati, & panis cælestis participes simul effecti, amicitiam redintegrarunt. Adolescens quidam nocturnis in choreis cum altero rixatus, traiecto per medium corpus ense, mortifero vulnere percutitur: & iamiam efflaturus animam credebatur;

tur; cùm Patrem Congregationis aduocat, spondet se daturum Congregationi nomen, sibi si vitæ vsura longior à B. Virgine impetraretur. Confitenti Pater aures commodat, & à confessione astãtibus Sodalium nonnullis in Sodalitium eum admittit. Mira res: post paucos dies vitæ plenus & virium, voti reus & velut è naufragio mortis ereptus, ad Congregationem accedens tabellam supplex Virgini salutiferæ appendit. Hoc exemplo vir splendidus, sed minùs vitæ probitate pius, non leuiter commotus, ea vitæ morumque mutatione inter Sodales numerari postulauit, vt sibi Dei beneficium agnoscenti & aliis admirationi sit atque exemplo.

Missio Santonica.

APVD Santonas excurrerunt duo de nostris, quorum alter quotidiana concione per Aduentus Quadragesimæque dies, ciuium animos excolendo; alter verò crebra catechesi puerorum rudiúmve mentes instituendo, ex inculto (quamquam aliàs opimo) at malignis hæreseos Caluinianæ vepribus iam multos annos horrente solo, ingentes Christo lætæ segetis manipulos collegere, quippe permulti ex familiari malè sentientium consuetudine in fide vacillantes confirmati, non pauci rei Christianæ ignoratione, vetito certis diebus carnium esu prohibiti: alij ad sacrũ Christi epulum, quo ante vicesimum annum, nescio qua religione, arcebantur inuitati, & sacro quod penè nesciebatur Chrismate frontem ab Antistite ritè peruncti: nec pueri dumtaxat, aut puellæ, sed & viri grauissimi, in quîs vrbis Præfectus, nobiles matronæ, senes vtriusque sexus, imò, quod mirere, hæreticis orti parentibus; tanta frequentia, vt

ex nimio quidem, ſed pio vtiliq; labore Antiſtes morbum contraxerit. Confeſſionis Sacramentum aut penè reuocatum, aut ita certè inſtitutum, vt & qui nunquam ſolemni ritu fuerant confeſſi, audita perutiliter peccata inueſtigandi ratione, animi ſui labes bene expurgare didicerint: & dedidicerint Curiones ſuos vicenos tricenóſve turmatim audire confitentes. Inſtitutæ Sodalitates duæ, quæ dum nouo prorſus illis locis & inaudito exemplo de noctepœnitentium pro more templa perluſtrant; hæreticorum dolo malo vitrea fragmina, quà tranſituri erant, diſſeminantur. ſed fruſtra: nam Catholici fraudem ſubodorati certatim ſuas quiſque veſtes nudis ambulantium plantis ſubiecerunt, malitiam ſcilicet pietate vincentes. Ex his qui de Caluini caſtris ad Chriſti ſigna palàm eiurata hæreſi, vel iterum redierunt, vel primùm tranſierunt viri duo nobilitate principes, illuſtres matronæ duæ, ſenex ſexagenarius præter alios duodecim numerantur: qui tametſi non vna ratione perſuaſi, à me tamen ſilentur, & vna vnius commemoratione compenſantur. Ingenio vir nobilis nō minùs acri quàm ad captandos promiſcuè riſus, & vultu adiuuante & voce & ipſo genere ſermonis faceti ſſimus, à Patre noſtro ſuper menſam de religione rogatus; multis vltro citroque datis acceptiſque ſermonibus, à Caluino ſe diſceſſurum pollicetur, ſi ei noſter vel Ieſuitarum vel Capucinorum Ordinem in ſacris paginis oſtenderit. oſtenſurum recipit Pater, & perlepidè ſanè præſtitit: imprimis enim rogat, Ieſuitæ homines ne ſint an belluæ; homines nimirū eſſe alter reſpondet. tum Pater: Ergo cùm factos fictoſque ad diuinam effigiem omnes homines diuina teſtentur eloquia, Ieſuitarum hominum Scripturam meminiſſe inficiari non potes, vt

neque

neque eos carpere, si vestem suo sibi consuant arbitratu, quando certa nulla diuina lege præscribitur. An non verò castitatem, paupertatẽ & obedientiam, quorum se illi volentesque & lubentes perpetuo obstringunt voto, sacræ paginæ paginis commendauere frequentibus? ecquid igitur Iesuitæ diuini verbi monumentis prohibeantur? hîc obmutescente homine, victori Patri congaudentes simul arrisêre conuiuæ, victum tacentemque opidò cohortati, quò ex fide data veram sine mora fidem amplecteretur. Nec renuit, mysteria veræ religionis priùs à Patre edoctus, abiecto errore publicè veritatem professus. Perquam sanè mirum est, quo nunc animi ardore saniora dogmata tueatur, ad quæ sorore traducta multis in dies auctor est, vt se deteriora fugientem sequantur. Communi procerum Ecclesiæ auctoritate, referente Patre, sancitũ vt annuo censu prorsus multarentur ii apud quos inquinatæ vitæ mulierculæ deprehenderẽtur. Non dico à 20. supra 100. Ministellis publico in conuenticulo cautum inter cætera, vt ne quis Iesuitarum vnum aliquem audiret disputantem: egregio planè prætextu edicentes ab eo non secùs quàm abs mali cuiusdam genii interprete diligentissimè cauendum esse. Rem lepidam perstringo. Aderat fortè in conuiuio cum quatuor viris Ecclesiasticis Ministellus, cùm tres consultò quartum Iesuitam esse denunciant. Risisses, hærere subitò aquam obstrepero declamatori, pallere audaculum, & obstipo capite (in terrámne, an in paropsidem?) figere lumina impudentẽ, nec respondere lacessitum, qui de principio omnes prouocaturus videbatur. Hic in vrbe labor à Patre tam vtiliter cùm ponitur, illi socius datus, rure quò dimissus fuerat, non otiatur. Is enixè de superiore loco commendauerat, vt quà

Sacrosanctum Christi corpus solemni supplicatione, & die circumferendum esset, viridantibus herbis, arborumque ramis in nouos se flores induentibus, viæ sternerentur, parietes pendulis hinc inde seu peristromatis, seu linteis inuestirentur, erigerentur arulæ, ornarentur templa, accenderentur thuribula, omnia denique festo luculentoque cultu more maiorum eniterent. Vetula, pietate quàm opibus auctior, domunculæ suæ vestibulum florido, quoad potuerat, tapete circumornarat, textoque ornauerat odorifero; cùm ecce Ministrum illac equitaturum aduertit. anteuertit itaque, & prehensum fræno caballum, aliò procul audacter bestiam auertit. Hæc indignabunda, Quis tu? & quò? Itáne verò! hosce ego flosculos tanto studio lectos demessósque tibi tuoque veredo proculcandos exhibuerim? non ita me Deus amet! Nihil te moramur. Porrò i licet cum strigoso tuo calcitrone. Excanduit eques, mala verba doctus iure iniuriáve vlturus iniuriam, nisi ei tum iudices, tum testes cæteraq; præter voluntatem omnia defuissent. Mitto multa, non quia non magna, sed quia singularia non sunt, vt perillustrem hanc Missionem præclaro æquè ac singulari facinore qua potero breuitate concludam. Santonum regione, ac finibus cùm aliæ multæ vrbes celebres opidaque copiosa, hæretica prauitate, maiorem partem, labefactata continentur; Rupella imprimis, & ea quã S. Ioannis Angeriaci titulo vel tutela nominitare vulgò consueuerunt. Itaque audita donatiui Pontificij, seu iubilei, Dominicanæ familiæ summi Pontificis priuilegio concessi, promulgatione, per nostrum, Antistitis iussu, de sacro suggesto pronuntiata; ex his omnibus locis octodecim plus minus leucis ab vrbe remotis, circa ferias Domini resurgentis,

gentis, ad viginti supra centum hominum millia supplicatura conuenerunt. Nec abnuas numero, si intelligas plura 800. huius prouinciæ ambitu Ecclesiastica censeri Beneficia; atque ex Angeriaco ac Rupella errorum Caluinianorum sentinis, vnde vix vnus aut alter expectari potuit, ad 7000. triginta milliaribus pede confectis, confluxisse. Diem dictũ potiùs, & rem diuino planè instinctu susceptã perfectamq; beneficio dicturus, si vidisses agmina circumquaque Christiana in signis elatis salutem quærere, sub vexillis auro argentoque micantibus pietatem exhibere, in ære campano dios Christiano more sensus motusque excitante hilaritatem lætitiamque præbere. Iamque propinquabant, cùm terrentur hæretici, arma capessunt, rident Catholici. Episcopus Canonicis, Patre, vrbis proceribus, duplicique pœnitentium cohorte stipatus, obuiàm procedit, tota ferè vrbe prosequente. Hinc atque hinc lacrymæ, dulcesq; animorum sensus, congratulationes numeroso canticorum cõcentu vtrimque declaratæ: primæuam repræsentari dicas Ecclesiam. Hic puros lustralesque latices festa fronde circumferendo, obuios quosque (qui patrius mos est) aspergebat, ipsosque adeò hæreticos, si qui occurrerent: hanc enim aspersionem reformidantes plurimi diuerticulis sese subducere, & deuias in latebras inuisum infestumque abdere caput. fulgentibus iste funalibus, cereis ille albentibus; alii ramis vernantioribus, pictis floribus coronisque pertextis emicabant. Necdum finis. oculos, quò voles cumque conuerte, primam, postremam, mediamq; aciem perlustrato. sacros, profanos; viros, feminas; pueros, puellas, suis quosque ordinibus distributos, non sine pietatis sensu gradientes, persequere. Excipe diuina resonantes, & ex ministrum nudis

 pedi-

pedibus, aperto capite, reliquumque corpus interula dumtaxat circumtectum, in fronte agminis, pœnitentem, nec obscurum in media luce veræ fidei argumentum ostendentem, cùm laudaueris, imitare. Sed ne præteri octogenarios senes. Vides vt longa & separata serie, non sine lacrymis præ gaudio toto vultu manantibus, incedant. Pulchrum visu, pulchrius illud circumspice. En matronas nobilissimas suis subditis pastore destitutis vexilla præferentes. Hæres admirabundus. Audi Episcopo supplicantes, & suæ suorumque orbitatis deploratione, in qua ipsos triginta fuerunt annos, ab eo Curionem sacerdotém ve efflagitantes. Multa aliis locis Christianæ pietatis edita documenta non dubito; sed huius certè exempli exemplum non alibi quæro, ne frustra quæram. Habent suas Indias Galli, nec opus orientem adire, vel occidentem solem.

Collegium Agennense.

IN Agennensi Collegio domi forísque vtiliter laboratũ. nam præter ea quæ cum cæteris Collegiis, & superioribus annis sunt communia, hoc anno hæretici Ecclesiæ sunt adiuncti vigintitres. in quibus Episcopi Lombariensis nepos, fidei professionem excipiente auunculo, Natiuitatis Domini peruigilio, ad templi fores publicè, hortatu Patris nostri, qui Gimontij concionabatur, hæresim eiurauit. Mulier ad sacrã synaxim quotannis minimùm quater accedere solita, cùm minùs diligenter in confessione culpam octauum iam annum aperiret, percepto Sacramento sentiebat ad quatuor aut quinque dies quoties communicaret in imis faucibus aliquid hærere, quod deglutire non posset. rei caussam suspicata è longinquo

ginquo ad nos loco veniens ritè confeſſa, & ea difficultate liberata magnam derepentè ſenſit animi voluptatem. Primaria mulier, quæ mariti iuſſu, inſtante diuortio, ſuas ſibi res habere iuſſa domum ad ſuos properabat, marito conciliata, & vtroque coniuge in firmiorem amicitiam reducto, malis quæ ex diuortio timebantur occurſum. Alia quæ moribundæ condonare detrectabat iniuriam, ceſſit odio, noſtrorum hortatu, illam vltro adiens, & veniâ datâ in gratiam rediit. Quidam graui febri æſtuque iactatus decumbebat moribundus; expiatis ritè totius vitæ maculis poſt mediam horam ſurgens conualuit, mirantibus qui aderant, & Deo gratias agentibus. Conciones in templo noſtro ſingulis diebus Dominicis ex viſitatione P. Magij inſtitutæ, cùm antea prima Dominica menſis, & feſtis tantùm celebrioribus haberentur. Rhetorum noſtrorum ſeminarium hoc primùm anno excitatum. Annuam Reuerendiſſimi Epiſcopi liberalitate præmiorum diſtributionem reddidit illuſtriorem Pentapolis flagrans tragœdia, nouo ac eleganti ſcenæ apparatu data. Nouum oratorium æquè amplum ac elegans collecto à Sodalibus ære non pauco, ſed præcipuis Collegij ſumptibus, primariæ Congregationi, & ſcholaſticis declamationibus & exercitationibus exædificatum. eò indies non diſcipulis tantùm noſtris, viris etiam honoratis confluentibus, ſplendidior, frequentior & feruentior Sacramentorum vſus. incenſum magis ac magis pœnitentiæ & pietatis ſtudium diuinarum rerum meditatione, ieiunio crebro, frequenti corporis diuerberatione. Sodali febre æſtuanti, ac præcipuam mentem ac ſpem in Domina ſua defigenti, viſa illa in ſomnis valetudinem priſtinam polliceri, cui ſtatim poſtea reſtitutus. Mulier cùm

fermè paralytica animo quoque præ doloris acerbitate solueretur, Sodalis admonitionibus ad Sacramenta confugiens solatium & valetudinem hausit. Missiones fuerunt ex hoc Collegio toto anno frequentes. Gimontij & Plumæ (vrbes sunt in Vasconia) duo per Aduentum & Quadragesimam concionati, habitis ad populum concionibus, de Casibus conscientiæ lectionibus ad clerum, explicando catechismo & confessionibus audiendis plurimùm promouerunt. Solemnes post Cômpletorium diuerberationes, sextis Quadragesimæ feriis festisque diebus apud Pœnitentes quos Cęruleos appellitant, Gimontij primùm inductæ. Imitati pietatis exemplum decennes etiam pueri, statis Quadragesimæ diebus, ex condicto templa lustrantes, ibi vberibus in se piè & crudeliter sęuiebant. Recitandarum & gestandarum coronarum vsus persuasus. Plumæ nobilis mulier septimum iam annum ab ingressu templi abstinebat, quòd esset ei sedes in templi choro negata. nostro suadente mirantibus & gaudentibus omnibus rediit, & nostrum concionantem audiuit. Excursum est Dominicis diebus ad vrbem insigniter hæreticam Pimirolium, & restitutus vsus Christianæ religionis, annos vigintiduos bellorum iniuriâ, dominantibus hæreticis, intermissus: templum dirutum soloque æquatum cœptum exædificari: supplicatio, in qua Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum primo quoque Veneris die mensis Martij circumferebatur, non sine Indulgentiis summorum Pontificum liberalitate concessis, redintegrata: sacræ communionis vsus reuocatus, & omnium cęremoniarum Ecclesiæ splendor restitutus. Monflanquinum exclusis Catholicis hæretici vicesimumseptimum annum iam occupabant. eò missus ex nostris vnus

vrbis

vrbis ingressu cùm arceretur, passionis Dominicæ mysterium, die Parasceues sub dio extra pomœrium explicuit, maximo tum Catholicorum, qui ex proximis pagis accurrerant, tum hæreticorum concursu; eo fructu vt ex iis quos diximus Ecclesiæ restitutos quinque ab hæresi reuocarit, Catholicos in fide confirmarit. Nec minus vtiliter Pentecostes diebus ibidem operæpretium fecit, templo, quod hæretici sepultura profanum fecerant, auctoritate Episcopi expiato. In lustranda cum Episcopo diœcesi à duobus Patribus, quos amantissimus nostræ Societatis Antistes laborum socios habere voluit, duos ferè menses strenuè laboratum, sacerdotibus vitæ solutioris & Ecclesiasticis censuris illigatis, partim adiutis, partim officio motis; aliis detractæ pellices, alij à confidentiæ scelere reuocati, Beneficia laicis ereptá, vti dignis conferrentur, effectum. Monflanquini vti Catholicis liber in vrbem aditus pateret, nostrorum potissimùm operâ factum. Cùm enim inter Commissarios ex edicto regio partim Catholicos, partim hæreticos conuenire nō posset; vnius è nostris vltro citroque venientis studio atque humanitate sublatæ difficultates, & communi omnium gaudio exceptus Episcopus, sacris ædibus & cœmeteriis, quæ occuparant hæretici, Catholicis restitutis. Ibi maximo vicinæ nobilitatis & opidanorum cōcursu expurgato templo, & altari tumultuario erecto, facta Sacra, habitæ audientibus etiam hæreticis, addo probantibus, conciones solemnes tota primùm vrbe, tum etiam foris per dies sacros Litaniis Ecclesiasticis institutis. Mirum etiam illud fuit, viros ac feminas nobilitate diuitiisque florentes cum decrepitis penè senibus tanto pietatis sensu ad sacri Chrismatis vnctionem accedere, vt spretis hæreticorum

ticorum ludibriis ac cachinnis, fasciolas frontibus dies multos circumferre non dubitarint. Quę omnia hæreticos ipsos sic permouerunt, vt ab eo tempore non tantùm libenter nos videant, sed nostra etiam præ aliorum concionatorum consuetudine delectentur, Catholicisque auctores sint, vti nos semper euocēt atque accersant. quod quanti sit iudicabunt, qui quam nos ament hæretici non ignorant. Neque verò prætereundum illud videtur: in Turnonium opidum, nō tantùm post multos annos exturbatis Catholicis regressum datum; sed in ipso etiam Sacrā Eucharistiam tanto cultu ac pompa ab vno è nostris publica in supplicatione circumlatam, vt ipsi etiam hæretici ædium suarum vestibula, quò foret transeundum, herbis & floribus sternenda ornandaque curauerint.

Collegium Ruthenense.

QVO die P. Edmundus Rotardus ad cælum triumphaturus emigrauit, eo ipso vnus in tirocinium locum eius, vti speramus, occupaturus, immigrauit. reliqui officiis Societatis præstandis, domi & foris diligenter institerunt. Curio quidam cum suo & suorū fructu non exiguo piis commentationibus excultus. Parthenianorum vtriusque Sodalitij cùm ciuium, tum discipulorum partes non sunt desideratæ in officiis Christianæ vel charitatis vel humilitatis. Seueraci Catholicis adiuncti nouem, cum tanto sensu diuinæ consolationis, vt manantibus præ lætitia lacrymis, post exceptam pronis auribus Patris exhortationem, dicerent se nunquam tali dulcedine delibutos, aut pari ardore diuini obsequij incensos. ex his puella vtroque parente orba-

ta, vix ingressa pubertatem à patruo & amita hæreticis, seuerè accepta, & flagris semel & iterum cæsa, ne rei sacræ interesset, fideique Catholicæ professionem ederet, forti atque inuicto supra ætatem animo cuncta pertulit, & impiorum acerbitatem pia constantia vicit; ingenuè profitens sibi vitam citiùs, quàm votum illud posse extorqueri. Idem Pater ipso die Resurgentis Christi Milliani (opidi nomen) quò primùm sacrorum mysteriorum vsus postliminiò rediit, vnde ab ipso propè Caluinistarum exordio exulauerat; è suggestu verba fecit ad populum, confessiones excepit fructu nequaquam pœnitendo, publico interim abstinente non sine suorum fremitu Ministello. Auxit publicam lætitiam quidam mercator, qui cum coniuge propalam cessit hæreticorum foro, vt in Ecclesia pretiosum illud margaritum lucrifaceret. Alter sacerdos in domum nobilis cuiusdam accitus funeri exequiarum concione de more funebri cohonestando, sic exhibuit officium mortuæ, vt & viuæ prodesset: nam mulier altera in hæresi nata nasci Christo per eum cœpit.

Collegium Auscitanum.

VIR nobilis Regique cum primis gratiosissimus, cùm nostros antea auersaretur, nec bene de Societate sentiret; vnius è nostris allocutione crebra officiisque in ægrotantem coniugē Christianis, ita nobis conciliatus, vt quamdiu in vrbe fuit, nostros non rarò mensæ adhibuerit, & Collegium frequenter visitarit. Ecclesiæ desertores aliquot ad eius castra reuocati. A deliberata desperatione ad meliorem spem reductus sacerdos, qui sortilegiorum ac diuinationū nescio quarum

postulatus atriore carcere attinebatur, cumque iustum supplicium metueret, mortem sibi ipse consciscere statuit. Itaque nocte intempesta cultello quem fortè habebat, septem se vulneribus sauciat grauissimè: sub diluculum cùm solito more inuisitur, moribundus reperitur. Aduocantur properè nostri, offendunt hominem cruentatum, semianimem, ac propemodum expirantem; retenta tamen medica ope, & sacerdotis nostri conatu anima, crimine expiatur. dein confirmatus æger bono animo esse iubetur, simul & grauitate facinoris proposita, à nefariis artibus in posterum absterretur. Cùm repentino incendio sub meridiem noctis domus primarij cuiusdam ciuis conflagraret, opem nostram exposcenti cerea cælestis agni imagine in flammas coniecta, ceu infuso flumine flammæ pedetentim extinctæ. Duo concionatores non mediocriter Christianam pietatem foris promouerunt. Mulier nobilis, quæ prohibente marito, sacris mysteriis inuita arcebatur, adiuta. Altera hæreticorum erroribus deprauata implacabiles cũ altera inimicitias exercebat, hæc Ecclesiæ & inimicæ reconciliata. Cœnobium sacrarum virginum audiendis confessionibus, piis colloquiis, & B.P.N. Ignatij commentationibus excultum, & ad pietatis religiosæque obseruantiam disciplinę inflammatum. Lustratus non sine fructu Reuerendissimi Archiepiscopi diœceseos tractus, omnium incultissimus, & sagati sacerdotes vestem, quam par erat induti.

Collegium Petrocorense.

PETROCORÆ ad D. Frontonis Petrocorensium patroni ædem, vno è nostris per Aduentum & Quadragesimam; altero in templo Collegij concionante,

cionante, fructus relatus est non exiguus. Hæretici tres Ecclesiæ restituti, Catholicorum sublato fœnore, detractis pellicibus, restinctis odiis, in melius emendati mores. Apud Sarlatenses à nostro concionatore bene opera collocata. multæ pecuniæ malè partæ veris dominis restitutæ; confessiones generales ad 600. exceptæ; turpium poëtarum prælectiones è scholis, volente & consentiente gymnasiarcha, explosæ; ciues non pauci à vulneribus & cædibus inimicitiisque ad pacem concordiamque reuocati. in his dissidens cum patre filius, vterque nobilis, post longas lites & odia grauia redierunt in gratiam. Quidam sublato fratre sine Deo, quem tanti sceleris vltorem metuebat, annos ferè quadraginta viuens, ad saniorem mentem & pietatem reuocatus, sceleribus confessione expiatis. Sodalitium in honorem Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti 50. ferè annis sine Episcoporum auctoritate summa dissolutione celebrabatur. Præfectum Sodalitij, Regis insignitum nomine, è ciuibus præcipui, imò & ipsi sacerdotes & Canonici stipabant, satellitum alij pedissequorũ, & morionum alij personam sustinebant. tota dies festo Corporis Christi sacra non sacro quidem cælestique conuiuio, sed symposiis, choreis, compotationibus, rixis, & concertationibus traducebatur. Sublata hæc omnia, & Sodalitium magno omnium consensu salubrioribus legibus instauratum. Vicinum castrum lemurum terrore famosum, nostro sacerdote in proximo sacello Sacris operante, ab huiusmodi laruis liberatum. Mulier quæ se deuouerat dæmoni, dum derepentè circa se ardens spectat incendium, per confessionem omni se metu & culpa liberauit. Secũdus ex hoc Collegio concionator Broagium (præsidium est Catholicorum non procul Rupel-

la

la munitiſſimum & portuoſum Oceano nauigantibus) miſſus præter rudes in fide excultos, 50. generali confeſſione purgatos, nutanteſque in fide firmatos frementibus licet Miniſtris, duodecim ad Eccleſiam Romanam aggregauit.

Collegium Biterrenſe.

VIGVERVNT etiam hoc anno Collegij Biterrenſis domi foriſque primordia in Societatis muneribus obeundis. Ac primùm ſcholarum noſtrarum fructum per hæreticas etiam vrbes, quæ multæ circumiacent; ſic fama vulgauit, vt à quo antè abhorrebant, ſuos ipſi liberos noſtræ curæ diſciplinæque litterariæ committendos hæretici ſponte deducant: nec ab eo conſilio Miniſtrorum minis deterreri potuerũt. Sacri Comes ſtabuli poſt regiarum nuptiarum ſolemnia, filij ſui Proregis prouinciam, ſiue negotiorum tractandorum, ſiue ſanitatis confirmandæ cauſſa obeundo, ſolemni Muſarum noſtrarum pompa exceptus ſemel iterumque, atcuato & concamerato triumphi opere, pictura, emblemate, elogio, dialogo, omni demum genere ſcriptionis. rem hanc quanti fecerit tum ex illius verbis colligere eſt, qui magna & nobili frequentia nullum eo vitæ diem aut pulchriorem aut lætiorem habuiſſe palàm profeſſus. Idem inclinatis iam ſcholarum temporibus cùm priſco Romani fori ritu, in ſenatu apud prætorem & coram populo C. I. Cæſar ora iudicũ reus ac ſordidatus aſpiceret, ſpectator dexter adfuit: motus eſt tantæ rei obtutu ſpectaculoque; imò miratus in Cæſare duce ad togatas iudicũ turbas pallere fortunã belli. Aſſedit item prætextatis, qui tirocinio depoſito virili toga induti. In huius fauentiam actionis publica vrbis liberalitate datum

Muſis

Musis theatrum, in quo earum celeberrima quæque deinceps exhibenda. gaudebat nimirum ciuitas sui nominis ambitiosa Romanam amplitudinem suis non ita magnis pomœriis conclusam videri. Locus erat volubili pilæ destinatus; cæterùm nostris ædibus opportunus: hunc, eadem ciuitatis munificentia adnitente, Domini Comitis sacri stabuli, suasúne an tacito iussu? sumus consecuti, pretio nongentorum omnino aureorum. Itaque profanum apud nos, quis crederet? fanum factum est, & seriis ludicra, precibus iurgia, imò vana, ne dicam impia, commutata diuinis: vt non abs re sacri stabuli Comes dixisse videri possit, cùm in frequenti procerum consessu gratulabundus significauit fore, vt quo antè loco palæstrico puluere sordidi sæpè iurgando, iurando & verba malè nominando multiplici peccatorum labe maculabantur; in eodem orando, confitendo, riteque communicando mundarentur in posterum. Tumultuarium igitur excitatum templum, rituque veteri D. Ludouico Collegij patrono apposito etiamnum ad id dramate sacrum dicatumque ipso Deiparæ Visitantis die. tota ad loci venerationem effusa ciuitas. Religiosa pompa ex sacello pristino circumducta Eucharistia, factum Sacrum non sine sacro concentu symphoniacorum, habitaque concione quisque recessit gratulabundus. At enim de nouo loco omen quoq; futuræ beatitatis desideres. En cùm nostri eodem dedicationis die secùs templum laxarent, vt fit, animum; cùm videre cælum, ridere solem, gestire terram læti conspicerent, mox vnus spectato ad aluearia idoneo horti angulo, Quàm bene, inquit, ad statum dicati fani cereorum vsum sederent hìc apiculæ! vix hæc erat affatus, ecce medio & liquido aëre glomeratam & stipatam cernunt

apum nubem, quæ agmine facto, relictis, vt assolent, antiquis sedibus nouas deducebant colonias ex arce summi templi SS. Nazarij & Celsi. nostri extemplò lætari, omen arripere, arrepto primùm obuio quoque tinnitu & tintinnabula ciere; nulla mora, subsidit examen, & adaptato tumultuariè apiario, eo conditur loco, quem antea vnus ille cæteris annuentibus sermocinando destinabat. fallor haud dubiè, nisi quid felicitatis extulerint hæ melissæ Musarum filiæ, quæ iam hîc Christo mellificant, Musísque Christianis. Instituta B. Mariæ Sodalitas. Sodales primo quo conuenerant die, diuina nescio qua dulcedine delibuti. Scholæ diuersarum familiarum Religiosis frequentatæ, imò sacerdotes plerique doctrinæ cultúsq; rudes, apud infimas classes ponere tirocinium non verecundantur. Vicus est sexto ab vrbe lapide (Boianum vocant) hæreticorum impietati ex promulgato edicto, addictus. hic assiduis, die quoque Dominico vnius è nostris excultus concionibus, Catholicæ religioni felici pertinacia ita incubuit, vt ne vnum quidem oblatrantibus licet quotidiano conuicio Ministris, aut de veteri fide leuiter emotum, aut tantillum Caluiniana peste labefactatum, hactenus impiæ factioni mancipatit. Caluinianis erroribus quà priuatim, quà publicè eiuratis, tres imprimis veritatem professi; quorum ille cùm octo & quadraginta annos in hæresi vixisset, in xenodochio repertus, à sacerdote nostro doctrinæ Christianæ præceptis per aliquot vices imbuitur, fidē profitetur, peccatorum sordes confessione eluit, & demum angelico Eucharistiæ cibo refectus, sacroque vnctionis oleo munitus, vitam cum morte commutauit. Iste verò annos natus quinque supra triginta, vesanos sub Beza spiritus Geneuæ hauserat. Iisque communi-

municandis Casseronem in præfecturam bipartitæ curtæ non procul Tolosa doctor missus, humaniores primùm litteras in Collegio hæreticorum professus breui Prædicantis ministerium erat obiturus; cùm alia de caussa Biterras veniens nostros adit, apud quos quam non putabat, imò nec quærebat, veritatem inuenit amplexusq; est. Tertius autẽ familia Caluino addictissima oriundus nostrorum consuetudine, qua vel inuitus delectabatur in religionem inductus, cùm solo vel pudore, vel fratrum cognatorumque terrore in errore perduraret; Parisios profectus hæresim publicè eiurauit, acceptum nostris secundùm Deum referens veritatis lumen. Hoc factum fratres errorum tenacissimi, imò & inter reliquos propugnatores acerrimi, vt iniquo animo ferentes sunt detestati, ita Catholici magna lætitiæ congratulationisque significatione demirati, eoque quò minùs sperarant, magis.

Missio Agathensis.

QVÆ communia sunt prætereo. Iuuentus vir honestus & grauis, qui à ferociori armorum emissario asperè & acerbè iactatus, vltrices spirans iras, Christiana ratione & oratione mollitus, iactata contumeliosè verba, inflicta grauiter verbera, cæteraque insignis iniuriæ incommoda, sceleris auctori pro Christo libentissimè condonarit. Tentatus quidam hæreticus nostri sacerdotis interuentu hærebat primùm pendulus, & animo malè pertinaci vocanti se tacitè Deo obluctabatur. Ecce tibi in ancipiti illo mentis æstu repentinum excipit vulnus, corpori quidem vt videbatur lethale, sed saluti expeditum. Nam qui dubius antea tuta omnia extimescebat, illicò, vt Deo Ec-

clesiæ que reconciliaretur, etiam atque etiam enixissimè institit, & paucis pòst diebus sanato animo ab immiti etiam corporis vulnere conualuit. Acciuit rumor plures, eósque nobiles Agathæ sacra hebdomada, vti apud nostrum conceptas peccatorum maculas lustrali Sacramento eluerent, & expositâ illius operâ ad sacram synaxim vterentur. Municeps erat sibi cęteroqui attentus, sed, qui quoniam rei familiaris angustiis premeretur, nec nubili filiæ dotem conficere posset, illius pudicitiam in discrimen vocabat. is præsenti nostri sacerdotis ope conceptum animo scelus penitus excussit. Sacerdotem nostrum abeuntem effusis studiis vniuersi certatim prosecuti, & obsequium tum ciuitatis publicum, tum cuiusque priuatum nostræ Societati amantissimè polliciti.

Collegium Lemouicense.

COLLEGII Lemouicensis opera impigrè hoc anno, nec inutiliter collocata fuit. Mulier quæ præ animi desperatione triplici in suũ pectus vulnere desæuierat, atque etiam ex præalta domus fenestra sese dederat pręcipitem; cùm inuita mortem euasisset medicorum operâ, tertiò eam veneni haustu quæsiuit, & fœtum in vtero quibus potuit cumque artibus enecare conata, præsentissimum tandem quietioris tutiorísque vitæ remedium apud sacerdotem nostrum inuenit: nam ritè ei totius anteactæ vitæ crimina confessa ab eodem est admonita, vt quoniam sibi malè mori non liceret, bene viueret. Altera, cùm non solùm adulterio torum violasset, sed maritum etiam per adulterum iniuriosè crudeliterque tractasset; tandem nostris auctoribus vitam in melius moresque penitus commutauit. Maioribus sacris ini-

tiatus quidam cùm ex curiosa per hæreticas vrbes circumcursatione impuros mulieris amores reportasset, neque sibi eam, quod optabat, matrimonio iungi posse certò sciret; dæmoni & carni sub Caluini signo, Christo relicto, militare statuerat, nisi eum à tam nefario consilio deterritum noster in fide confirmasset. Alter qui sacerdotio abiecto totos triginta annos in pueris erudiendis insumpserat, Catholicus ex Caluinista factus. Inter quinque qui nostro in templo hæresim abiurarunt, mulier non minùs indole & ingenio quàm genere nobilis: quæ terna cum nostris allocutione præceptionibus fidei scripto traditis, ad quas Caluinianus Minister non habuit quod responderet; ex hoc quod sequitur memorabili facto ad Christianam religionem adducta. Didicerat ex nostro sacerdote Sanctorum omnium, ac præsertim B. Virginis preces valere plurimùm ad morbos doloresque pellendos. Illa grauissimo ac periculosissimo morbo correpta voluit etiam ante emissam fidei professionem auditorum fidem in seipsa periclitari. quare Dei Matrem inuocat, ab ea morbi leuamen efflagitat. Nec frustra. illicò enim se dolore omni liberatam sentit, quod maximum ei fuit accelerandæ conuersionis incitamentum. Tantæ nunc porrò constantiæ est, vt fidei retinendæ etiam amplissimę hereditatis spem se abiicere palàm profiteatur. Ex his qui spiritualibus exercitiis instructi, fuit adolescens nobilibus illis quidem, sed hęreticis parentibus natus; à nostris hæresim quam antè armis defenderat dedoctus, Catholicam fidem professus, ac domo eiectus, & non semel ad necem à parente quæsitus, tantum abfuit vt à vera fide retraheretur, vt nuncio & parentibus & mundo remisso, in Franciscanorum, quos Recollectos vocant, familiam

adoptari expetierit, & habitare abiectus magis in domo Domini quam in tabernaculis peccatorũ. Exeunte Septembri datum drama de prima Lemouicensium ad Christi fidem accessione facta per S. Martialem à B. Petro Apostolorum Principe in has partes missum: & ad extremum victrici in agone litterario iuuentuti decretę coronæ eximia munificentia V. C. eiusdem S. Martialis apud Lemouicas Abbatis. Regio supplicum libellorum magistro se nostræ gratas præbuere Musę, vt è longè dissita prouincia nepotes in hoc Collegio erudiendos ad nos miserit. Memorabile autem est duorum fratrum facinus, qui nostris in scholis per aliquod tempus instructi à patre (hæreticorum, qui hîc sunt, facilè principe) reuocantur, & ad declamantem Ministrum audiendum nolentes pertrahuntur. Quid agerent virium inopes? malam fraudem scilicet bono dolo deludunt; ne blaterantem audiant vulpem, aures gossipio ceraque obturant. Audiuerat mercator quidam pius nostrum concionatorem pro concione Caluinianos erroris coarguentem. hæreticum is mereatorem exinde offendit, nefariam doctrinam exprobrat. pernegare alter vspiam in Caluini voluminibus talia legi; alter affirmare contrà, ratus, id quod erat, concionatorem nostrum vera locutum. Quid plura? deposita ab vtroque quinquaginta aureorum summa ad nos ab vtroquę multis comitantibus accurritur. Concepta Caluini verba ostenduntur à nostro qui aderant omnibus. clamare hæreticus, vociferari, subterfugia quærere, pecunias repetere, ad Prætorem prouocare. Quid tandem? acta vtrimque & perorata à patronis coram iudice caussa, secundùm Catholicum lis data, & pecunia piis vsibus addicta. Cæterùm in adolescente diuina bonitas simul ac iustitia

ſtitia enituit. Is cùm ad ferias Paſchatis tum primùm cæleſtis epuli conuiua accumbere ſtatuiſſet, importunis domeſticorum auocamentis nimiùm facilè à ſentētia ſe abduci, non impunè tamen paſſus eſt: vix enim ſacelli noſtri odeum audiendo Sacro cōſcenderat, cùm in confertam hominū ſubtus orantium turbam maxima omnium formidine æquè ac terrore, nec minore periculo viſus eſt indidem prolabi. Mirum fuit. ex tanto caſu periculum omne in lingua reſedit, quam ipſe dum Sanctiſſimum IESV nomen inter cadendum proferret, ſuis interceptam dentibus transfixit. Edoctus periculo puer Deum vltorem agnoſcit, & neglectum antea ſalutare conſilium amplectitur perficitque. In reliquiis S. Gaucherij Canonicorū Regularium primi olim fundatoris in Prioratu Aurelienſi Collegio addicto diuina virtus erga vnum è Fratribus noſtris manifeſtè eluxit. Is cùm importuna pulmonum agitatione ac tuſſi violenta ad faucifragium vſque laboraret, eodemque tempore caſu in cubiculo P. Rectoris huius Sancti reliquiæ ex arca eductæ viſitarentur; adfuit & æger ipſe cum aliis nonnullis, & roſario ad ſacra oſſa admoto ſequenti nocte in morbi remedium fidei plenus collo illud appendit. Mirum dictu. eadem ipſa nocte ſomnus, qui iamdiu nullus erat, tam altè ſuffuſus, vt cum eo perfectam ſanitatem inuenerit, quam varia antea adhibita medicamenta non reddiderant. Mulier nobilis, quæ vanis dęmonis præſtigiis deluſa artem membrorum luxatorum compages omnes adaptandi reſtituendique non profitebatur modò, verùm etiam exercebat, à tam pernicioſo ac periculoſo curandi munere admonita, deſtitit.

PROVINCIA LVGDVNENSIS.

SVMVS in hac prouincia abeunte anno 1601. Socij 288. in sex Collegia, duas Residentias, & Domum Probationis distributi. In Collegio Auenionensi septuaginta nouem, sacerdotes quadraginta, ex quibus duo Theologiæ Scholasticæ magistri, Casuum conscientiæ vnus, Philosophiæ & Mathematicarum quatuor, Theologiæ auditores septem; è non sacerdotibus quinque humaniores litteras profitentur, vndecim Theologiæ dant operam, Philosophiæ sex, ceteri Coadiutores. In Collegio Turnonensi versantur trigintanouem, sacerdotes viginti, ex quibus vnus Theologiam, tres Philosophiam profitentur; ex ceteris, quinque sunt humaniorum litterarum professores, tres Rhetoricæ auditores, ceteri Coadiutores. In Residentia Albenacensi, quę ab hoc Collegio pendet, tres, duo scilicet sacerdotes, Coadiutor vnus. In Collegio Camberiensi vigintiquatuor, sacerdotes decem, ex ceteris magistri quinque, Coadiutores reliqui. In Residentia Tonnonensi, quæ ab hoc Collegio pendet, septem; ex quibus sacerdotes quatuor, professores Grammaticæ duo, Coadiutor vnus. In Collegio Dolano sunt quadragintaocto, sacerdotes vigintiquatuor, ex quibus vnus docet Casus conscientiæ, vnus Scripturam sacram, duo Philosophiam, auditores Casuum & Scripturæ duo; ex ceteris vnus docet Metaphysicam, sex litteras humaniores, septem audiunt Casus conscientiæ, reliqui Coadiutores. In Collegio Aniciensi sunt triginta, sacerdotes

quinde-

quindecim, ex quibus vnus professor est Casuum, alter Logicæ; ex ceteris magistri humaniorum litterarum sex, reliqui Coadiutores. In Collegio Bisuntino sunt vigintiquinque, sacerdotes tredecim, ex quibus vnus docet Casus conscientiæ, alius Philosophiam; ex ceteris magistri humaniorum litterarum quinque, Coadiutores reliqui. In Domo Probationis Auenionẽsi sunt trigintatres, sacerdotes sex, è quibus tres peragunt tertium annum probationis; ex ceteris Coadiutores veterani quinque, reliqui sunt nouitij. Admissi in Societatem vndecim. Defuncti Dolæ duo, Camberij vnus.

Collegium Auenionense.

MAIVS omnino quàm pro laborantium numero laboris pretium nostris hoc anno constitit. Septuageni & quini Auenionense Collegium habuere: quorum alij foris, alij domi solemnia Societatis munia fructu planè non minimo procurarunt. sed à domesticis ordiendum. Non facilè aliàs maior in nostris animorum ardor, maius erga B. P. N. Ignatium pietatis studium notatum fuit, quàm anniuersaria eius memoria. Multa conuenerant quibus præter solitum animi inflammarentur. Nam primùm inciderat in eos dies Patrum aliquot in Orientales Indias cum Procuratore proficiscentium aduentus: vt Galliis nostra memoria insolitus, ita Romanarum Indicarumque rerum commemoratione perutilis. Accessit eò, quòd nostris pro consueta Societatis modestia conceptum feruorem parietibus continendum ratis, pręter omnium opinionem vir amantissimus, & beneficentiæ erga nos non vulgaris, Vicarius Archiepiscopi, penes quem absente Archiepiscopo res Ecclesiastica tunc

erat, duabus imaginibus faberrimè depictis, Beati altera Ignatij, altera Xauerij publicè in æde nostra propositis, ardorem domesticum cum externis communicauit. Eius facti occasio, quia & illustris est ad exemplum, & ad B.P.N. honorem accommodata, altiùs mihi est repetenda. Anno superiore ad diem Septembris sextum, repentina occupatus febri Auenionensis Vicarius, & septenis aliquot diebus dubio iactatus malo, postquam decretorium excessit, tanta febrium aliarumque ægritudinum vi conflictari cœpit, vt de salute eius desperatum, qui ægrotanti aderant medici non dubiè pronunciarent. Ille nihilo seciùs cælestem medicum respicere, & B. Virginem, cui iam inde à iunioribus annis votiuas orationes ad precatoriam globulorum coronam quotidie dependere consuerat, geminato dum decumbit precum numero, pro sua salute interpellare. Nec abfuit precibus euentus. Vigilanti quadam die, & solitam precem percurrenti obiicitur ex improuiso B. Virginis species minaci & iracundo vultu oblatam precationem indignabunda reiiciens, & salutaria somnia toties à se olim obiecta, & neglectui habita magno verborũ pondere exprobrans, negansque ius esse, vt aliquo apud se loco eius salus esset, qui sua hactenus monita nullo numero habuisset. & cum dicto lacrymantis oculis derepentè eripitur. Homo vt est diuinorũ bene sciens, tum nostris, tum aliorũ orationibus iratum Numen placare, & repetita ab exordio vitæ confessione animæ noxas eluere instituit: sed obstitit increbrescens vis morbi, ne instituta confessio eo quo cœpta erat die perficeretur. ergo diffisa die dimissus à nostro, qui confitentem audiebat, simul vt sibi est relictus, redeuntem ad se B. Virginem conspicit, haud paulò diuersa specie quam

pridem

pridem obiecta fuerat. Tegebat illa filio latus, & ad eius pedes B. P. N. Ignatius iacebat obuolutus. Vnus erat trium sermo de ægrotantis salute, Patre mortem deprecante, & Christo caueri sibi de vitæ eius emendatione, si ampliaretur, postulante. Finis fuit B. Virginis interlocutio: quæ ex illo sciscitata, ecquidnam habiturus esset animi, si vita condonaretur? cùm ille respondisset, sibi curæ fore ne frustra esset condonata; satis cautum affirmans agere cum filio orsa est, vt ratam firmamque esse vellet condonationem. Dixit illa. & ecce cruentas sacratissimi corporis plagas sub vnum aspectum ægro Christus subiicere, haustumque è latere sanguinẽ toto iacentis corpore allinere visus. Hora erat cùm relictus à nostro fuerat post meridiẽ quarta; & quinta vix appetente, tentata à medicis vena tam vacuus morbo repertus, vt ex tanto æstu & iactatione nihil planè reliquum esset commotionis. Rem totam ipse tum crebrò nostris enarrauit, tum proximè suapte conscriptam manu Rectori Collegij dedit: salutem B. P. N. Ignatio acceptam refert, quem genibus supplicabundum, quamdiu res agebatur, incumbere, & re peracta matri filioque immensas pro reddita decumbenti salute gratias habere, visum profitetur. Ac licet permulta ipse collegerit argumenta, quibus rem totam diuinitus euenisse persuasissimũ habet; nobis tamen nullum videtur certius, quàm quòd ab eo die compositissimè vitam instituerit, & magnã in eis rebus, quæ antea haud procliues fuerant, felicitatem sit expertus. Nulla ei postea dies abiit, qua non statam precem B P. N. persoluerit; sed anniuersaria eius memoria multò maximam se ab eo initurum gratiam credidit, si quàm plurimos posset eo die ad pietatem permoueret. Itaque vt suo morem

gereret animo, ſacris ſolemniter operatus, imagines quas dixi binas in magna populi frequentia ædi noſtræ de ſuperiore loco appendit. ea res, vt erat inſolens & inſigniter pia, ita hominum permouit animos, vt non multò minor communicantium in æde noſtra, ea die licet profeſta, numerus fuerit, quàm feſtiuo anni die eſſe conſueuit. E domo noſtra ad aliam Religioſorum familiam idem pietatis ſenſus eadem ſe die conuertit. Ceſſerat vita haud multò antea Religioſæ familiæ Præpoſitus quidam, & mortem illius conſecuta fuerat mira illius domus, cui viuens præfuerat, conturbatio. non diu, non noctu monachis dabatur quies: die lapidari in templo, in clauſtro, in triclinio; noctu concuti forium ſeras, diſiici lectos, vaſa domeſtica diſſipari, aperiri quinimò ſacrorum ornamentorum thecas, cunctaque ad rem diuinam quàm ſcitiſſimè collocari. Nec iam tolerabilis erat turbatio, cùm monachus ex illis vnus (adeunt autem ſcholas noſtras frequentiſſimi) conſulendi gratia noſtro rem aperit. noſter vbi quæ viſa erant conſuluerat, icunculam B. P. noſtri monacho tradit. affixit ille ad cubiculi parietem. mirum dictu; omnis illico ſtrepitus cubiculo ceſſit. Itaque certatim in illud ſe cubiculum omnes quieſcendi cauſſa coniicere, tum ſalutarem imaginem per omnia circum cubicula deferre, donec domeſticus ille tumultus penitus conquieuit. Neque verò his ſe terminis feſtiuitas illius diei tenuit, ad ipſas vrbis cuſtodias penetrauit. Adoleſcens quidam noſtrorum familiaris aliquot ante menſes criminis inſimulatus, & cuſtodiæ mancipatus, quòd B.P.N. Ignatium mundi vinculis exſolutum ad B. Virginis ædem, quæ eſt in monte Serrato, Deo ſe deuouiſſe intellexerat; votum ſuſcepit, ſi carceris vinculis eximeretur,

tur,

tur, eôdem se peregrè honoris imitationisq; eius studio profecturum. votum illicò liberatio, liberationem peregrinatio est consecuta. Abiit ea dies nostris aliisque fortunatissima, sed non abiit Patris nostri erga nos prouidentia. Vnus è nostris hernia tam periculosè laborans, vt non nisi ægrè pedibus insistere aut incedere posset, vt sibi quotidianam precationem B. Patri exsoluendam indixit, & acceptas à Rectore Collegij illius reliquias collo suspendit, citiùs opinione omnium morbo leuatus. Hactenus Patri nostro datũ, nunc cœpta mihi pertexenda, multa illa quidem nec leuia; sed scriptioni temperandum: duo tantùm strictim attexam. Alterum fuit oratio per quadragenas horas in æde nostra instituta, ipso ineuntis Quadragesimæ triduo; cùm & insani furoris æstus feruentior, quia in extremo; & licentia temporis minor, quia iam futurum esuriale. Placuit ea res magistratui non leuiter. Itaque edictum ab eo, si quis iis diebus Bacchanal fecisse probaretur, capital esset: quo factum est, vt mirabili planè omnium cõmutatione, nihil diebus illis aliud quàm de pietate ageretur. Sacramẽta adeuntium numerus, quantus vix vnquam antea: orantium ea frequentia, vt nulla tum hora abierit, quin mille propè & quingenti ad nos orationis caussa conuenirent. Alterum spontaneæ peregrinationes per annuas scholarum vacationes à nostris susceptæ, nec sine aliquot euentibus commemoratione non indignis: vnum tantùm, quia celebre est, memorabo. Hospitati è nostris duo apud virum nobilem militum ducem perhumaniter sunt accepti. is eo consilio apud se illos habere multùm contenderat, quòd familiæ suæ modum aliquem ponere, & totius vitæ crimina vna confessione repetere mirabili exemplo persuasus, id per

hoſtros ſe commodiſſimè perfecturum ſperabat. Exemplum fuit huiuſmodi. Vrbem Prouinciæ, cui Draguionano nomẽ, pro Rege vir ille nobilis gubernabat, & cohors illi militum ex hæreticis Catholiciſque conflata ad vrbis cuſtodiam erat attributa. dum excubatur vicibus, miles hæreticus, qui ſibi pridie ſacri ciborij locum denotarat, nocte concubia templum inuadit, & ſacro ciborio manus admoliri conatur; ſed repentè quaſi ſidere perculſus ſolo affligitur. tertiò conatus, tertiò afflictus, inſurgit quartò, impietate terrorem ſuperante, & ciborium vtraque correptum manu furens eduxit. tam ponderoſa ſacrilego viſa leuis alioqui patera, nulla vt illam ope miles robuſtiſſimus manibus poſſet ſuſtinere: itaque delapſam in terram dum recipit, vacuam Sacramento quod multiplex priùs inerat, reperit, nec illius poſteà veſtigium vllum apparuit. Dum hæret ſtupefactus, ambitur ex improuiſo maxima ardentium lampadum corona. deprehenſum ſe ratus, fugam cum ciborio arripit: fugienti inſtant eædem lampades. ergo diffidens latere ſe poſſe ſi domum ciborium deferret, in auiam foſſam deiicit, & terrâ trepidus obruit. locum extemplò circumſtant lampades. poſtridie cùm omnium ſe oculis ſermonibuſq; deſignari arbitraretur, quòd perſtãtes eodem loco lampades quas ſolus videbat, omnium oculis conſpicuas eſſe crederet, mœſtiſſimus incedebat. Quare cùm primùm abreptum è templo ciborium in vulgus innotuit; delatus caſu in eum dux, facinus ex vultu coniectans, prima interrogatione totam rei veritatem elicuit. itaque in eum curiæ decreto animaduerſum. At dux ita animo eſt permotus, vt munere poſtmodum defunctus, ſeriò de ſalute cogitare cœperit, & perpurgato iam ritè animo, maiora ſpectare

exiſti-

existimetur. Sed nescio an his subnectendum, quod nobis multiplicem demirandi, Deoq; gratias habendi caussam suppeditauit, quia naturæ magis res quàm virtutis videatur. subnectam tamen qualecunque illud sit. Fulminatum hoc anno in vrbe pluribus locis, effectu plerumque mirabili: sed tacta inter alias ædes nostra de cælo, multò omnium mirabilissimè. afflauit principio vis magna fulminis extantem in editissima turri tubum lapideum cauum, & maximam partem deiecit: tum minutissimo aditu in cœnaculum delapsum eodem se loco in parietem antiqui operis quinos fermè pedes latum demisit; vnde vnus nostrûm momento temporis antequam fulminaretur, occulta quadam vt profitetur virtute, abductus excesserat. penetrato pariete solidissimo cubiculum iniit, in quo alter è nostris spiritalibus Societatis commentationibus exercebatur. impleuit cubiculum flamma, sed Patrem non læsit; ludos tantùm facere visum fulmen, tectorium minutissimum vtroque parietis latere erasit, & partim cubiculum illud, partim proximā aulam ita persperfit, vt artificio factum videretur. super hæc, in humilius quoddam solarium, in quo chartæ veteres, minuta ligna, & antiqui asseres paratissimum incendij pabulum asseruabantur, se coniecit: sed Dei beneficio flamma non est concepta. mirum quanto deinceps errore per subiecta loca nullo damno sit debacchatum, donec solidum parietem triginta fermè pedum altitudine permeans, in triclinium defluxit, & colloquentibus è nostris duobus sine læsione interlapsum, angustissima rima foras erupit. fecere tum hi, tum multiplices alij eiusdem fulminis effectus, vt maiorem aliquam vim quàm natiua fulminis esse soleat, multi suspicarentur, omnes, quod innoxium fuerat, Deo gratula-

tula-

tularētur. Delabor ad ſcholas, quæ vt in iſta ſcholarum in Gallia deſolatione admirationi eſſe poſſint. diſcipulorum numerus ad mille ſexcentos: quorum hoc anno celebris fuit induſtria in Principibus aliquot excipiendis. Reginæ Galliæ, dum ad virum deduceretur, laborum & victoriarum Henrici IV. Regis Galliarum labyrinthus pluribus ciuitatis locis exhibitus. res fuit planè ſpectabilis, & principibus Galliæ viris periucunda. Ipſa quinetiam Regina adeò commora, vt lacrymas ſæpè non teneret. nec vlla aut excuſatione aut recuſatione caueri potuit, quò minùs drama totum pulcherrimis tabellis ciuium ſumptibus expreſſum libro peculiari exponere à Regina Principibuſque iuberemur. quod & factum eſt. Reginæ diſceſſum excepit poſt aliquod tempus Illuſtriſſimi Cardinalis Aldobrandini aduentus. Illi & vrbem ineunti pluribus locis varia exhibita, & poſt aliquot dies quàm aduenerat, in palatio Apoſtolico, Sæculum innouatum, ſic drama nuncupatum: quo ineuntis ſæculi huius decimiſeptimi felicitas Clementis VIII. auſpiciis, Card. Aldobrandini ductui tribuebatur. Secundùm illum Archiepiſcopus Ebredunenſis Roma rediens magno emblematum carminumque omnis generis numero ſalutatus: à quo in maxima honoratorum hominum corona egregium planè animi ipſius erga Societatem teſtimonium retulimus. Neque verò minor in pietate quàm in litteris è diſcipulis extitit fructus. Theologia vicinis Epiſcopis per Quadrageſimam concionatores octo, Academiæ Doctores Theologicos quinque ſuppeditauit. Theologus quidam auditor noſter, cùm parœciam ſuſcepiſſet curandam, breui hæreticos viginti ad Eccleſiam traduxit. alter Philoſophiam emenſus, dum anni tempus ineundæ

Theo-

Theologiæ idoneum præstolatur, opidum non ignobile concionibus frequentauit, paucis diebus hæreticorum animos qui numero superabant ita labefactauit, vt ad quadraginta hæresim abiecerint, plerique omnes ad defectionem spectent, & specioso magis eierandæ perfidiæ titulo quàm voluntate careant. Pulchrum iuxtà ac pium fuit spectaculum puellus duodenni non maior scholas nostras frequentare solitus: qui cùm in lethalem morbum incidisset, ac vix quarta horæ parte à morte abesset; lacrymabundum fortè patrē conspicatus orauit ne morienti conspectum patrui negare vellet. Pater, quòd acerbissimè pridem à fratre dissidebat, ægerrimè id concessit; concessit tamen. præsentem patruum vt conspexit puer, connixus cubito in lecto resedit, & vocibus iam intermortuis, Téne, inquit, priùs pater, an te patrue moriturus amplexer? Vtrumuis priùs contigero, alterum sine offensione contingere nequeo: sed age sanè, vterque mihi simul est amplexandus. & dextram patris, sinistram patrui collo innectens, postquam alterum in alterius amplexus apposita oratione perpulit, complexantium manibus est immortuus. Religiones varias inierunt discipuli viceni, è quibus in Societatem admissi quinque. Præclarū omnino de parentibus triumphum retulit illorum vnus, qui vt à Societatis quam meditabatur consilio deduceretur, Auenione in patriam vi retractus erat: nam cùm ea quibus vehebatur iumenta repentè in via essent enecata, & ipse diuinam vltionem nequidquam parentibus diu ac multùm obiiceret; captata quàm commodissima occasione ex eorum manibus ad nos euolauit, denuoque insecutos ita constantiâ fregit, vt omni deinceps eius potiundi spe laberentur. Profuit in publicum eius exemplum, & alios

alios aliquot à Religionis consilio parentum minis retardatos ad pristina vota inflammauit. Magnum istius in appetenda, maius alterius in retinenda Religione exemplum fuit. Adolescēs Italus monastico pridem habitu in Italia donatus, & à suis non satis pro animi sententia commodè habitus, dum monachum exuere nititur, Christianum etiam exutum ibat. Geneuam desertorum receptaculum adire constituebat, eaque mente Genuensi portu soluerat; sed tempestate in Italiam à tam præcipiti via reductus est, reductus tamen non abductus. iterum soluit, iterum reiectus est. certus pereundi terrestri itinere Geneuam venit: ibi ab hęreticis triumpho exceptus, & de sacrilegis nuptiis illicò cogitare iussus. ille qui nōdum pudorem omnem exuisset, rem in posterū diem distulit: quo cùm ad veteratorē Bezam deductus esset, monastica adhuc veste insignis, & precatoria corona etiamnum de zona pendente, vt in conspectum venit ingenti cachinno à deliro sene est exceptus: & simul in B. Virginem cui illa corona sacra esset, atroces blasphemiæ iactæ. Pupugit profani senis impietas animum adolescentis B. Virginis laudibus insueti. itaque pedem retulit, & indignabundus Geneua excessit, consilij omnis & viæ planè incertus. Multas Galliæ vrbes erro percursarat, cùm ad nos Auenionem deuenit: vbi in proposito confirmatus, Italiam non multò pòst nostro consilio repetiit, immensas Deo gratias habens, quòd se religiosum cultum abiicere cupientem non esset passus, cuius intuitu infinitis se peccatis & sceleribus prohibitum memorabat. tantum vel apud profligatissimos animos externa sępè religionis species momenti habet. Sic Religiosis & Religionibus prouisum. At pudicitiæ publicæ cura non minor. à pellicatu decem &

octo

octo annorum abductus vnus, quinque pellicibus legitimè coniugati: periculo lapsus ereptæ mulieres aliquot, sex iam lapsæ ad honestatem reductæ. Iuuenis quidam è nostra disciplina feminam infamem ad flagitium solicitantem adeò non auscultauit, vt & in præsens illam acerrimè verbis acceperit, & in posterum sibi è Collegio cilicinam vestem accersierit. at illa iuuenis constantiâ permota manantibus oculis est obtestata, ne se vnquam flagitio abripi pateretur, sciri quando insidias, quando resilias scitu esse perdifficile. Virilis fuit hæc à viro, sed longè virilior quam referam è femina victoria. Puella nobilissima forma simul ac virtute spectabilis à viro potentissimo multis partim lenociniis, partim comminationibus de flagitio interpellata; cùm impotentem hominis potentiam effugere se posse desperaret, ne pudicitiam perderet, corpus simul & animum perditum ibat. stratum illi nudum solum, cibus plurimis diebus aut nullus, aut noxius. nec hic fuisset desperationis finis, nisi vnius è nostris interuentu esset edocta alias esse tuendæ castitatis artes. & illa quidem à tam præcipiti consilio deterrita, sed non improbus amator à nequitia. magicis artibus & fascinationibus iuuenculam aggreditur: & aliquantum perturbarat, nisi illa nostro suasu, animo ritè expiato, & cerea agni Dei imagine instructa, diabolica machinamenta elusisset. Extremus ei conflictus supererat, cùm in principis matronæ, cui honoraria erat puella, comitatu amator esset adeundus. eam ob rem muniri illam noster votiua prece ad B. Virginem beatumque P. Ignatium, & sacrosanctæ Crucis particula iubet. res fuit miraculo similis, vt in conspectum venit, adeò mutatum hominem reperit, vt niue Gallica frigidior, non magis puellæ

aſpectu moueretur, quàm ſi nunquam adamaſſet. Similis fuit alterius in diſsimili fortuna victoria: ea quòd altero parente orba & facultatibus eſſet tenuiſsima, iniuriæ patebat maximè. non latuit ea res impurum hominem. Is primò virginem magna auri vi oblata de ſtupro appellat. conſtantiſsimè repulſus cuſtodem puellæ vetulam auro corrumpit, & in eius cubiculum concubia nocte eſt introductus. Puella vt ſe proditam ſenſit, fortior indignatione facta, tam bellè hominē nocte perpeti habuit, vt appetenti iam luce ſpe irritus domo exactus conſpectum hominum diutiſsimè fugere cogeretur. Illud etiam non minimum fuit pudicitiæ procurandæ genus, quòd virgines decem ex iis, quæ Sacramenta apud nos percipere conſueuerāt, non leui noſtrorum ope Religiones varias inierunt. Neque verò vinctorum & ægrorum diſpar ab iſta fuit procuratio. Sacella tria diſtinctis carcerum locis magno vinctorum commodo excitata. Ibi Dominicis minimùm diebus fit res diuina, & quotidie ſub noctem à cuſtodiis recitantur Litaniæ. Quadrageſima quatuor & viginti noſtrâ operâ carceri exempti, quà iis quibus fuerant iniurij conciliati, quà corrogata pecunia, nominibus exſoluti. Miſerabile erat ſpectaculum in anguſtiſsimo fœtidiſsimoque carceris barathro pater cum duobus filiis, ille noxæ neſcio cuius reus contracto ex pœdore & illuuie morbo iacebat in nuda humo moribundus. iſti egeſtate perditi, quia fames domi ad mortem adigebat, barathrum illud commune tribus ſepulcrum elegerant. iam patrem & decennem filium ſenſus voxque defecerant: & alter natu maior, mortuo quàm viuo propior, exhauſtis perpetuo fletu lacrymis, defixo in morientes obtutu, ſine motu, ſine voce, ſine gemitu vno loco perſtabat.

Inter-

Interuenit ſpectaculo vnus è noſtris,& caſtigatis pro eo ac merebantur cuſtodibus, accitiſque illiço medicis, vt quodque erat præſentiſſimum medicamentum ita citiſſimè in expirantium fauces infundi iubet. poſt aliquod tempus pater primò, tum filius ſenſibus redditi, moxque procurato ritè Sacramentis animo, conquiſitiſque eleëmoſynis duobus de medicamentis, omnibus de cibo prouiſum. Additum etiam illud, vt tum ab aduerſaria parte, tum à Principe condonata penitus noxa liberatio impetraretur. Ægris aliquot inſigniter eſt ſubuentum. ſed non ibo per ſingulos, tres tantùm memorare viſum. Princeps fuit vir cumprimis ſuæ ciuitatis honoratus, qui grauiſſimo decumbens morbo ſecundùm confeſſionem quam apud noſtrum habuerat, iuſſus D. Auguſtini cui ſacra erat illa dies opem implorare, & in auguſtiſſimo ſacrificio Auguſtino à noſtro commendatus, dum ſacris ille operaretur; viſus ſibi ſeducta corpore anima pro diuino tribunali maximè conflictari, quòd diceretur nec eam duxiſſe vitam, quæ Chriſtianum hominem deceret: nec in hoc ipſo vitæ extremo actu ſatis compoſitis rebus exceſſiſſe. quamobrem cùm iam duci iuberetur, interceſſiſſe viſus Auguſtinus, nefas eſſe dicens commiſſum ſibi ea die hominem hoſtibus tam turpiter permitti. ille animum ex trepidatione maxima repentè recipiens viſo ſimul & morbo eſt exſolutus: atque ne tantum ingrato præſtitum eſſet à D. Auguſtino beneficium, auguſtum ſacellum eius nomini poſtmodo dedicat; nec vlla ei poſtea tranſacta dies ſine Auguſtini memoria, anniuerſaria autem ſine opere feſto ritu celebrata. Alter erat diſciplinæ noſtræ adoleſcens, inueterata ſimul pleuritide & febri ardentiſſima laborans. is à noſtro ſacerdote enixè conte-

tenderat, ipſo die Chriſti corpori ſacro pro valetudine ſua Sacrum vt eo die faceret. Dum ille ſacrificat, tam repentè omnis ei æſtus deferbuit, adeoque lateris dolor remiſit, vt medicus maiorem in ea ſanitate vim agnoſcens, nihil veritus ſit optanti gratitudinis ergò templum ea die adire, non modò domus, eius rei cauſsâ, ſed vrbis etiam ipſius, inambulationis gratiâ, egreſſum permittere. & verò tantus fuit in deambulante vigor, vt niſi qui eum ægrotaſſe ſciret, nemo ex inceſſu iudicaret. Tertius è Sodalitate Parthenica repentino quodam occupatus veterno miſerabiliter iacebat moribūdus. nullus ei ad cetera ſenſus, nulla erat loquendi facultas. vnam orationem, qua ſe B. Virgini Sodales, dum in aliorum numerum aſcribuntur, cõſecrare conſueuerunt, diſertiſſimè pronuntiabat. qui illum ſalutarat, qui valere iuſſerat, qui de morbo interrogarat, hoc vnum ab eo reſponſi habebat: Sancta Maria Mater Dei & Virgo. idem medico, idem hoſpiti, idem Sodalibus reſpondebat. is tanto omnium Sodalium ardore eſt in eo morbo procuratus, vt nemo ea ab affinibus facilè exſpectet, quæ illi à Sodalibus tribuebantur. Iam inimicitiæ tricenæ & eo amplius probè compoſitæ, aliæ inter familias nobiles inueteratæ, aliæ inſignibus iniuriis recèns conceptæ, Hæc difficillimè coaleſcebat. Mulier honeſti loci functo iam coniuge filium vnicum in ſpem ſenectutis annum iam decimumquintum educabat, cum vir nefarius, quia conceptam in matrē iram effundere non valebat, crudeliſſimè excarnificarat. nam intercepto foribus poſtibuſque capite tamdiu obtriuerat, donec penitus exanimaret. eam ob rem mulier ſui planè impotens eas furias atque intemperies animo hauſerat, vt nihilo in ſe mitius quàm in filij interfectorem conſultum iret,

vnus ei erat eiulatus ab aurora ad vesperam, à vespera in auroram. pauimento affligi, parietes incursare, & alia muliebris impotentiæ in se admittere, nimis ei vulgate videbatur. ipsa quatriduum sine cibo obstinatè perstare, venena & gladios in se experiri, dolore tantùm suo dignum ducebat. nec minùs interea quod habebat facultatum in obuium quemuis effundebat, qui modò aliquam ei vindictæ viam aperuisset. finem posuit & mœrori & iræ noster accitus, qui mulieris animum ita dictis mitigauit, vt sibi primùm, tum etiam filij interemptori placaretur. Dum hæc hominibus antiquæ fidei & religionis adhibentur, laborabatur nihilo seciùs in hæreticis, quorum ingens à vicinia numerus in hanc vrbem per annum commeat, ad Ecclesiam reuocãdis. Centeni hoc anno à Caluini castris ad nos perfugerunt. Omnes eierata palàm perfidia Ecclesiæ conciliati. decem in his scholastici, ceteri diuersæ sortis. Profuit iis qui scholastici erant vel ipsa Ministrorum professio, qui licet sinceram fidei disciplinam negent, instituendæ tamen in litteris adolescentiæ palmam nostris concedere palàm non verentur. Præclarum ab hostibus testimoniũ si modò plenum, sed hoc tolerabiliùs diminutum, quòd eius occasione multi ineptis laudatoribus subducuntur. Eam de nostris vocem recèns inaudierat à Ministro adolescens nobilis, patria parentibusque hæreticis; cùm hominem Catholicum, qui filium pridem suum in nostram dederat disciplinam secretò adiit, obnixeque est obtestatus, Auenionem clàm parentibus meditanti præstò esse atque opitulari vellet: in animo sibi esse non alia posthac quàm nostrorum in litteris & fortassean etiam in fide disciplina vti. demiratus ille iuuenis animum, quamquam res erat propter parentum po-

tentiam plena periculi; tamen ſimulata aliò profectione, adoleſcentem vrbe inambulantis ſpecie excedere iuſſum, paratoque impoſitum iumento ad nos deducit. non diu nobiſcum illo fuit colluctandum vt Caluino renuntiaret. at cum parentibus haud paulò longior & periculoſior excepit colluctatio. mater animi furens, vt eſt mulierculärum in hæreſi obſtinatior peruicacia, in Reginæ Galliæ, quæ tunc fortè hac iter habebat, comitatu Auenionem extemplò aduolat. non facilè dixerim quot quibuſque illa machinis adoleſcentis animum euerberarit. hoc dixiſſe ſatis eſto. Poſtquam illi materna omnia blandimenta & comminationes diffluxerant, non fuiſſe Auenione virum è Caluini grege principem (erant autem tum plurimi) per quem illa filium religione; non fuiſſe è Catholicis primarium, per quem vrbe deducere non ſit molita. tandem vim, etſi maximè vellet, in vrbe Catholica non auſa, re infecta cùm reuertiſſet; filium natu maiorem cum Miniſtro veterano peruertendorum hominum artifice Auenionem ſubinde allegat: ſed vtrumque ingenioſè emunctum non minima vi pecuniæ, quàm à matre perfidiæ mercedem oſtentarant, ſpe caſſum adoleſcens remiſit. Neque verò magis profitentibus hæc Miniſtris, quàm ſuo ipſi experimento perſuadentur hæretici. Filium vir Catholicus è ciuitate hæretica pridem apud nos educabat, eo ſtudiorum fructu, vt breuiſſimè primos in ſcholis noſtris ordines eſſet promeritus. Ea re motæ affines matronæ duæ Caluino licet deuotiſſimæ impensè apud viros laborarunt, vt ſuus cuiuſque filius nobis committeretur: ſed vtrique obiectus obex. Alteram imbellis Miniſtrorum natio dirarum ſuarum terriculis ab ea mente deiicere conata, perbellè à muliere eſt deluſa. nam quamdiu ſuperſtes

perstes coniux fuit, rem ea suæ esse voluntatis negauit: postquam ille excesserat, effictis eam ad rem testamenti tabulis, id sibi à moriente demandatum euulgauit. Alterius filius quia haud satis primis litteris institutus videbatur, ad vrbanum litteratorem à nobis reiiciebatur. id scilicet mater tulit ægerrimè, filiumque confestim reuocabat, professa sibi esse suspectum quidquid ille ab aliis quàm à nostris doceretur: sed datum huic de nostris opinioni puerique indoli, vt minor inscitiæ eius haberetur ratio. Illud vulgò apud nostros notum, atque à plerisque omnibus experimento suo notatum, minimùm erga id genus adolescentulos in hac insana Gallorum vtriusque partis de religione disputandi prurigine contentiosis argumentationibus profici; quamdiu cum illis argumentari perrexeris, argumenta argumentis irritantur: pia sæpiùs colloquia illis nec audita priùs, nec gustata frangunt animos, & familiariter de Deo colloquentibus tribuunt, quod disputantibus pernegassent. Addam, eò longè maiorem esse illorum, qui hac via ad Ecclesiam reducuntur, constantiam, quàm qui disputatione conuicti cedere compelluntur. illic enim solius pietatis, hìc quamuis pietatis, tamen etiam ingenij aleam sibi videntur subiisse, quò facilius nouis, vt fit, deinde occurrētibus argumētis in suscepta pietate vacillant. at illi, quia non ingenio pietatem, sed pietati ingenium subseruire coëgerunt, perstant firmiores, quò altiori radice inhæserunt. Vnus ex eo genere vtroque parente orbus, cùm à tutore non obtineret, vt Auenione, quamdiu suadebat pietas & studia, esse liceret; hominem Iure conuenit, & in vrbe hæretica hæreticorum iudicum sententia coactus tutor hæreticus pio pupilli desiderio obsecundare. Alter simul ac hæresim abiecisse est au-

ditus, à veternosa auia, quæ deserta olim Ecclesia tum ipsi, tum patri eius hæresim propinarat, litteris illicò interpellatus, cùm identidem rogaretur quid esset responsurus patri suo, si etiamnum in viuis ageret? vno dicto satisfecit, Quod tu, inquit, tuo si reuiuisceret. Tertius Caluiniano ministerio à Ministris inde ab hac ætate deuotus, cùm à parente hæretico ad nos esset deductus; omni sacramento, cautione atque execratione erat obligatus, ne vnquam animo in religionem Catholicam consentiret, ageret licet, quidquid alios agentes conspiceret, templa iniret, sacris interesset, Sacramenta etiam si visum foret ritu Catholico susciperet: illud modò sanctum & sacrum haberet, vt voluntatem erga Caluini dogmata integram retineret. fecit puer quod iussus erat annum solidum, ea obstinatione animi, vt quoties absque arbitris in imagines inciderat, eas incredibili furore aut in ignem coniiceret aut dilaceraret. adfuit sacrosanctum hebdomadæ maioris tempus, cùm ille perfidiam etiamdum dissimulabat, & vigilanti nocte concubia oblata repentè Christi IESV species, qualem ille haud pridem clàm dilacerarat. non tulit puer aspectum flammantis vt videbatur faciei, caput lecti stragulis trepidè obnubit; sed frustra. stabat ante oculos eadem species aduocanti similis; donec ille pauore perditus, & magno conatu exclamans accubantes socios excitauit, & cum illato lumine visum excessit. non potuit eo die ab illo exprimi, quid ipsi nouæ rei esset obiectum; sed postridie dum templum de more adit, & Catholicorum pietatem in exornando adorandoque Christi demortui sepulcro, ac sacrosancto Crucis ligno exosculando demiratur; erupit repentè oculis magnum lacrymarum flumen, hoc vehementiori impetu quò magis preme-

meba-

mebatur;& ſimul ad vnum è Patribus noſtris venit, vbi abiecta ſimulatione, quæ ſibi euenerant enuntiauit. tanto deinceps ardore animi eſt in contrarium delatus, vt pauci illo aut erga ſacras imagines, aut erga Sacramenta ſint procliuiores. Abeo ab ſcholaſticis, ſed ab his diebus ſanctioris hebdomadæ non abeo. Venerant per eos dies Auenionem Caluiniani gregales duo, aucupaturi numquidquam eodem tempore à Catholicis gereretur, quod in poſterum apud ſuos deridiculè poſſent enarrare, certi magnam ſe inde à Caluiniano conſiſtorio gratiam inituros. at tantus fuit Catholicorũ omnium ea hebdomada mentis ardor, vt non potuerint quantumuis conglaciati hæreticorum animi vicino incendio non conflagrare. ergo qui templa priùs interant ludibundi, aut nugarum aliquid inuicem inſuſurrantes, poſtquam orantium ad ſanctum Chriſti ſepulcrum pietatis ſenſum aliquot locis perſpexerant; animis adeò ſunt emolliti, vt pro riſu lacrymæ eis vbertim ac vltro oculis laberentur. tum alter alterũ ardentibus oculis intuitus, Hæccine, inquit, eſt toties à Miniſtris noſtris ebuccinata Catholicorum impietas? templa frequẽtare, genibus ſolum terere, vias ſupplicibus ad cælum vocibus perdiu complere? plura volentem erumpentes lacrymæ vetuerunt: nec diſſimilis in comite motus: pergebant taciti ambo deiectis in terram oculis, alternante cogitationum conflictu incredibiliter æſtuantes; donec infrequens nacti templum manantibus lacrymis ad paratũ Chriſti ſepulcrum prouoluti, tantum de cælo luminis ac ſuauitatis in oratione hauſerunt, vt è veſtigio ad nos hæreſi ceſſuri aduolarent. quod poſtridie publicitus magna omnium ordinum lætitia ſolemni ritu perpetratum. Finis erat illorũ dierum,

ſed

ſed nondum admirabilis Dei erga hoc genus hominum benignitas finiebat. Adductus ad nos haud multò poſtea inſtitutionis nomine vir honoratus, inſolenti planè modo à Caluiniſmo deductus. Habuit Siſtaricum ſuperioris Prouinciæ ciuitas ante annos aliquot concionatorem è noſtris vnum: à quo illud inter alia elaboratum, vt Sodalitium quoddam hominum vt vocant pœnitentium, collapſæ iam propè diſciplinæ ad priſtinæ inſtitutionis legem reuocaretur: ex qua feria quinta maioris hebdomadæ acriter in ſeſe ſinguli flagellis ſæuiebant. Interuenerat ei diei is quem dixi vir hæreticus ab Occitania, atque in primariorum ciuium comitatu ad cruentum illud ſpectaculum erat introductus. ibi cùm inter cæteros eos etiam quibuſcum venerat notæ probitatis & prudentiæ viros indicio neſcio quo deprehendiſſet, En, inquit, qua prudentia & probitate homines in ſeipſos quam acriter animaduertunt: profectò plus aliquanto in hac re ſapientiæ & commodi ineſſe eſt neceſſe, quàm noſtris hominibus videatur. Hęc cogitans lectum adit. Vix conquieuerat, cùm viſus illi (in ſomno an extra ſomnum non liquidò poteſt affirmare) ſed viſus tamen adeſſe aliquis eo veſtitu, qui noſtris in Gallia ſolemnis, Biblia manu voluens, eaque omnia quæ à Caluino ſunt in controuerſiam vocata, inſignibus Scripturæ teſtimoniis confirmans tam diſertè, vt eorum etiamnum aliqua vir non maximè litteratus memoriter poſſit commeminiſſe. ardebat inter hæc ille toto pectore, & in illo æſtu ad dextram obuerſus; pendentem è cubiculi pariete imaginem mediis licet tenebris perſpicuè ſibi contueri viſus paſſis brachiis ad ſe inuitantem. ſimul arcana neſcio qua virtute tractus, ſenſim in imaginis amplexus venit: quæ illi arctiſſimè

mè circumfusa plurima ignoto sermone ad aures insusurrare visa. cum fine sermonis finiit visum: & ille sudore manans ex somno aut somni simili ecstasi se recepit. Postridie cum prima luce iter Auenionem adornat, rectaque ad Pontificis Prolegatum adiens, vti rem totá exposuit, iussus nostros catechesis ergò conuenire. dum instituitur tantum diuinitus lucis animo capiebat, vt Scripturæ loca centies sibi ante eam diem lecta nec intellecta, leuissimo negotio tunc perciperet, miraretúrque quî fieri posset, vt quis hæretica saperet qui hæc legeret. porrò eam lucem tanta diuini solatij vbertas sequebatur, vt cibi potusque ternos quaternosque dies non meminisset: ac nisi datus ei esset monitor, non mediocriter corpori obfutura attenta illa rerum Catholicarum meditatio videbatur. Is deinceps deposita solemniter hæresi ad suos remissus Christianæ rei percommodus fore speratur. Istum excepit adolescens ingenuus mira occasione, mira alacritate & constantia ab hæresi ad Ecclesiam traductus. Occasio, quia rarior à capite mihi est accersenda. Ad diem nonum mensis Maij anni huius 1601. frequentes nostrorum victorias suorumque perfugia pertæsi Ministri, arcanum aliquod machinamentum auertendæ rerum suarum pesti molientes, Caluinianum de more ieiunium, id est ferale indixerant. quo tempore cùm profanis precibus concionibusque integros dies in suis synagogis contererent, tantus repentè terror diuersis dissitisque septem vrbibus est coortus, vt nonnisi ab vna, sed magna Dei manu existere potuerit. Nemausi conuenerant in templum non pridem ab hæreticis ædificatum septem, vt creditur, hominum millia. ac dum in Romanum Pontificem Diuosque cælites ardentiùs pro feruore ieiunij Ministellus debacchatur; repen-

repentino impetu trabs summa templi ipso templo ac tota eorum religione non vetustior dissiliit, tantamque pulueris nubem toto templo effudit, vt leporinæ hæreticorum animæ Catholicorum insidias suspicantes, dum periculo eximere sese in puluereis illis tenebris certatim contendunt, magnum sibi periculum crearint. nam primùm ad templi fores septem illicò obtriti, in quibus Moses nescio quis veteranus hæretici furoris satelles, qui sacerdotes olim aliquot, dum res hæreticę potiores erant, in puteum præcipitarat; alteri eiusdem sceleris socio morte miserrima coniunctus est. Minister in auditorum humeros de superiore loco insiliit, ac per eorum capita ad fenestram vitream diu conflictatus erepsit, effugiumque præcipitio inuenit. Inter hæc pauorem auxerunt sacerdotes quatuor orario & epomide insignes, qui subsidente iam tumultu non hæreticis minùs quàm Catholicis conspecti ab angulis quatuor totum circumquaque templum aqua lustrare, nusquam deinceps apparuerunt. Tantum terrorem excepit mœror non leuior: nam post aliquot dies partim morbis illa trepidatione conceptis, partim membrorum debilitatione extincti quinque. Conuentum erat eodem planè tempore de compacto in hæreticas ædes Monspellij: dumque ineptissimo blateroni inania nescio quæ declamanti datur opera, pedissequi duo pro templi foribus rixari orsi, alter alterum vno ictu prosternit. Cùm ad illius casum exclamasset tertius, cæsum esse suspicati hæretici, peri se à Catholicis, atque ad cædem vt fit inclamari, dum inuicem tradunt vt effugiant, viri pauci non miserè debilitati, mulieres grauidæ ad quadraginta extremam perniciem fœtibus attulerunt. Concionator apostata reducto testudinis in morem corpore intra

pulpitum

pulpitum ſe collegit, indeque propè exanimis eſt elatus. Eadem penè Samneriis hæretica item ciuitate, eodem momento contigere. cauſſa fuit puella quædam proximo flumine abrepta. Geneuraci eiuſdem coloris opido viſus eodem momento immenſæ magnitudinis gigas, colore nigerrimo, flammantibus oculis hæretici templi fores obſidere, tantum incuſſit pauoris, vt Nemauſenſi fuerit non multò minor. Saumanæ tacita ſed infauſta occaſione concitato non abſimili tumultu cædes aliquot ab hæreticis in hæreticos admiſſæ. Vticæ eodem tempore dum profanæ concioni inſiſtitur, Caluinianus quidam auditor, qui in altius ſcamnum inſilierat, fallente faſtigio delapſus ceruices ſibi confregit: ad cuius lapſum territa eſt adeò tota concio, vt dum fores pro ſe quiſque occupat, alij in alios deuoluti exitum per abiecta corpora poſtremis darent. Senſerunt eandem cladem Alepta, & quę eſt ad Foſſas Marianas ciuitas Occitana euentu non eò vſque infelici, ſed incerta cauſa. In eo tumultu cùm huius quem antè dixi adoleſcentis mater eſſet exanimata, hoc acriùs ille in diuinam vindictam animum intendit, quò propiùs calamitate tangebatur. Itaque ſecum ratiocinando ſtatuit, non poſſe eam religionem Deo eſſe acceptam, cuius ſanctiſſima imprimis exercitia panicis hiſce funeſtiſque terroribus turbata vellet. Expreſſit ei vehemens illa cogitatio Auenionis ad eierandam hæreſim adeundæ conſilium. quod vbi ſubodoratus eſt pater, iuuenem crudeliter acceptum priuatæ cuſtodiæ tradit: quoque minor perficiendi conſilij facultas eſſet, tenui quod habebat peculio atque honeſtiore veſtitu exuit. nec minùs interea generoſus adoleſcens ſine ære, ſine veſte fugam iniit, abiectaque nunc perfidia, Auenione Pontifi-

cis liberalitate ſuſtentatur. Multa mihi in hac rerum copia numero potiùs quàm pondere recenſenda. Puella non infimæ ſortis poſtquam Caluiniani ſeruitij iugum excuſſit, vt Catholica in libertate degeret, Catholicæ matronæ ancillari, quàm apud ſuos libera corpore, mente ancilla eſſe maluit. Altera vno eodemque ardore animi, & Caluiniſmo & mundo ſoluta Religioſo Ordini eſt aſcripta. Vir Scotus eo conſilio a Miniſtris mare traiicere iuſſus vt Catholica denotaret, quæ apud ſuos poſtmodum traduceret; Romæ & Auenione diu commoratus, non rediit ille quidem ad Eccleſiam, ſed longum pertexuit indicem eorum, quæ per calumniam à ſuis Eccleſiæ imponerentur, vt patriæ redditus aut eos à calumniis, aut ſe ab eis abducat. Sed iſtud mihi non tam numero percenſendum. Vir in primis huius viciniæ opibus & nobilitate pollens, hæreſi à puero innutritus, Romam ſæculari iubileo conſpicillo venerat. ibi Romani Pontificis Cardinaliumque facta diu multumque arbitratus; adeò non aliquid habuit quod carperet, vt inſigniter potiùs animo ſit commotus; & ad ſuos reuerſus, dum egregiam Romanæ Eccleſiæ liberalitatem, Pontificis Pontificiorumque demiſſionem animi, contrà quàm popello ſuo Miniſtri deblaterent, ſecum reputat, & eorum aliquos palam ac in luce omnium de mendacio coarguerit, & Auenionem perfidiæ renuntiaturus aduenerit. In quo illud multò omnibus aſpectu fuit iucundiſſimum, quòd ſtatim vt hæreſim ſolemniter execratus erat, peregrini cultu aſſumpto ad D. Iacobi Compoſtellanam ædem vno comite ac pedes vir ea nobilitate eſt profectus. Eadem fuit alteri hæreticæ ciuitatis ſcribæ publico Caluinum repudiandi occaſio, quòd Romanam ſemel Eccleſiam intuitus nega-

ret se suam synagogam rectis oculis immotoque deinceps animo videre posse. Sed iam domesticis abeundum: vocat enim nos grande opus & varium eorum, quæ foris magno rei Christianæ bono sunt peracta. Vicenæ hoc anno à Patribus nostris Missiones in diuersa loca institutæ, quinque anno integro, septem Quadragesima, octo hebdomadis aliquot finitæ. Laboratum in Catholicis, nec minus in hæreticis. Septuageni supra trecentos obstinatam in hæresi peruicacitatem, quingenti imperitam credulitatem Catholica facilitate fideque commutarunt. Vicenis fermè oppidis, quorum aliqua vrbium speciem hominum frequentia referunt, Catholica sacra, quæ inde à triginta aut quadraginta annis exularant, postliminio restituta. Templa vicena quina aut restituta aut instituta. Nobiles viri quindecim opulenta Beneficia, quibus se familiasque fatali Galliæ more sustentabant, Ecclesiæ permiserunt. Totidem sacerdotes qui Beneficia aliorum nomine in confidentiam, vt vocant, obtinebant, pernicioso mercimonio abstinuerunt. Hac summa fuerunt numeranda, ne dum singillatim expenduntur facerent similitudine fastidium. Nunc ita mihi destinata componenda, vt principio, quæ hæreticis (quod esse hîc solet missionum caput) tum quæ Catholicis præstita memorentur.

Missio Nemausensis.

INITIVM mihi à Nemauso ciuitate Occitaniæ, quæ vt ab ipsis propemodum Caluinismi natalibus insignis fuit hæreticorũ nutricula, ita nunc vberem concionatoribus suis laborum segetem suppeditare solet. Eò missi sacerdotes nostri duo annum fermè expleuerunt. Non facilè grauius

antea tacti Caluiniani Ministri, quàm quòd hoc anno magistri quatuor è Collegio Nemausensi, quod hìc vnum ad instillandum puerorum suorum animis errorum virus habēt appositissimum, ad nos transierunt. Ex his vnus Iuris bene peritus tanta olim hæreticorum lætitia à fide auersus erat, vt eum tota fermè Occitania quasi triumpho circumduxerint, quò maiori eorum dolore nunc ad Ecclesiam est reuersus. Sed illud multò omnium grauissimè tulerunt, quòd à magistratu hæretico noster enixus assecutusque est, vti hæreticis magistris, qui in eodem Collegio docent, nefas esset Catholicorum liberos, qui ad eos aliorum penuria conueniunt, ad preces hęreticas adigere. nimirum hoc illos vehementissimè coquit, quòd & in maximum contemptum apud suos iuxtà ac alienos se & sua venire in dies animaduertant, & quam olim ciuili magistratui in Ecclesiastica potestatē plena manu ingerebant, eandem in suā Ecclesiā magno Ministerij detrimento passim cogantur tolerare. Et verò si quid ex hoc rerum statu licet in futurum ominari, haud minima est hæc eius quam ægerrimis hisce prouinciis optamus & speramus sanitatis pars; quòd nihil in eis vilius, nihil despicatius Caluiniano Ministro nominetur. Diras eorum & bruta fulmina pluma leuiora habent, publicæ autem verborum castigationes ludus eis sunt & iocus. Quadringenti crebrò & eo plures hæretici furente contrà atque insaniente Ministro, in nostrorum concionibus Nemausi luce & palàm numerati. Sed illustre fuit mulieris cuiusdam isto in genere factum. Ea diutissimè marito Catholico reluctata, postquam sibi persuaderi passa est vt Ecclesiæ nomen daret, perpetuis affinium Ministrorumque assultibus petebatur: sed vno dicto omnes abs se facillimè

limè abegit. nam magna hæreticorum hominum frequentia de Miniſtello inconſtantiam publicè opprobrante ſciſcitata, auderetne inficiari quod ſæpiùs ſe audiente declamitaſſet, nihil ſaluti obeſſe quamlibet ſequaris religionem, dum mores conſtent. cùm ille non negaret, Age ergo, inquit, cedo, ſi quid in moribus exorbitaui, dum ſim Catholica: nam de religione, vt vos dicitis, non eſt tanti. non habuit vilis Bambalio quod mulieri opponeret, ſed ſuorum riſui ſe eripiens in tabernulam latitatum abſceſſit. Acceſſit huic res haud abſimilis, ſed diſſimili auctore Aleptæ vrbe Occitaniæ haud procul Nemauſo. habebatur inibi hoc anno hæreticorum conciliabulum: in quo dum Miniſter quidam non ſatis tolerabiliter inſoleſcit, nullum aptius reprimendo homini frænum conciliabuli moderator hæreticus cenſuit, quàm ſi publicè proclamaret ni quieſceret, ſciri viam qua adducerentur Ieſuitæ. cùmque ille non quieſceret, decretum factum, ne cui vnquam Miniſtro vrbs pateret; patuit tamen ea deinceps noſtris, qui ibi non paruo fructu concionati. Ea re permoti Miniſtri pulchras in nos machinas excudere orſi, ſed in ſuum ſcilicet, vt ſolēt, caput: ſeriò enim atque obnixè in publicis prouinciæ comitiis apud ſuæ factionis homines, quorum ibi penè potior eſt poteſtas, agunt vti libellus ſupplex comitiorum nomine Regi offerretur, quo ſacerdotibus Societatis Occitania interdiceretur; quòd dicerent Catholicos ab illorum in eam prouinciam acceſſu factos eſſe audaciſſimos (ſic illi audaciam legum Catholicarum tenacitatem morumque emendationem vocitabant.) ſed rex comitiorum poſtulata hac parte reſcidit. Poſtquam negotium hoc non ſucceſſit, alia aggrediuntur via. Miſerat è noſtris vnus traditos ſibi ab hæreticis Caluini

libellos aliquot in ignem; Miniſtri extemplò inclamare, rem ſpectare ſeditionem, & ſacerdotis nomen ad Prouinciæ comitia deferre: iamque in eo res erat, vt ille comitiorum decreto cuſtodiæ mancipari iuberetur. ſed aderat id temporis in comitiis ſacerdos alter è noſtris, qui ita apud Principem comitiorum (is fuit Galliarum Comes ſtabuli) ita apud cæteros, quibus tum ſententiæ ius erat, ſocij negotium egit, vt & communibus eorum ſuffragiis noxa ſolueretur, & quod ab eo factum eſſet ritè ac iure factum pronuntiaretur. Sic Miniſtris quod ſibi intriuerant fuit exedendum. Non facile eſt memorare quantum iis factis, & factioſa Miniſtrorum natio retundatur, & ipſi hæretici, ſi qui etiamnum ſunt in ſuis propugnandis acriculi, labefactentur. Apparuit id non pridem facto haud parum memorabili. Iuſtrabat è noſtris vnus diœceſim Nemauſenſem, cum Epiſcopo, & iam duodenis fermè opidis Catholica ſacra reſtituerat; cùm non exiguæ vrbis ciues de ſuorum Conſulum voluntate, Miniſtralibus ad id furiis inflammata militarẽ manum cogere, arma adornare, & minas in venturum illò Epiſcopum publicè iactare orſi. Verùm vt primùm in conſpectum venit Epiſcopus, præclari ſcilicet illi omnes apparatus irriti conciderunt. Subibat vrbis portas Epiſcopus rei neſcius, & circumſtabant armati milites attonitis ſimiles: nemo arma commouere, nemo ſtatu excedere, nemo cum ſocio caput conferre, nemo Epiſcopi comitibus verbum hiſcere auſus. Ea re ita debilitati ſunt ciuium animi, ita commutatæ voluntates, vt ad Epiſcopum omnes accurrerẽt, Regis edictum de reſtituendis Eccleſiæ ſacris, ſupinis manibus acceptarent, adductos ab Epiſcopo ſacerdotes in fidem ſuſciperent, atque dum ſacris ſolemniter operatur noſter,

multi adessent, pauci concione quæ Sacrum excepit abessent. Illud verò longè omnium fuit pulcherrimum, quòd adito deinceps Episcopo pecunias excitandæ sacræ ædi, quæ superiorum temporum calamitate iacet in ruinis, lubentes offerunt: militem nescio quem hæreticum, qui sibi Ecclesiasticos census pridem vsurparat, in ius adducunt. postulantes vt ex Regis edicto sumptus erigendo templo conferret, totidemq; sustentaret sacerdotes, quot ante hæresis tempora sustentati probarentur. id si obtinuerint, vt spes est, non longum ibi domicilium hæresis habebit. Cognitum hoc loco aliisque alias quantum emolliendis hæreticorum animis impendium sit rem diuinam munditie, pietate, ordine, silentio quo par est perpetrare: non lætitiam, non lacrymas, non vocem continent dum id conspiciunt, adeoque suis sua sordent. vt cùm à Sacro in Ministrum delatus esset aliquando vir hæreticus, & ille pro ministerio hominem increparet, ac se illi Caluinianis sacris interdicturum, ni Catholicis abstineret, minaretur; Tene, inquit ille, impurissimum caput tua mihi sacra memorare? vbi tu stas eadem veste qua ad conuiuium, ad macellum, ad prostibulum tuum adis; vbi tu nobis sine sensu, sine pietate rancidam libelli eiusdem lectionem semper inculcas; vbi nos sedentes, colloquẽtes, tumultuantes tanquam in caupona ientamus. abi sanè, & tua tibi sacra solus habeto: ego pro maximo computaro numquam illis interesse. & cum dicto frendentem media hominum turba destituit. Agnoscunt hanc sacrorum nostrorum in alliciendis hominum animis præstantiam ipsi Ministri. Itaque alij simiarum more Catholicas sæpè ceremonias non sine suorum risu atque indignatione æmulati; alij simul vt in opida quæ obtinebant sa-

cerdos aduenerat, ne à suis desererentur, suos ipsi deserebant. Itaque alibi dilapso metu Ministro reditus Ecclesiastici, quibus ille antè alebatur, communi opidanorum voluntate sacerdoti attributi. Alibi desertũ à fugitiuo altero pagum grandem cùm occupasset sacerdos, effecit vt quo loco vix decem homines in ducentis fermè familiis Catholici censebantur, eodem intra duos menses vix decem inuenirentur hæretici. Iam illud non minimi est, quòd Religiosi tres maximo dolore nostro, & hæreticorum triumpho in diuersam partem, aut planè, aut penè abducti, nostri sacerdotis solertia sunt reducti. eorum duo suis haud satis æqui perruptis monasterij claustris Nemausum venerant: quorum lapsum venatica sua sagacitate subodorati Ministri præclaros extemplò concionatores, vel meliùs concionatrices allegant pulchellas puellas duas, omni illecebrarum & lenociniorum genere instructas. nitebat cerussa facies, purpurisso genæ rubebant, flauo puluere crines rutilabant, atque interim ad manum auratus Caluiniani Euangelij codex micabat. vt descensum est in certamen, non dubia stetit à mulieribus victoria: quia illi ea tantùm tenus repugnabant, vt victi fuisse, non caussam prodidisse viderentur. interuenere certantibus hæretici aliquot, & labantes iam miseros adolescentes planè impulere. Super hæc assimulatur suæ cuique puellæ victricis desponsatio, & monasticum illum cultum abiicere suadetur. Triumphus actutum tota ciuitate buccinatur. alij in dicendo claros, alij Philosophia insignes, alij Theologia primos iactitabant. sed cum luce postera fraus detecta: nam primùm ipsi victrices postridie puellas perquirentes nec sponsas, nec sponsores reperiebant. adeò vel apud hæreticos Apostatarum nomen in-

sorduit,

ſorduit, vt nemo eos matrimonio dignari velit. tum hæreticos etiam ipſos hominum ignorantiæ cœpit depudere, vtpote qui vix tria latina verba bene conuerterent. Ea occaſione vſus noſter deſtitutos iam ab omnibus ac deſpicatui vbique habitos ad ſe accerſit, grauiterque increpatos fidei ſimul & monaſterio non ægrè reddidit. Par fuit tertij exitus. poſtquam abiecta fide quietem animo non inueniebat, Nemauſo ſolerter abductus, leuique momento fidei familiæque ſuæ conciliatus. Ægrè dixerim quantum frigidæ efferueſcenti iam rei Catholicæ leuium id genus hominum lapſu affundatur, quantumque hæreticis, qui nulla magis re quàm crebris ſuorum ad nos, rariſſimis autem noſtrorum ad ipſos transfugiis debilitantur, vel vnica iſtorum nebulonum ruina mali animi procreetur.

Miſſio Arauſicana.

ITA Nemauſi totaque Epiſcopi eius ditione Catholicum negotium geſtum. at Arauſicæ vetuſto itidem Caluinianæ fraudis domicilio, vbi ſolidum etiam annum ſacerdos noſter cum ſocio demoratus, haud minor rei Catholicæ facta acceſſio: ſed hoc inter cetera illuſtriſſimum. Vir bellica virtute notus triginta iam annos Caluiniſmo adhæſerat, vrbes aliquot regiis olim caſtris obſeſſas hæreticæ militiæ præfectus ſtrenuè propugnarat, brachio quinimo altero in pugna mutilatus, atque altera manu grauiſſimè erat oblæſus. necdum tamen hæreſi deſtitiſſet, niſi illi clariſſimo argumento de cælo eſſet patefactũ quo fine cetera ei corporis detrimenta aut immiſſa eſſent aut permiſſa. Ibat haud pridem in vrbem Catholicam Arauſioni proximã Caluiniano etiamnum

ſpiritu largiter plenus: equitanti factus obuiàm homo ruſticanus per iocum, vt fit, rogare cœpit, ecquando Caluinum quem ab omnibus nunc proteri cerneret, ipſe eſſet contempturus? cachinnantem ad hæc hominem ruſticana oratione, ſed vehementi hortari inſtitit, occuparet ingentem gloriam, nec ſe à Caluino priùs deſeri, quàm ipſe deſereret, pateretur. inclinare iam penitus rem Caluinianam in Gallia, nec dubium eſſe hæreſis fatum ſi pax ſit diuturnior, patere omnibus fœda Miniſtrorum facta, nec Caluiniani conſiſtorij (ſic illi ſua conciliabula nominant) factioſa machinamenta Rege viuo quidquã virium habere poſſe. orantem prolixiùs, & vera notaque diſſimulanti ingerentem, equo miles præteruehitur. voluebatur tamen animo, & recurrebat etiam nolenti toto itinere ruſtici oratio; donec ad biuium quoddã delato, oblata eſt de cælo ſpecies penitus admirabilis Pendebat in aëre ante equitantis oculos crux ingens, atque in cruce procerus homo vultu ſupra humanum auguſto, annuenti atque alloquẽti ſimilis. ille inanem eſſe oculorum deluſionem ratus vultum ſibi atque oculos vicies triciéſve detergere: cùm nihil agit, impulſo in alteram biuij partem equo via decedit; ſed priùs alteram viam crucis ſpecies quàm ipſe occuparat. ergo fractus miraculo equo deſilit, atque in genua deuolutus cõceptiſſimis verbis ſpondet nihil ſibi poſtea cum Caluino negotij fore; certum eſſe veris crucis adoratoribus deinceps accenſeri. Sic mutato itinere Arauſionem reuertitur, & noſtro qui ibi erat ſacerdoti præſentem ſuum animum præteritumq; miraculum fractis ſingultu vocibus à capite exponit. ille hominem ad Pontificium Prolegatum Auenionem deductum rem totam in magno honoratorum hominum cœtu enarrare iuſſit, eo ſingulorum

gulorum motu, vt lacrymas nemo quamuis grauissimus contineret, editaque deinceps fidei professione Ecclesiæ conciliauit. tantus in eo postea animi ardor, tantum Christianæ pietatis studium enituit, vt rari sint in iis qui numquam fide exciderunt pietatis sensus, qui in illo sunt frequentes. Pupugit inprimis Ministrorum genus tam inspe-rata hominis Caluino dedititissimi defectio, nec promptius malo solatium quàm calumnia. Auenionem, vt dixi, noster venerat, & fama extemplò per Ministrorum operas in vulgus data, tractari Auenione à nostro ciuitatis Arausicanæ proditionem. eam ad rem inuenti nullo negotio milites, qui se pecunia tentatos, verbis solicitatos pro testimonio apud Iudices asseuerarent, nihil illa proditione certius, nihil testatius videbatur. Igitur denuntiari illico nostro certatim inter amantes & fingentes, nunc expectaret dum ardor ille calumniæ detumesceret, nunc ne se ampliùs furentis populi conspectui daret, consultissimum esse si ageret, vt sibi succederetur. at ille de nostrorum consilio vrbem è vestigio repetit, rectaque ad ducem hæreticum profectus enixè contendit sibi vt cognitores daret. Nihil planè calumnia leuius. statim vt noster est conspectus, omnis Ministrorum machina in fumos vertit, non accusator, non testis apparere, non dubitari inter vulgus etiam hæreticum quin res tota esset vanissima. ipse quinimò dux hæreticus, & tunc honestissimè nostro verbis satisfecit, & egregium ei deinceps diploma innocentiæ ac probitatis testimonium conscribi iussit. Enimuerò vbi in nostrum non potuerant, in nouellum Catholicum vim Ministri conuertunt. coniugem ille habebat & familiam penè totam obstinatissimè hæreticam: ciuitas autem quæ penes hæreticos est, adeò erat à Ministris in ipsum

exſtimulata, vt non illi in publico, non domi eſſet à conuiciis quies. ſed ipſe inter hæc cæleſtibus animi deliciis vberrimè affluebat, peruicitque patientia, vt familiam totam præter coniugem Eccleſiæ adiungeret. Duplex deinde cum loquaci Miniſtello congreſſus habitus: in quo adeò ille deſpicabilis ſuis redditus, adeoque eius vanitas omnium oculis eſt aperta, vt nullibi ei minor quàm apud ſuos quies eſſet, ſacroſanctum crucis ſignum frontibus appingere fas iuſque eſſe, & ſacrarum cæremoniarum vſum Chriſtianæ pietati plurimùm conducere, contrariis ſuorum admurmurationibus fateri eſt coactus. atque vt ea credo quæ nolenti veritas expreſſerat, volens dediſſe videretur; accerſitus aliquando ad mulierem moribundam nobiliſſimi ſanguinis, cùm illa plus ſe occulti ſceleris conſcientia quàm morbo laborare prædicaret; iuſſit homo lepidus omnes qui aderant cubiculo excedere, & prouolutus in genua rancidæque aliquid precatiunculæ ſubmurmuratus, mulierem hortari eſt adorſus ſecreta animi ſibi aperiret; vnam eſſe quietis viam ſi pectus intimum paſtori ſcilicet optimo vellet eſſe patefactum. edixit credula mulier ſcelus ſuum, & ille detecto protinus capite manum iacentis vertici imponit, iterumque ac tertiò genibus incumbens ad extremum de peccati condonatione ſecuram planè certamque agere mulierem iubet. Conſpicabantur haud procul ridiculos inſani mimi geſtus viri aliquot è Caluiniano grege non gregarii, qui redeuntem hominem & tunc atrociter verbis exceperunt, & in grauiſſimam poſtea apud omnes inuidiam adduxerunt. Sed iam Arauſione excedamus.

Missio Manuascensis.

AD has Missiones duas tres itidem annuæ adie-ctæ, Manuascensis, Vticensis, Tricastrina. sacerdotes singulos cum sociis singulæ habuerunt. Manuascæ hoc primùm anno auditus noster; Vticæ & Tricastri secundùm. De his dictum anno superiore, de illa nunc dicendum. Vrbs est in superiore Prouincia supra Druentiam, quam hinc vallis vberrima amœnissimaque, inde extremæ Alpes sunt amplexæ. Hanc sedem suis erroribus aptissimam arbitrati, qui in Prouincia degunt Caluinistæ, à rege senatuque Aquensi omni ope impetrarant, vti sua ibi sacra palàm atque in publico ius esset exercere. eapropter in vrbem leuissimè antea Caluini lue contactam inductus Minister magnam breui tempore depopulationem facturus esse credebatur. nec temere, si, vt se dederant initia, ita cetera euenissent: nam vt in illam vrbem pedem immisit veterator hæreticus, incautos homines suarumque fraudum planè inscientes nactus, bellissimè illos in suos casses prolectabat, blandum illi erga omnes alloquium, prompta ad omnia assentatio: acres istas de religione controuersias palàm incusabat, & cùm frontem perfricuerat, quod sibi quisque sequendum iudicasset, hoc salutare esse affirmabat. perfecerat istis moribus non nimis pro Ministrali ingenio turbulentis, vt congressu eius Catholici non abhorrerēt. accedebat eò quòd paratum illi semper domi conuiuium, & creberrimæ Catholicorum inuitationes: sic primarios ciues & opulentos venabatur. at erga tenues longè apertius aucupium: numerabantur nec petentibus, nec opinantibus pecuniæ: mutuum liberùm quòd si liceret, red-

deres;

deres; si non liceret, tibi haberes, vel nolentibus ingerebatur has aliasque id genus artes, qui inter eos erant oculatissimi facile detegebant, vulgus pro ingenita imperitia hoc tantùm nouerat admirari & laudare. at illi orienti malo obuiam eundum rati, de saniorum ciuium consilio Auenione concionatorem accersunt. nemo vnquam tam repentè obstupuit sideratus, quam ad nostri nomen Ministellus. omnis ei illico modestiæ & religionis species est excussa; cædem deinde, incendia, direptiones & cetera Caluinianæ disciplinæ acroamata tantùm loquebatur. At noster pacatè omnia atque ex præscripto ordine aggressus, paucis diebus eam animorum conuersionem fecit, vt qui alienos antè aucupatus fuerat Minister, se suosq; iam ægrè tutaretur. Vnum tum erat Catholicorum hæreticorumq; votum, alterum in alterius congressum perpellere; sed Catholicorum ardentius, hæreticorum timidius. quamobrem cùm multæ vtrimque leges certamini dicerentur, octo iniquissimas concionatoris sui nomine Catholici acceptant: nec ab eo recusantur. at Minister quod à suis actum fuerat, infectum irritumque esse voluit. visum ergo magistratui profligando homini necessarium, vt in ipsa hæreticorum concione, id est, in cubili suo fera lacesseretur. eam ob rem vicenos tricenósve Catholicos paratum turbarum obstaculum in concionem primò immittit, quos noster postmodum est consecutus. Minister vt eum adesse intellexit, adeò animo est consternatus, vt ei non iudicium, non vox, non memoria constiterit; hoc tantùm longa corporis animique iactatione egerit, vt voluisse illum dicere intelligeres, quid dixisset planè non intelligeres. Vbi exitum concionis vix inuenit, noster non alia refutatione, quàm manifesto

festo auditorum eius pudore opus esse ratus, templo excessit. Sed è Catholicis qui aderant vnus, quidquid ille iudicio dixisse visus erat, tam pulchrè postridie in magna hæreticorum corona confutauit, vt plerique omnes magnopere sint debilitati, aliqui etiam à Ministro in perpetuum discesserint. ita labanti iam miseræ ciuitati commodissimè in præsens est subuentum.

Missiones Tricastrina & Vticensis.

AT Tricastri & Vticæ, quamquam Catholicis potiùs inuigilatum, non tamen nihil hæreticis datum. Opidum non ignobile Tricastrinensis diœcesis insederat iam olim homo pestilentissimus, habitu Religiosum præferebat, munere Parochum, doctrina & moribus planè erat hæreticus, hoc perniciosior, quòd nonnulla verborum illecebra Catholicorum sibi animos obstringebat, & interea hæreticorum negotium in mendacei vestitu procurabat Magna ei cum Caluiniano Ministro consensio, omnia inter eos promiscua, nec Catholici hæretica, nec hæretici Catholica sacra adire ac participare verebantur: vt cuique proxima erat vel ecclesia vel templum hæreticum, ita se ad illa conferebat. ciborum delectus, festi dies, Pœnitentiæ Sacramentum arbitraria cuique relinquebantur: nec malè aiebant omitti, nec malè vsurpari. planè miscellum religionis portentum contexuerat, & ex opidanis dum vtrumque esse quisque volebat, & Catholicus & Caluinianus, neutrum quisquam erat. Hunc ibi rerum statum dum diœcesim lustrat nactus noster, destinat animo statim pestem illam loco extrudere, eamque ob rem Episcopum litteris quamprimùm edocet, quanto opidano-

rum detrimento monſtrum illud Religioſi diutiùs ibi eſſe ſineretur. Præſenſit homo callidiſſimus noſtri conſilium, & pulchram nec opinanti technam adornat. Miniſtrum ſub noctem, & ex opidanis audaciſſimum quemque ad ſe accerſit, & perturbato perditoque ſimilis ad Miniſtrum coram eis ſic infit: Tu quidem altùm, vt video, acquieſcis, nec ſentis quantum tibi mihique ac iſtis omnibus nox hæc periculi ſit aduectura. iam nobis ad portam Epiſcopi ſatellites, iam ad ſupplicium depoſcemur. ſimul litteras promit (fictas an veras non eſt ſcitum) quibus moneri ſe dicebat, paratos eſſe qui ipſum ad Epiſcopum raperent: ſcripſiſſe Ieſuitam de mutua eiùs cum Miniſtro conſenſione atrociter; ni prouiderent malũ ipſis creari maximum. Hic ille non ſuam tantùm & Miniſtri, ſed aliorum etiam qui in opido eſſent primarij, rem agi contendebat, enixeque hortabatur Ieſuitam opido pellere occuparent, ne ipſi pellerentur. ergo cõcurritur extemplò ad domum in qua noſter diuerſabatur: irrumpit eam inuerecundè manus opidana, & ſacerdoti opido exeundum furens denuntiat. ille enimuerò reſpondet ſe lubentiſſimè exiturum ſi commodo eorum fieret: hoc tantùm optare intelligere vnde illis tam creperum conſilium. vnum inclamatur ab omnibus, exeundum. Ceſſit noſter furentibus, & ab eis auio itinere extra opidum deductus hoc tantùm in digreſſu edixit, quando ipſi nunc, quod malè ſanis animis viſum eſſet, perfeciſſent, meminiſſent olim dum ſanitati eſſent redditi, Ieſuitam beneficio tangi, iniuria non tangi; quod ab ipſis boni animi in ſe extitiſſet, immortale; quod mali, mortale, imò iam mortuum exiſtimarent. Sic ad Epiſcopum ſub noctem deuenit. ille rei indignitate pro eo ac par erat commotus, impetrato haud

multò

multò postea senatus Delphinatus consulto in primores opidi grauiter animaduersurus videbatur. sed illi postremæ sacerdotis nostri allocutionis memores, quàm facilè ab illo per se, tam facilè ab Episcopo per illum veniam impetrarũt. ea tantùm adiecta cautio, vt ei quem Episcopus præficiebat Catholico eruditoque Parocho (nam Apostata loco iam fuga cesserat) dicto in posterum essent audientes. Plurima mihi nõ dissimilis notæ aliis locis Catholicæ rei præstita erant annectenda, sed hæc compendio memorasse sat habeo. Matrona cumprimis nobilis & opulenta in opido grandi hæresim vna fouebat, vna templum hæreticum construxerat, vna Ministrum sustentabat, vna hæreticos incolas per speciem obsequij sui opido dabat. In eo opido verba ad populum noster in transcursu erat facturus: & matronam nonnulla incessit cupiditas Iesuitam semel audiendi; sed non audebat luce & palàm, ne quàm Caluinismo, qui ab eo totus eo loco pendebat, labem afferret. quare communicato cum Catholica muliere desiderio persuasa mentiri habitum rusticano amicta cultu in turbam Catholicorum se immisit. commodùm sibi id tum noster negotij sumpserat, vt Ministrorum fraudes quas multiplices imperito vulgo adhibent, detectum iret. sauciauit mulieris animum hoc penitiùs, quò Ministralium fraudum erat expertior. itaque & Ministros sæpè inter audiendum diris deuouit, & omnem deinceps Caluinistarum tutelam planè deposuit. nec dubium erat quin idem de hæresi factura esset, si diuturnior ibi hærendi nostro potestas facta esset. Altera item matrona patria Vticensis quamquam erat hæresis tenacissima, præclara tamen viri modestia est ab hæresi absoluta. Deseruerat ille ante menses

aliquot

aliquot hauſtum cum lacte Caluiniſmum, & cum illo mores quos habebat incommodiſſimos abiecerat. id ſcilicet extemplò notauit coniux, atque ab illo aliquandò eſt ſciſcitata; vndenam illi tanta quies & morum commoditas qua vtebatur? nempe, inquit ille, à conſcientia, quæ donec turbida erat, mores ſui ſimilitudine inficiebat; poſtquam in recta fide conquieuit, ſuam in mores pacem inuexit. Mulier quæ virum antéhac expertа erat difficillimum, vt ea quæ tunc erat pace perpetua vteretur, à religione Catholica ſolidam & ipſa pacem animi ſibi accerſiuit. Sed neſcio an quidquam vtilitate vberius confectum, quàm quòd nobiles viri quatuor opidorum aliquot Domini ad Eccleſiam ſunt traducti. quamquam enim quatuor tantùm erant capita, tamen in eorum ſingulis plurimi Eccleſiæ ſunt adiuncti. Eorum vnus magna apud Regem gratia triceſimum iam annum ordines in Gallia ducebat, & noſtrorum congreſſu atque omni de religione colloquio, vt qui maximè, abhorrebat Is captus aliquando noſtri hominis comitate ſermonem cum illo miſcuit haud illibenter, ſed de aliis omnibus quàm de religione. at noſter illato ſenſim de ea ſermone, ita nec cogitantem permouit, vt multos dies ex animi conflictatione ſine cibo, ſine ſomno traduceret, maciemque ac mœrorem inſolitum vultu proferret. Verùm vbi manus dedit, atque hæreſi exſolutus Sacramentis communicauit, grauiſſimè apud ſuos eſt profeſſus, nunquam ſe tam ſolidam animo cepiſſe voluptatem. Pertexui, opinor, hactenus, vt quodque fuit belliſſimum quæ his Miſſionibus erga homines hæretici generis ſunt elaborata: nunc attexenda quibus antiquus Eccleſiæ populus aut pietate auctior, aut moribus melior eſt effectus. Pulchrum ſanè

ac

ac suaue est memorare, quàm suauiter cum iis, qui hæresi recens desciuerunt Deus se gerat. Miserat nuntium ante annos aliquot Caluini dogmatis vir inter suos honoratus, & Catholicam fidem palam profitebatur ab eo tempore. Suberat tamen adhuc vnum quo nonnihil ab ardore fidei retardaretur, quòd de Sacramento Eucharistiæ leuiter hactenus addubitaret: ergo dum ex quadam pergula, vnde in aram proximam facilis prospectus erat, sacrificanti sacerdoti operam daret, vt ventum est in eum locum quo vinum aquæ ante consecrationem immiscetur, quia limpidissimum erat, En, inquit, & mihi aliquis persuaserit hoc in sanguinem posse demutari? & cum dicto cetera tacitus perspectabat, donec ad sacrosancti calicis consecrationem incumbitur. Tum ille curiosè oculis aucupari numquidnam in ipso calice mutationis appareret Et ecce tibi cum primis consecrationis verbis vinum in calice efferuescere ac ebullire, atque illicò post vltima verba, non limpidum vinum, sed purpureum sanguinem, bullis vndique recentis sanguinis in morem coronatum apparere. Hîc ille tanto spectaculo perculsus solo pronus aduoluitur, & diffidentia sua verbis atrocibus incusata, omni execratione caput suum deuouet, si vnquam postea de tanto Sacramento vel leuiter dubitarit. Rem totam ipse deinde iuratus coram multis testibus est professus. Nec minor fuit Dei suauitas erga eum quem antea memoraui militem Arausicanum. cogitabat ille festiuo anni die ecclesiam cum prima luce, & ab vxore, cui pridie pecuniarum suarum claues commiserat, nummulorum aliquid in pauperum arculam de more immittendum postulabat. vxor, vt est hæreticarum mulierū impudentia, Egóne, inquit, vt tuis Purgatorij animabus

ſtipem cōferam? priùs hodie à me animam quàm nummum extorſeris. ille vt erat animo iam ad diei ſanctitatem comparato, nihil tum in illam aſperius conſulendum ratus, integra pace domeſtica templum petit. ſecundùm Sacra cùm admodum malè ei eſſet animo, quod nihil in cibos pauperum conferre poſſet, ac manum aliud agens in veſtium, quas nunquam ante eam diem geſtarat, perulam immiſiſſet, nummum inibi adeò recentem reperit, vt eodē die cuſus videretur. ſic & animo lætus lubenſque fecit ſatis, & in ſuſcepta fide mirificè eſt conſtabilitus. At in Catholica plebe, quæ fidem iniquiſſimis temporibus omnis Chriſtianæ indiga opis conſtanter tenuit, mira nunc planè eſt diuini verbi ſitis. Binis ternı́ſve in die concionibus non explentur. Quadrageſima binę fermè omni die conciones à noſtris omnibus habitæ, & catechiſmi explicatio bina quothebdomadis nunquam intermiſſa. Arelate etiam vbi ſacerdos vnus Quadrageſima verſatus, dramatica rerum catechiſticarum expoſitio data, hominum haud ſatis antea nobis addictorum animos immortaliter conciliauit. Acceſſit ad fructum quòd plerique omnes vrbium opidorumque Parochi ritè inſtituti, vt à noſtro diſceſſu, catechiſtarum ipſi munus per ſe fungerentur. Quibus locis virginum erant monaſteria, ad eas bis in hebdomade de vita monaſtica ſermo habitus. Factum id Arelate, Cauallione, Maſſiliæ, nec inutiliter. Aliæ iam transfugium ſpectantes in veteri inſtituto confirmatæ. Apud alias inductus confeſsionis communioniſque vſus menſtruus, qui antè erat trimeſtris Aliæ diſcuſſas ab exordio vitæ maculas vna confeſsione ſingulæ expurgarunt. Magna erat Nemauſi antehac in pleriſque Catholicis vitiorum omnium, quæ conuehit hæreſis, colluuio.

hoc

hoc vno hæretica vrbe habitare videbantur, ne Catholicis legibus tenerentur: hoc vno ab hæresi in hæretica vrbe abstinere, vt ne ad hæreticorum quidem munia adigerentur, sed exleges planè & aliis omnibus soluti, vnam legem haberent cupiditatem. Nullum eis dierum, nullum erat ciborum discrimen, omnia & sacra & profana pessimis artibus venalia. at nunc illud principio ibi impetratum, vt festi dies non modò à Catholicis sanctissimè, sed ab ipsis etiam hæreticis ex Regis edicto celebrentur. Quadragenario Ecclesię ieiunio tanta Ecclesiasticæ legis religio frequentatis concionibus est inducta, vt serui antè dominorum ædibus excederent, quàm vetita degustarēt: & mendicæ mulieres, quibus omne subsidium in manu aliena, ne aliquando, vt fit, in vrbe, in qua hæreticorum potior numerus, dubiis vescerentur cibis, tenues herbas hinc inde carperent, & solo famis condimento paratas, suspectis hęreticorum cibis anteferrent. Nec minùs concionibus effectum, grauiter & sæpè accusatis Catholicorum cum hæreticis connubiis, vt virginibus in auita religione educatis, quę vbi hæreticis nupserant, in eorum impietatem abripiebantur, in posterum prospectum esset. Longè absimilis erat Catholicorum qui Arausione degunt viuendi modus ab eo qui in aliis hæreticarum vrbium ciuibus est memoratus. Probi plerique omnes & pij, quadraginta ipsos annos meram ab hæreticis seruitutem sunt perpessi. non illis olim fortunarum, non liberorum, non suorum corporum potestas erat: fortunæ bellicis sumptibus, liberi Caluinianæ impietati, corpora muniendis hæreticorum arcibus addicebantur; quo maiore animorum sensu posteaquam respirarunt, diuina solent degustare. ternas quaternásve horas audiendis aut

concionibus aut sacris dare, ludus eis est & voluptas: vix eos extra ecclesiam Dominica dies videt. Quadragesima adeò non vetita cõtigit quisquam, vt ne ii quidem quibus aut valetudo aut ætas exceptionem dederat, priuilegio voluerint vti. Sed hic inaudita hereticorum eluxit improbitas, qui inuitatis solito crebriùs Catholicis, ea piscium condimenta apponebant, quæ mentito sapore carneum cui permixta erant iusculum non referrent; sed detecta semel fraude per Quadragesimam non inuenere conuiuam. Quidam ex eo genere cùm super cœnam multa in Ecclesiasticum ciborum delectum, multa in Religiosos homines Arausione degentes effutiisset, voratísque ampliter carnibus in somnum decubuisset, vt euigilauit postridie, cùm diceret numquam se suauiùs edormisse, cum voce vitam efflauit. Cumulus fuit huic Arausicanorum pietati supplicatio per mensem Septembrẽ, nostro agente, instituta ad Auenionensem Ecclesiam. nongenti fermè homines bini ternívе ante hæreticorum oculos tota vrbe incedebant. præibat longum candidatarum virginum agmen cereis candentibus illustre, laudes precesque Beatissimæ Virgini suauiter decantans. excipiebat spectabilis monachorum clericorumque cœtus, Sacrosancti IESV nominis Litanias musicis modulis ad grauitatem pietatemque compositis percurrens. Extremũ agmen claudebat magistratus, viri mulieresque magno numero. effundebantur obuiàm transeuntibus ciuitates totæ, pro se quæque ingerentes, quæ esui potuique erant necessaria, & magnam viæ partem supplicabundæ prosequentes. ita Auenionem biduo peruentum, vbi a Pontificis Prolegato eo apparatu sunt excepti, vt res fuerit exempli rarissimi. Ducti primùm in amplissimum Franciscano-

rum templum, & paratis inibi ſacerdotibus vitæ maculas ritè profeſſi, tum Prolegato ſacris ſolemni Pontificum ritu operato ad ſacras epulas magno animorum ſenſu admiſſi omnes. Has excepit lautiſſimum conuiuium in palatio Apoſtolico nongentis illis hominibus magna diligentia inſtructum. Non tenebat lacrymas hæreticæ barbariei inſuetus populus, cùm vel ciborum illam copiam lautitiamque, vel Pontificium Prolegatum linteo præcinctu miniſtrabundum menſas perluſtrare cõſpiceret: nec ſe quiſquam operæ ſuæ pretium habuiſſe iudicabat, qui non de eius manibus poculum cepiſſet. Secundùm epulas vrbe honorificè deducti, & præmiſſo ciborum apparatu, in quodam opido ditionis Pontificiæ ſequenti nocte metari iuſſi, poſtridie ciuitatem ſuam læti omnes atque incolumes tenuere. Mirum quantos animorum motus vel ipſis hæreticis dederit eius ſupplicationis commemoratio. Viceni & quini ab eo tempore fidei reſtituti. Duo tantùm Arauſicano huic populo ex tam longa hæreticorum conſuetudine leuiter adhæſerant: malum fœnebre & odia inteſtina. Alterum inducto Chriſtianæ liberalitatis vſu fermè extinctum. nam cùm magna vis eſſet egentium Catholicorum, qui ſuperioribus hæreticorum iniuriis erant attriti; inſtitutum matronarum nobilium Sodalitium, quæ corrogatam Dominico die ſtipẽ ad primarios viros duos, alterum Eccleſiaſticum, alterum è prima nobilitate deferant, ac deinde inter tenues Catholicos pro cuiuſque egeſtate diuidatur. Nec ſe Arauſicano pomœrio caritas tenet. in viciniam etiam ab iiſdem matronis quà erogandis, quà corrogandis pecuniis excurritur. Vnum in iis excurſionibus perinſigne contigit. matrona antiqui ſanguinis dum viciniam tribuendis potiùs ſuis quàm

alienis colligendis lustrat, in rusticanum tugurium casu delata miserabili spectaculo interuenit. Iacebat in nudo solo mulier vidua morbo simul & egestate afflictissima: circumstabant vulturij duo Caluiniani homines, qui oblatis præsentibus pecuniis & magnis in futurum propositis præmiis fide illam deducere connitebantur. commota indignitate rei matrona, & illos in præsens auctoritate qua pollet plurimùm ab hac animarum nundinatione egregiè repulit, & miseram mulierem non modò in vrbem, sed in domum, sed in cubiculum ac cubile suum illatam diligentissimè habuit; donec illa morbo libera fanaticorum simul hominum molestia liberaretur. quæ res vbi in vulgus emanauit, tam insigni exemplo permoti Caluini fautores duo Ecclesiæ se adiunxerunt. At alterum illud Arausicanorum malum inimicitiis, quod quis miretur in non maxima ciuitate, sexagenis senis probè compositis, penitissimè est detersum. Sed profectò non minùs mirum videri debet, si ex eo quod modò in Galliis publicè conflagrabat ciuilium dissidiorum incendio multi adhuc igniculi priuatorũ pectoribus confouentur. Non vnius est Arausionis hoc malum. Digniæ, quæ ciuitas est superioris Prouinciæ, vbi vnus è nostris Quadragesima auditus, tot inter primam gentis nobilitatem inueteratæ, atq; olim fortè internecinæ inimicitiæ restinctæ, quot ibi dies noster fuit Quadragesima quadragenæ. Manuescæ opida duo antiquis causis discordãtia, atque infestis animis concursura, ni publica pax inhiberet, condonatis inuicem offensionibus, pacata. Cauallione Pontificiæ ditionis vrbe, septimum iam annum grauis dissensio capita vrbis distrahebat. nihil publici, nihil priuati gerebatur ritè, vnũ vniuersis studium æmulis contradicere, omnis consilij,

consilij, quamuis egregij, quod non sui attulissent, singuli inimici. quæsitum iam inde a septennio huic malo remedium hoc demum anno inuentum: nam persuasus, qui offensionum auctor fuerat, veniam ab aliis postulare, fregit æmulatorum animos, & in loco publico mutuò amplexati omnes in gratiam redierunt. Aramone Occitano opido orto inter honestas mulieres iurgio, altera conuulnerata de vita periclitabatur. non poterat obtineri à marito, vt cum ea quæ læserat pax coiret: sed nostri suasu qui eo loco hebdomadis aliquot est concionatus, maritum moribunda mulier salubriter est ludificata. nam æmulam mulierem dissimulato vestitu per speciem muliebris obsequij ad se admissam amantissimè exosculata, noxam ei omnem & offensionem remisit. Auisani Pontificio opido concionator noster Quadragesima moratus, odia duodecim inter diuersæ sortis homines composuit. sed vnum fuit memorabile. Eques nobilissimus, spes antiquæ familiæ, cæsis haud pridem in iurgio fratribus duobus, in idem exitium trahebatur: contraxerat cum fortissimo milite inimicitiam, & studio partium tota propemodum Delphinatus nobilitas erat excita. ducenti equites nobilis prouinciæ flos, priuatum duorum odium fecerant suum. id noster subodoratus (rem enim hactenus duellorum in Gallia pœnas veriti secretisśimè agitabant) auctores fautoresque disśidij, qui in Pontificiam regionem, quò minor in se suaque regiis hominibus actio esset, conuenerant, priuatim adit, nihil non adhibet, vt res antequam erumpat, opprimatur. sed frustra fuit: armati omnes in condictum locum descendũt. id vbi noster resciuit, magno impetu, capite intecto, cruce insignis in medium iam procurrentium turmarum sese infert. represśit ea fa-

cies iam incitatos, & ille orsus dicere tanto animi ardore & verborum pondere in duellorum execrationem, vt dilabentibus sensim vtriusque partis fautoribus, ipsi auctores postremò cesserint: quos ille insecutus tandem in amicitiam reduxit; nec fuit vllus ex tanto fautorum numero, qui non expiato rite animo Ecclesiastica censura sit à nostro absolutus. Tantæ est sæpè operæ hominem homini, at Deo hominem conciliare, raró tantæ. Vix concionem vnam habuerant sacerdotes nostri de ea quæ animum expiantibus necessaria solicitudo, ne quid aut negligentia subtrahat aut pudor præpediat; cùm frequentissimi homines in totam inquirentes vitam crimina à principio recensebant. Massiliæ concionem eiusmodi excepere paucissimis diebus confessiones de tota vita apud vnum sacerdotum 240. eo confitentium ardore, vt multi à prima luce ad vesperam ieiuni in templo perstiterint ne confessio differretur. Cauallione similis concio octonis fermè diebus septuagenos ad idem excitauit, Vasione eodem temporis lapsu quinquagenos, Nemausi vicenos, Arausione totidem. Sed illud propè maximi est in hæreticis hisce vrbibus momenti, quòd mirabilem de nostrorum hominum in audiendis confessionibus integritate opinionem conceptam habeant. Auditus aliquando Minister iudicio nescio, an leuitate animi, in publico profitens si confitendum sit, Iesuitæ confitendum: quò factum est vt Caluinistis ipsis aspera confessionis facies, qua nullum maius terriculamentum habent, non parum in dies leuior faciliorq; videatur. Ac Catholicos, maximè qui Arausicæ degunt, videas sæpè horrente hieme intecto in templo medio luto niuibus pluuiisque conflictatos ad multam noctis horam permanere, vt scelerum

rum conſcientiam temporiùs apud ſacerdotem noſtrum deponant. non teneas deinde lacrymas, ſi eorum in huius Sacramenti vſu lacrymas videas. Nemauſi illud Quadrageſima effectum, vt magiſtratus peruicaciter licet hæreticus liberum ſacerdoti ad vinctos aditum permitteret, quò & Catholicos audiret confitentes, & facta inibi re ſacra Chriſti corpore participaret. Nec minùs interea elaboratum ibidem, vt qui labe ſimoniaca capitaliſsima huius regni peſte tenebantur, ritè abſoluti in integrum reſtituerentur. ſeptem infami illa porrigine liberati. Digniæ diœceſim propè quanta eſt cum Epiſcopi Vicario luſtrabant ſacerdotes è noſtris duo. & illa in vulgus fortè inceſſerat perſuaſio, nullam eſſe bonæ fidei bonæq; mentis notam maiorem quàm ſi noſtris quis confiteretur: eo factum vt per id tempus quod inter Natalitia Quadrageſimamque interceſsit, tria hominum millia & eo ampliùs duo illi ſacerdotes ritè expiarint. Annexa eſt frequentiſsimè huic Sacramento alieni reſtitutio, ad quam non parum noſtris hiſce Miſsionibus promotum. Digniæ res accidit in eo genere principio luctuoſa, ſed exitu vtiliſsima. Vir illiciti fœnoris penè publicè manifeſtus, repentina afflictus ægritudine ad mortem agebatur. non illum medici, extrema licet adeſſe intelligerent, inanem operam ſuſpicati, non coniunx aut heredes qui aderant, reſtitutionis magnitudinem veriti, non vllus familiarium de ſalute commonere, non ipſe aut meminiſſe aut curare, haberi quinimo eius periculum occultiſſimè, ne quid ei aut à noſtris aut à Parocho ſi rem cognoſcerent prouideretur. ita ille pauciſſimis diebus nullius Sacramenti, nullius Eccleſiaſticæ orationis particeps viuis eſt exemptus. dum funus ducitur, ſerenum priùs tranquillumque cælum in

maximam repentè tempeſtatem vertit, venti turbinatim concitati, aër ita contenebratus, vt nox eſſe medio die videretur, atque interim veſpillonum humeri onere maximam partem liberati, & cęlo confeſtim prima ſerenitas reddita. poſtquam ad eccleſiam eſt peruentum, aperta coram multis teſtibus ſandapila planè vacua eſt reperta. vidit rei miraculum coniunx, viderunt heredes, audiit tota ciuitas. igitur inſtante noſtro pro ſe quiſque animo conſulere aggreditur: vidua quidquid ab eo ſibi teſtamento relictum erat planè remiſit, heredes quantum in illius bonis iniuria quæſitum agnoſci potuit, aut veris ſi licebat dominis, aut egenis ſi non licebat tribuerunt. Ciuitas autem tota adeò tum miſeri illius fato, tum aliorum facto eſt commota, vt ab eo die ad Quadrageſimæ exitum viginti aureorum millia ſint à diuerſis iuſtis dominis reſtituta. Nuſquam alibi tantus in hoc genere fructus, ceteris ſimul Miſsionibus ad decem tantùm millia eſt reſtitutum. Sed in eo permagna ab egena plebecula gratia inita, quòd conuerſis in melius multorum moribus magna pleriſque locis fœneratorum facta depopulatio. Altera item eſt huius Sacramenti lacinia, præſtigiarum dæmonis diſſolutio eam ad rem quæ inſigniter ſunt præſtita, mihi nunc memorandum. Mulier honorati loci pluribus iam diebus ſpectris horrificis terrebatur, mille illi locorum facies, mille animalium ſpecies diu noctuque obiiciebantur. ſæpè eam feneſtra in medium vicum dæmon extulit, ſæpè ſolo afflixit, ſæpè in aquam immittere tentauit; demum noſtro accito vbi animum confeſſione compoſuit, omnes illico inferni tenebrionis fallaciæ diffluxerunt Altera mulier veneficiis infamis ingenuum adoleſcentem tam miſerè artibus ſuis perdiderat, vt in libris magi-

magicis quos venefica ingerebat simul & explanabat, magnam otij partem insumeret: iamque eò curiosa dementia venerat, vt noxiæ artis experimenta capere secretò conniteretur: sed re maturè detecta Sacramentis expurgatus periculoso studio est auulsus. Nec absimilis fuit alterius adolescentis euentus, qui pluribus mensibus panis esu veneficio fuerat impeditus: is vnica confessione è vestigio est expeditus. Tertius atra aliquãdo bile obsessus, non obscuris dæmonum incitamentis sibi necẽ consciscere meditabatur; sed occupatum salubri confessione præceps consilium. Non tam apertis, sed non minùs noxiis petebantur ab eodem auctore fallaciis viri tres alii, qui quoniam intestinis hisce Galliæ tumultibus haud satis perspicuis artibus ad magnas pecunias deuenerant, publica auertisse senatus sententia iudicati, facultatibus exuebantur. Eorum vnus inedia, duo resti vitam simul & quam inprimis oderant paupertatem terminare cogitabant: sed noxas animæ deponere à nostro persuasi, sanioris consilij compotes facti. Non discedam ab ista præstigiarum dæmonis dissolutione, quamquam à confessionis fructibus discędam. Enituit cùm sæpè aliàs, tum maximè casu miserabili hoc anno quid in cerea agni Dei imagine esset aduersus dæmonis artes præsidij. mulier non vulgari sorte trimestrem quem habebat filium maleficarum insidiis peti sentiens, ceream id genus icunculam sibi à nostro impetratam de puelli collo suspenderat. sæpè ei postea ad pueri cunas strepitus nocte intempesta inauditus, sed illato lumine omnia phantasmata dilabebantur. demum infelici sorte factum vt dum noctu puer exuitur, dilapsa inter vestes icuncula nusquam reperiretur: igitur dum nocte rursum media solitus strepitus increbuisset, inducta

cta lampade puer exanimis eſt repertus. Paternis, quod opidum eſt Pontificij dominatus, miſera mulier plurimos iam annos à dæmone inhabitatur. eam ſacerdos panibus aliquot in dies donare conſuetus, minutam ſacræ ceræ micam incluſerat pane, ea cautione vt nec appareret, nec periret. apparuit tamen improbo mulieris hoſpiti, qui & illam tunc mirè excruciatam panibus abſtinuit, & poſtridie medio templo voce horribili exclamare coëgit, miſſum ſibi pridie a funeſto latrone venenum. noſter qui ibi Quadrageſimam concionandò agebat, rem totam populo explicare improbum dæmonem pro ſacerdotali imperio adegit, tantumq; exinde plebi illi cerearum imaginum deſiderium inceſſit, vt nullæ eſſent poſtulantibus ſatis. At Digniæ longè inſignius liquidiuſque patuit earum imaginum aduerſus tenebricoſi hoſtis aſtutias momentum. Plebem vrbanam aliquot iam dies homo præſtigiator ſpectaculis inſolentibus dementabat, acetabula, calculoſq; miris artibus agitare, naumachias, pedeſtres equeſtreſque copias in ſupremis ædium tabulatis populo oſtentare, aliaque humanam artem excedentia patrare. ludus ei ſolemnis erat. queſtus noſter cum magiſtratu, quòd plebem tam horrendis ſpectaculis perire pateretur; vbi nihil impetrabat artem admolitur, notum pietate hominem ad ſe accerſit, & ſacram ei ceram collo appendens profana ſpectacula adire, ac longum crucis ſignum ſibi liminique appingere mandat. fecit homo quod iuſſus erat magno ſenſu pietatis, & tam repentè omnes præſtigiæ cubiculo delapſæ, vt ipſe præſtigiator rei inſolitę ſtupore perculſus tantùm non ſolo ſit afflictus. parabat nihilo ſeciùs noua ſpectacula, ſed diutiſſimè obmurmurans nihil vnquam producere potuit. ſenſere ſpectatores

ludij angustias, & mirabundi inquirebant quidnam ei à mala manu mali esset obiectum. prodiit facti auctor, & enimuerò, Nihil, inquit, à mala manu mali, sed a bona non parum & vobis & illi, si agnoscitis, boni obiectū. simul rem à principio narrare aggressus, & istos ab ea pernicie abduxit, & illi fugæ extemplò capessendæ caussa fuit. Agmen mihi coget earum rerum commemoratio quæ & templis & nosocomiis in antiquum splendorem restituendis non vulgariter sunt excogitata. Incubuerant plerisque locis nosocomia in ruinas, aut ab ipsis vrbium incolis, ne hostibus, quia plerumque suburbana, receptaculo essent, aut ab hæreticis olim deiecta. septena id genus aut rursum erecta, aut vrbana aliqua domo commutata. Digniæ & vrbano nosocomio bina aureorum millia extruendis aliquot cubiculis, quibus ægræ mulieres seorsim à viris haberentur, & suburbanis elephantiacorum ædibus trecēti attributi. Actum præterea ibidem, vt rigente hieme, quæ mendicæ plebeculæ grauior, quia inertior, victus de publico mendicis omnibus tribueretur. atque vt in posterum egeno vulgo caueretur, nec nostris digressis omnis vt sæpè ardor intepesceret; Sodalitia matronarum plerisque locis instituta, quibus curæ foret nosocomia vicissim adire, cibos ægrorum probare, Rectoribus quod è re pauperum foret suggerere, ac priuatis demum eleēmosynis pauperes augere. Factum id Massiliæ, factum Arausione, factum Aramone. At templorum ornatui, qui tota circùm regione plerumque minimus, plerumque etiam nullus inuenitur, haud minus fuit impendendum. Quinque eam ad rem aureorum millia variè conquisita, variè sunt assignata. Opido etiam S. Marcelli apud Heluios duplex virorum Sodalitium, tum sartis tectis, tum ornatui templorum

procu-

procurando probatis ab Episcopo legibus est institutum. Sed istud longè pulcherrimum, quòd non paucis harum Missionum locis, cruces lapideæ grandes in vrbibus, in agris, in viis publicis denuo erectæ, quas furibunda hæreticorum manus omni olim loco exterminarat: vt nec qui antiquam pietatis Gallicæ faciem viderunt annosi homines, nec qui in hac semper sacrorum desolatione versati, nascentem denuo religionis splendorem sine lacrymis contueri possint.

Collegium Turnonense.

RERVM in hoc Collegio gestarum capita duo. primùm quæ domi, deinde quæ foris gesta sunt reponemus. Auxit scholasticorum omnium ardorem mirificè Reuerendissimi Archiepiscopi Viennẽsis pietas & munificentia, qui & sua sæpiùs præsentia magistros omnes honestauit, & pia cohortatione publicè auditores nostros sui muneris admonuit, & vertente studiorum anno diligentiores munificè præmiis donauit. & nescio an iudicium illius (eo enim scriptionũ iudices vsi sunt præside) magis excitatit, quòd à tanto Præsule se viderint senserintque probari. Sed in area datum drama de Diuo Augustino ad meliores mores fidemque conuerso, ita tenuit auditores omnes, mirum vt sit quàm admirabile omnibus visum. Domi nostræ per aliquot dies fuit quà pietate, quà rei militaris scientia clarissimus Baro, vt peracta generali peccatorum confessione ad Sodalitium maius B. Virginis adscriberetur: qui erga nos ita affectus est, vt præter alia & nos omnibus Annalibus Baronii donarit, & Societatis nostræ nomine, quia aliud non licebat, infantem de sacro fonte suscipi, & nostrorum præsentia atque conci-

cionibus infantis baptiſma voluerit decorari. Aliquot a noſtris Eccleſiæ redditi: quorum vnus eas radices in hæreſi totis quadraginta & ſex annis egerat, vt in ea ab eius animo extirpanda, & Rector & alij laborarint plurimùm: eum tandem Eccleſiæ abiurata hæreſi reſtituerunt. Illuſtrior alterius conuerſio. hic primùm cùm verbo non crederet bibliothecam iuſſit aperiri, & factus mendaciorum ſuorum teſtis oculatus, hæreſim publicè abiecit, obluctante licet hæretico patre: & ab eo tempore tanto æſtuauit zelo & ardore fidei, vt intra duos menſes alios nouem Eccleſiæ Catholicę adiunxerit In eo genere reponendi aliquot è noſtris ſcholaſticis, quos cùm (quia tempora exigebant) admiſiſſemus in ſcholas hæreticos, breui Catholicos habuimus ea cōſtantia, vt neque anathematis Miniſtrorum, neque multa à parentibus ideo impoſita potuerint à propoſito reuocari. imò ad ſuos iniuſſu ſuorum & Miniſtrorum reuerſi fidem Catholicam ſunt profeſſi Reponēdus etiam ſacerdos idemq; Religioſus, qui in omnium conſpectu oculiſque horrenda anathematizatione abiurauit hæreſim. fecit idem mulier, quæ à tenera ætate venenum hæreſeos combiberat. Reliqui ſunt in eo genere coniuges, quos Deus contemptis noſtrorum colloquiis ita pertraxit. Eodem in lecto cùm decumberent, inter dormiendum videre ſibi viſi deturbatores eccleſiarum ſibi notiſſimos, in imo quodam puteo, vnde flammarum denſiſſimi globi irrumpebant, iacere miſereque torqueri: quo viſo ita permoti ſunt, vt ad Eccleſiam ſtatim redierint: ſed eo ardore mulier vt quatuor minimùm horas ſingulis diebus impendat orationi, corpus ſæuè flagellis diuerberet, ciliciū nunquam deponat, diebus feſtis peccata confeſſione eluat, & Sacroſanctæ Euchariſtiæ pabulo

ſeſe

ſeſe reficiat, de Deo ſemper aut loquatur aut cogitet. vtile ſanè diuinumque viſum, quod tanta morum conſecuta eſt mutatio. His non abſimile quod ſubiecturus ſum. Differebat aliquis confeſſionem. noctu ergo vidit dæmones duos, quorum alter intra fornacem multorum animas torrebat, alter intrare compellebat. quo viſo conterritus cùm eſſet, ecce tertius adfuit, humana tamē ſpecie, neque ea formidabili, qui hæc ingeminaret, Quin tu qui hæc aſpicis peccata tua ſacerdoti legitimo exponis? ille vt ſurrexit è lectulo, paruit, & apud nos per confeſſionem peccata depoſuit. Venit etiam bidui itinere Eccleſiaſticus è principibus, vt in templo noſtro peccatorum onera deponeret, quod magno pietatis voluptatiſque ſenſu ſe feciſſe teſtatus eſt. Excultus etiam domi noſtræ vir aulicus, & olim militaris, & ferreus, Regique bene charus, exercitiis ſpiritualibus B. P. N. Ignatij, vt depoſito ſuperioris vitæ genere, in propoſito religioſę confirmaret ſeſe. quod fecit vtiliſſimè. Pax duabus ſororibus ſexennio toto mutua familiaritate colloquioque carentibus reſtituta. Claudam hoc caput re memorabili. die Dominica Palmarum è plebe quidam furere cœpit & ita bacchari, vt toto vultu verbiſq; in blaſphemas voces crebrò erumpentibus ſpiraret dæmonem. Domeſtici ſubito caſu perculſi flere, orare. caſu ſacerdos è noſtris illac iter fecit, ſtrepitum audiuit, ingreditur, hominem conſpicit ita inſanientem, vt cùm ab eo ſibi timeret, qua erat animi conſtantia corporiſque robore, valenter ſit complexus, & inuocato S. Hieronymo & B. P. N. Ignatio, iniectoque collo agno Dei ſanæ menti energumenum reſtituerit. ſtatim enim ſacratiſſimum IESV nomen pronuntiat, & petita à domeſticis venia ad quietem ſe componit, omninoque

à

à quiete conualuit: nam paucis pôst diebus cùm eum ſacerdos noſter offendiſſet, Vt te habes? inquit. addit ille, Optimè, & tua & huius agni, quẽ geſtabat, gratia. Reddamus ea quæ foris geſta à noſtris concionatoribus, quæ breuitatis gratia niſi vbi erunt ſingularia ad quædam capita reuocabimus. Eccleſiæ reconciliati ſupra centum. aliquorum conuerſio digna memoratu. In his cauebat vnus diligenter ne cum noſtris ageret: ſed morbus miſerabilis (voluulum medici vocant) miſero ſalutis initium fuit. Clàm enim aduocatus concionator noſter tam efficaciter eum eo egit, vt hæreſim abiurarit, peccata confeſsione expiarit, magno omnino animi ſui bono: ſequenti enim luce ad meliorem, vt ſperamus, lucem euolauit. In his & ſenes duo, quorum alter à confeſsione & communione obiit, alter conualuit, ſed non ſine pugna. venere nobiles hæretici, venit & Miniſter ſtipatus coniuge. diſſuadere illi conati, quod bene noſter perſuaſerat; ſed cùm nihil efficerent, ad magiſtratum conuolant, queruntur edicta regia à noſtro ſacerdote violata, qui ſua quemque viuere in religione non permitteret. hìc magiſtratus hominem euocare ad ſeſe: qui vbi comparuit, ne expectata quidem interrogatione iudicis, Quod feci, inquit, & ſalubriter & ſanè feci, & quod iſti malè queruntur, omnino liberè. In eam rem acciti teſtes, & impetratum à iudice de Catholicorum conſilio, vt id referretur in ſcripta, quibus ſuo tempore ad innocentiam ſacerdotis noſtri tuendam vterentur. Hæretica mulier inceſtus infanticidiique rea tenebatur in carcere, datura ſuo tempore ſcelerum illorum pœnas; ſed antè rediit ad Eccleſiam, & totos tres menſes, quibus in carcere fuit, ita ingemuit ob ſcelera, ita ſe in fide confirmauit durauitque, vt à carcere tanquam à car-

FFf ceribus

ceribus credas in cælum emigrasse. Rustica puella Catholica illa quidem, nuptura tamen seu sua, seu amicorum sententia fabro ferrario Caluinistæ pertinacissimo, iam ad Caluinianam synagogam venerat: à qua cùm quæreret Minister an Missam ceteramque idololatriam execraretur, obstupuit illa primùm; sed vbi sese collegit, annulum nuptialem detractum digito indignabunda proiicit, seque ex illo cœtu Caluinistarum proripit. sacerdoti mox nostro sistitur, qui cùm & factum & puellam collaudasset, adeoque felices nuptias sponderet; ecce post octo dies vnà cum coniuge iam Catholico ad patrem redit, & ritu Catholico nuptias contrahit. Puella alia nobilis, in alio genere, nobilis animi argumenta dedit. Erat illa in hæresi, in qua magna prorsus alebatur cura, tandem addixit se pietatis operibus, ad ecclesiam sæpiùs adire, sæpiùs sacra Biblia legere. hîc capta virgo, cùm enim legentẽ offenderet sacerdos è nostris: Quid inquit, legis? Quod cùm exposuisset Pater, & imperitiam Ministrorum sacram Scripturam peruertentium conuicisset; postea in Catholica religione quam fuerat amplexa tam solida veræ pietatis argumenta dedit, quàm antea in hæresi pertinax erat. Illustris fuit Diensis opidi gymnasiarchæ ad Deum conuersio & Romanam Ecclesiam. Ille noster olim discipulus partim iuuenili æstu, partim librorum hæreticorũ lectione corruptus, ita pertinaciter defecit ad Sectarios, vt eam ob caussam & Beneficia Ecclesiastica duo, quibus fruebatur reliquerit, & patronum erroris sese exhibuerit acerrimum. iam iamque in possessionem hæretici Ministri ingressurus cœpit subuereri nequid lateret in opinione sua fraudis. quia ergo magistrorum opinionem vnà cum religione non deposuerat, sacerdotem nostrum adit dissimulanter,

ter, illique dubitationes omnes suas de Eucharistia latinè proponit: noster hominem admirari. promptus enim ille in loquendo, in quærendo subtilis, solers in intelligendo. Et verò noster deprompsit ingenij facūdiæq; vires, & modesta disputatione (id enim contra hæreticorum morem ferebat seruabatque iuuenis) hominem pressit oppressitque, errorem dedocuit, docuitque quam antea apud nos hauserat veritatem. Enimuerò propter mineruale & cætera item bona sua, rem tegere, & gymnasium tametsi hæreticum tamen repetere. sed tandem impatiens moræ omnia abiicere, & ad fidē redire palamq; hæresim abiurare. Neque hoc contentus Reuerendissimū Episcopū Valentinensem adiit, & apud eum errores superiores eiurauit. Sed dum parat reditum, venit in mentem Diaconus quidam è Minimorum olim familia, quem vt Christo acquireret hominem ex itinere adit, conuincit, suadet vt se in viam vnà det. paret ille, sed in via, qua caussa nescio furere ille cœpit & comitem deserere. sed Deus respexit hominem. sua sponte triduo pòst comitem conuenit, eo duce sacerdotem nostrum petit, erroremque deponit. Superest mercator cui morbus filiæ ad religionem Catholicam amplectendam incitamentum fuit. morbus ergo filiæ neruos & membra contraxerat, nec à Ministro itemque medico medicinæ ministerijque sui iuxtà perito curari poterat; sanam tamen vterque parens omnibus viis volebat. artes omnes nequicquam expertis spem salutis ex insperato Deus obtulit, de matris hæreticæ consilio Beato Andeolo deuouetur, ad illius altare illis oris ob frequentia miracula celeberrimum dum offertur pro puella sacrosanctum Missæ sacrificium, conualuit extemplò, ad Patrem recurrit, qui manserat in officina, alteram

ille, vix tandem suam esse credidit. aduolat mater quæ prima deuouerat, & prima quoque fidem Catholicam amplectitur. Nutabat adhuc vir. ad eum ergo in hæresi confirmandum consistorium cogitur, ipseque citatur a Ministris, vna primores ad hominis correctionem conueniunt adfuit ille, statimque se sistit principi Ministro. cui ille supercilio illis hominibus familiari, Cur idolis & non Deo filiam deuouisti? Respondit mercator se quod dicebatur fecisse, filiam Iesuitæ concionatoris consilio Deo vouisse. Ergo Andeolus Deus est? concludit Minister. Nequaquam, subiicit alter, sed Dei amicus. An non tibi propinquior Deus, quam Andeolus? Ita sanè, sed Andeolus quoque, ait, Deo propinquior est quàm ipse sim. Cur non Deum rectà inuocasti? Quia indignum me existimo quem Deus tam facilè exaudiat. Sed quid si Deus gratiam curationum daret domino Ministro, quem hic alloquor, an non æquè ad illum venirem, atque nunc ad ipsum venio quatenus medicus est? Dei ergo gratiam quæro, & oblatam accipio, sentioque iam meo, & meorum magno bono, vt herbis & plantis, ita Sanctis Deũ virtutem curandi dare posse. porrò cùm eam habent non sibi, sed hominibus in necessitate constitutis habent. Hic omnes iræ impotentes hominem absque synagoga faciunt; quod ille pro beneficio habuit, & à nostro edoctus plenius, paulò pòst maiore eorum opprobrio & dolore fidem Catholicam amplexus est Ad horum conuersionem iuuit plurimùm pluribus locis cum Ministris suscepta disputatio. totas quinque hebdomadas vna tenuit. verùm cùm in ea pseudoprophetam suum Caluiniani, neque syllogisticè argumentari velle, neque thesim quam agitandam proposuerat, tueri posse, passimque commutari cupere

cupere animaduerterent, quantacumque (vt Ministri Caluiniani verbis vtar) inde emensura esset ignorantiæ fama, neque argumẽtantis, neque respondentis facta liberaliter vtriusque muneris potestate, vices obire pro auctoritate & expectatione suorũ. imò sæpissimè violare, imò Arianismos complures euomere, imò viginti vt minimum contradictionum laqueis implicare sese, hærere, tacere, obmutescere aliquando, & ad illam præsertim interrogationem, esse ne Ecclesiæ Geneuensi fide ac religione coniunctus? profectò nutare plerique cœperũt, & Ministri misereri seriò seroque sui Imò non defuit ex Caluiniano grege, qui ab ipsa disputatione (ad quam certatim tum Catholici, tum hæretici vbi istis per orationem licebat, quam in templo suo tota disputatione habuere perpetuam, per decurias cõfluebant) rectà ad Catholicorum templum detestatus hæresim se reciperet, errorem que abiiceret. Plus alter præstitit, qui paternarum opum exheres factus, quòd in Catholica fide amplectenda, ea concertatione instructus constantiam præstare maluit, quam in hæresim relabi. Bis cum alio pari successu inita concertatio, quamquam Ministro dissuaserat disputationem clarissimus, sed hæreticus tamen Senator, qui a l eum scripserat Iesuitæ idem esse disputare ac cani pedibus ire. Idem Beza per internuntium præmonuerat, adieceratque Delphinatum Ecclesiis haud posse periculum creari maius, quàm si Ministri viua voce, ac præsente plebe de religione cum Iesuitis disererent. Imò de consistorio quidam suo asseueranter asseuerat, ne Caluino quidem ab inferis excitato disputandi cum nostris facultatem esse concedendam, è re sua profectò illi cõsilium dabant. nam ad primum syllogismum ita fractus debilitatusque concidit

Minister, vt tertio hæreret verbo, Prisciano colaphos identidem impingeret, præterea ita expallesceret, vt exanimem crederes; ita deliraret, vt proximum insaniæ putares. hæc argumenta vecordiæ. contrariis rationibus non nisi, Nego respondebat, perspicilia, quæ gestabat naso subinde quærebat. hic verò perditus vbi illibatam Virginis Mariæ pudicitiam negauit impurissimus, & ea vel concessit quæ in suis codicibus non haberet, vel negauit quæ apertè haberet (id enim conuenerat) & Sanctos contra thesim communiter pro nobis orare Deum sit confessus, & quod omnino probare non potuit, cur in apocryphis Machabæorum libros reponeret. Auditæ confessiones solito fructu. vnus generales ad septuaginta: alter alio loco hæreticis iuxtà Catholicisque mixto, penè totius vrbis accepit confessiones; & quod fructuosius, vt laboriosius fuit, pleræque omnes totius vitæ fuere. Hinc consultum multorum pudicitiæ, Beneficia bono loco constituta, sortilegia dissoluta, sublatæ superstitiones innumeræ, rescissa odia, fœnora sublata, mutati animi. Reddam aliqua huc pertinentia singularia. Pœnitentiæ & Eucharistiæ vsus vrbe celeberrima in menstruum ex annuo commutatus. vsus & esus carnium in Quadragesima, duobus locis penè in solidum sublatus. Imò inuenti plurimi, qui diurna mercede carere maluerint, quàm cibum vetitum attingere. Edocti Catholicos Christianosque mores plures viginti, qui numquam antea de peccatis confessi, numquam sacro Eucharistiæ pabulo refecti nomen tantùm Christiani, vel edicto regio, vel coniugum precibus inducti gerebant, & nescio qua templi frequentia simulabant. Sublata inter nobilitatem odia, quæ vt Caluinistas fouebant, ita Catholicis insigniter officiebant. Mulier concio-

concionibus emollita primò sic confessione peccatorum vagam libidinē castigauit, vt qui postea eam viderent, Mariam tertiam pœnitentem appellarent. Sorores duæ ob magnam pecuniæ vim ex amicissimis inimicissimę, sed infamia omnium grauissima, quæ inde suboriebatur, & mutua maritorum cædes, quæ timebatur; his malis obuiàm itum reddita pace & pecuniis. Parochus ex Antoniana familia quærebatur ad necem, tanto erat suis odio. arbitro nostro concionatore versum illud in amorem odium est. Lis alteri cum germana sorore erat, plures illa tenuerat annos, magna omnino familię totius & vrbis offensione. componere multi conati irrito conatu. nostri tandem, Deo bene iuuante, pari omnium gratulatione diremere. Libris hæreticis & venereis magno omnino in numero duabus in vrbibus iniectæ flammæ. Carceres & nosocomia adita, & pietatis officia in vtroque homine ibidem exhibita tanto exemplo, vt coërcendi aliquando fuerint, ne tantà ciborum ad ægros deferretur copia; ne quando deesset cōsultum hoc modo. Renouata duobus in locis consuetudo, vt matronæ per hebdomadas illis deseruiant. In alia vrbe, sacellum ad audiendum commodè Sacrum in publica custodia exædificatum. In vrbe hæreticorum subiecta imperio collegialis Ecclesiæ templum ab hæreticis dirutum instaurari cœptum. In alia magnam partem hæretica templum maius sic & ornatum instructumq; vt nouum videatur. vmbellis duabus pulcherrimis auctum: confecta duo candelabra prægrandia insigni opere, cancelli è ligno nuceo tornatili opere, Crucifixi effigies opificij arte admirabilis, suggestum perfectè elaboratum, solum complanatum stratumque lapide, laxatus chorus, sacella duo fornice conclusa, tumuli dis-

tincti, altaria ad Orientẽ versa, cœmeterium muris cinctum. Inoleuerat consuetudo ibidem valdè perniciosa, vno verbo hæreticis Catholicisque omnia communia; mensa, opera, ambulatio, nuptiæ. Ostensum periculum vitatumque, nisi vbi manifesta necessitas. ita mulieres complures maluerunt pauperes esse, quàm cum periculo fidei Catholicæ cum hæreticis iungi matrimonio. Instituta supplicatio in opido media ex parte Catholico, qualis illo loco nulla antè, nec celebritate frequentiáve hominum, nec pietatis aut religionis specie visa vnquam ferebatur. incredibile est quanta bonorum Catholicorum consolatione; dolore autem hæreticorum maximo. Prælata omnia mysteriorum passionis Christi insignia; nescias maiori ne apparatu an reuerentia. & quoniam è re Catholica ita visum optimo cuique, repetita iterum hæc eadem supplicatio solemni die Iouis sanctioris hebdomadæ, sed mysteriis aliquanto auctior. Die festo Corporis Christi ibidem religiosissimè honorificentissimeque inita supplicatio, in qua nihil ad celebritatem & apparatum triumphi instar simillimum desideratum. Sed duo expectationem superarũt omnium. quadringenti pueri linteati omnes, belleque omni genere florum redimiti per decadas tanquam turmas distributi: quorum nobilissimi è nouo testamento figuras Eucharistici Sacramenti gestabãt, alij Litanias ad rem præsentem accommodatas præcinebant. hoc vtile, quòd viri Græcos Latinosque Patres referentes pulcherrima gerebant elogia, quibus singuli vel in laudem tanti Sacramenti, vel aduersus Sacrosanctæ Eucharistiæ osores protulere. Agnita pietas in eo, quòd in tanta supplicantium multitudine (septena millia censebantur) tecto capite inuentus nemo. Recitatum

car-

carmen vernacula lingua nostri sacerdotis opus, ad valuas maioris templi ea venustate dignitateque, vt hæretici continere se non potuerint quin sequenti die emētito charactere blasphemias meras euomerent. non impunè tamen. placuit enim iudicibus, in quibus vnus Caluinista, sententiam proferre publicè, qua carmina illa vt impia damnata, & flammis cum suo auctore adiudicata. ergo sequenti die ignominiosè à carnifice charta publicè pro suo auctore combusta. Institutū prætereà Sodalitium Sanctissimi Sacramenti, quod paulò pòst & à S.D.N. Papa Clemente VIII. probatum, & multis ac magnis Indulgentiis confirmatum, breui tempore ex vtroque sexu Sodales habuit CIX. Sodalium pietas elucet in eo quòd præter aliorum morem sæpiùs in anno communicant, xenodochia per vices suas obeunt, menstruam supplicationem in honorē Sanctissimi Sacramenti habent, ægros pauperes larga stipe sustentant, &, quod probant omnes laudantque, frequente corona, multisque facibus sub vmbella sacrum Christi Corpus deferendum curant. Erectum alibi ad eadem pietatis officia simile Sodalitium. Additum aliud B. Vrsulæ magno planè fructu. puellæ enim quæ ad magistros diuertebant hæreticos, à Catholicis melius tutiusque instituuntur. Nihil vtilius catechismo, qui pluribus locis singulis diebus festis habebatur. Is in vrbe celebri triplex erat. communis, vbi controuersiæ agitabantur; moralis, qui Casus conscientiæ complectebatur; Theologicus, qui obscuriores & altiores quæstiones de fide exponebat. Prima disputatio puerorum erat; altera puellarum; tertia adolescentum paulò prouectiorum. ea res & oblectationi erat & summæ vtilitati: neque enim abhorrebant doctiores, & optimates Senatoresque

grauiſſimi eiuſmodi diſputationi intereſſe dignabantur, neque erubeſcebant ſub nomine diſputationis inire catechiſmum, de quo totidem verbis catechiſta loquitur. auſim aſſerere nihil conducibilius excogitari poſſe ad vrbem opidumq; integrum breui tempore reformandum. In concionibus inibi ea ratio & via tenebatur. Initio locus vnus Scripturæ deprauatus ab hæreticis, locus item omni exceptione certior pro veritate ſanctiſſimi Sacramenti depromebatur, ac tertio loco documentum aliquod morale ſubiiciebatur. Actum aliquando in concione de non negligendis baptiſmi cæremoniis non ſine fructu. Dum enim infante nato commoditas exſpectatur baptiſmi ſolennioris, quinquennium elapſum: interim infans aut in cellã vinariam abripitur, aut tenebricoſum locum, abluitur priuatim, adhuc rapitur: ergo vltimo & præſenti remedio cæremoniæ baptiſmi adhibentur omnes & curantur. Mulieri panicis terroribus agitatæ remedium fuit Confirmationis Sacramentũ. Viduam mulierem ex flagitio puerperam ita vexabat iudex, vt proderet parentem adulterinæ prolis, proxima vt illa eſſet manifeſtando ſceleri: ſed cùm iudicem ſui monuiſſet officij ſacerdos noſter, deſtitit à propoſito, neque amplius euocauit ad ſeſe. nullo enim poterat ſigno vel leuiſſimo occultũ patrẽ detegere. Quod ſequitur ſcandali pleniſſimum, quia tamen turpiſsimum, indicabitur potiùs quam manifeſtabitur. Cùm virgines externis viris darẽtur in matrimonium, in ianua vrbis, quà cõiugibus tranſeundum erat, tam fœda agebantur, vt gentilitiam idololatriam vel ſaperent vel ſuperarent. E loco ſuperiori in infamiam illam tam acriter tamque ardenter actum declamatumque, vt non modò rem totam de medio ſuſtulerit concionator noſter,

ſter, ſed & auctoribus tantum pudoris attulerit, vt conſpectum hominũ quo erãt indigniſsimi refugerent, & pudicè vbi cõcionatores Ieſuitæ eſſent, agendum aſſeuerarent. Exorciſmum idem ante baptiſmum procurauit. Cum Eccleſiaſticis actum hoc modo, quorum vita offenſioni erat; admoniti ſeorſim & in Capitulo, publici abuſus coërciti, in quibus iſte. paſsim ſacerdotes proiicere & excutere ſecundam à communione ablutionem, & ſtatim miniſtranti puero calicem extergendum ad mappam altaris dare. effectum præterea ad ſimultates euitandas, quas melior excitabat muſica, vt vltro citroque muſici ſeſe conueniant, concinantque inuidia nulla, maiore fructu & gratia. Eccleſiæ interim eorum & ſedibus ad confeſsiones excipiendas, & cancellis ligneis ad ſacram ſynaxim ornatæ. his officiis omnibus locis ita animos conciliarunt noſtri, vt ſine pudore noſtro vix dici poſsit. In aduentu abituque teſtatum maximè. Sic enim duobus in locis omnes effuſi quaſi parentem amitterent ſuum. imò à Senatu, quidquid contrà niteretur ſacerdos noſter, malè mulctatus hæreticus, quòd inſolentiùs erga noſtros ſe geſsiſſet domi. Imò & à Prorege hæretico grauiter increpatus Miniſter, quod de noſtro concionatore coram ſe obloqui auderet. Finiam hos annales re credo in Gallia nondum audita, ſcilicet Albenacenſi Reſidentia. Albenacum vrbs eſt Helbiorum (Vinarienſes ita vocat Cæſar) tum loci amœnitate, tum annonæ copia, tum fori venalis & negotiatorum concurſu facilè princeps. olim Catholica tota; iam quarta vix parte auitam religionem ſeruat. Hæretici enim Caluiniani pro ſua in Regem fide occupauere, occupatamque totis vigintiquinque annis detinuere; donec auctoritate partim regia, partim ſua & amicorum in-

dustria, partim (quod illi pluris faciunt) magna pecuniæ vi eam vel obtinuit, vel extorsit clarissimus Marchio de Monlor: sic Galli vocant, sed ex suo idiomate à monte aureo ita dictum coniicere facile est. Ille qua pietate est & prudẽtia, seruandam vidit sibi esse vrbem non tam armis quibus plurimùm valet, quàm religione. Ergo de asciscendis nostris apud se cogitat, reditus vel in Collegium futurum, vel in Residentiam parat necessarios. & nequid obstet salubri consilio, Regem adit agentem Lugduni, & contra omnium spem ita rem transegit vt obtinuerit. Neque hoc cõtentus Romam quidem Iubilei caussa contendit, sed interim cum S.D.N. Papa & R. admodum P. N. Generali egit, ab iisque non grauatè obtinuit quod à Regè Christianissimo impetrauerat. Illuc igitur in biennium missi cum Fratre Adiutore sacerdotes quinque: quibus & illorum & aliorum negotiorùm moderator futurus sextus est additus, eoque paulò ante Pentecosten aduenere magno omnino Catholicorum gaudio, sed pari hæreticorum dolore. Ministrum inter cæteros aduentus nostrorum habuit malè, in quo quid laudes nescio. Est quidem à natura facundus, sed religionis desertor, & sacrilega vtrimque vinctus copula, & sacrilegã quoque (quia Religiosam) suscepit mulierem, & ex ea numerosam familiam. Et Albenacensium non mirere cæcitatẽ, qui eum religionis suæ habeant ducem pro sanctissimis illis hominibus, quos pluribus olim, vt ex vestigiis apparet, aluere cœnobiis? Nostri vbi eò venerunt, ad sua statim se munia accinxere, quæ vt faciliorem melioremque sortirentur exitum, placuit moderatori, vt bini in superiorem, totidem in inferiorem diœcesis partem dimitterentur. Reliqui duo ita in vrbe essent, vt ad opida pagosque vicinos singu-
lis

lis hebdomadis excurreret. Dimissi ergo illi quinque mensibus opida lustrarunt tredecim, pagos vt minimum quadraginta. Hoc admissi faciliùs ab omnibus, quòd S. D. N. Papæ vixere sumptibus. Hæc, omissis communibus, quod perpetuò his annalibus fecimus, fecere memorabilia. Suo nitori saltem tolerabili diuinum cultum restituere In his enim pagis, qui hæreticorum communis fructus; aut Parochi nulli, aut sanè admodũ ignari, sordidè iuxta inepteque Sacramenta ministrãt. Procuratum ergo vt è templis & altaribus tollerentur sordes, & vestimenta & sacra vasa suprà 500. aureorum summam emerentur. Confessiones generales auditæ ad tria millia. hinc alia coniicias, quæ inde ad animorum salutem redundare solent. In fide confirmati auditique ducenti, Catholici illi quidem, sed nondum tamen sacerdotibus legitima iurisdictione præditis confessi: Ecclesiæ octo reconciliati: pecunia quà vsura, quà simonia parta, ad aureorum millia duo restituta: decem Beneficia perperam possessa, legitimè relicta: mulieres supra quadraginta pudicitiam edoctæ. Qui Albenaci manserunt, & à Marchione sustentati sunt, & hæc gesserunt. Quater in hebdomada catechesim tradiderũt, conciones verò omnes ferè habuerunt in platea publica. quàm illæ autem frequentes sint facilis coniectura. nam ex hæreticis plerumque adsunt ad octingentos, fremat licet Apostata, eosque anathemate feriat, & multa in Ecclesiam, Papam, Prælatos Iesuitasq; declamet, sed maximè solitudinẽ deploret suam. Quis enim ferat plures ciues adesse hosti quàm mihi? Quis verò te ferat, adiecit aliquando cordatus hæreticus, qui imparatus ad clamandum venias, eademque nobis ad nauseam obtrudas, vt assuetudine audiendi mulieres nostræ eadem pos-

sint

ſint tecum afferre & dicere. Fluctuant ergo plurimi, vulgoque inter ſe dictitant, abeat in malam crucem Miniſter; ſic nos decipit. quatuor Eccleſiæ acquiſiti. Dum excurrunt ad vicina opida pagoſque, hæc geſta ſcitu digna. in concione populum dum exhortatur ſacerdos noſter ad templi munditiem inſtaurationēque, tam conſpirātibus animis id factum, vt ſuas etiam pecunias hæreticus obtulerit. Aliud ſequitur memorabilius. inter nobilem Catholicum & hæreticum orta diſſenſio dirimenda duello. neque enim impedire potuimus. vbi ergo dicta die deſtinatum in locum ad certamen conuenere; adfuimus, vtrumque adimus, nihil facimus; tamen agno Catholicum munimus, vtrumque precibus. Dum ergo ex pacto in equis pugnant, & iam hæreticus tres à Catholico plagas accepiſſet; ecce deiicitur ex equo ferociente Catholicus. quod vbi vidit hæreticus vires colligit, & punctim triginta vulneribus hoſtem ferit, & quia ita iudicabat, expirantem relinquit. affuimus ſtatim, confeſſionis peccatorum hominem admonuimus & ſalutis; omnino ſanum reperimus. quid dicas? an agno Dei an precibus id tribuas?

Collegium Camberienſe.

DISCIPLINA domeſtica, quam belli tumultus anno ſuperiore paululum laxaſſe videbantur, à R.P. Prouinciali reſtituta, aliaque multa ad proximi ſpiritalem vtilitatem pertinentia redintegrata. Nam præter concionatores duos, quorum vnus ſenatui, alter ſacello noſtro deſtinatus erat, tertius ſacerdos xenodochiis atque carceribus certis diebus hebdomadæ viſendis, & cohortationibus habendis, atque in ſuburbio doctrinæ

Chriſtia-

Christianæ tradendæ deputatus est: quod præter fructum eorum, qui visitabãtur, vel docebantur, magnam nobis ciuium gratiam conciliauit. Deputati sunt etiam Patres, qui certis, tum matutinis, tum pomeridianis horis pœnitentes in templo profestis etiam diebus expectarent. Et respondit labori fructus. Mulier cùm virum sibi ita infensum sentiret, vt nihil propiùs, quàm mortem sibi ab eo intentandam pertimesceret, noctu, quo tempore maiori in periculo versabatur, multa rosaria B. Virginis implorans opem recitabat. Et quidem vtiliter. Nam & B. Virginem, dum orat, sibi videre visa est, & periculum euasit. Altera eidem Virgini deuota, cùm quodam die Sacrum manè audisset, in eoque rosarium B. Virginis recitasset, ad lauãdos pannos progressa, in profluentẽm decidit. Cùm ergo se in aperto vitæ discrimine versari cerneret, B. Virginem appellat, & à periculo incolumis euadit. Crescit in dies B. Virginis Sodalitium ex scholasticis conflatum. Ex eo porrò nonnulli Societatem nostram, alij Capucinorum Ordinem expetierũt. Foras more solito ad Prioratus præsertim magno fructu excursũm est. Vnus rogatu Reuerendissimi Tarantasij Archiepiscopi in Archiepiscopali ciuitate, in qua nullus nostrûm hactenus concionatus fuerat, per Quadragesimam tanto populi, ac imprimis ipsius Reuerendissimi fructu & approbatione concionatus est, vt vix eum à se auelli passi sint. Habuit singulis diebus conciones, confessiones vt plurimùm totius vitæ audiuit, mulieres suspectas à clericorum contubernio amouit, Canonicos ad frequentandum chorum adduxit, ignaros quosdam sacerdotes ab audiendis confessionibus deterruit, populum ad frequentanda Sacramenta impulit, à vago cõcubitu tres mulieres, ab incesto

totidem

totidem viros abduxit. Præter conciones ter, interdum quater, in hebdomada doctrinam Christianam non pueris modò ac puellis, sed viris etiam ac mulieribus tradidit. Non defuerunt hæretici Caluiniani, qui sæpè ex composito Patrem, sicut olim Christum Sadducæi & Herodiani, aggrederentur; sed, vt illi, confusionem pro laude semper retulerunt: nempe qui Herodianos & Saducæos olim conuincebat, per os Patris hæreticos confutabat. *Non enim estis vos, qui loquimini,* &c. Dum hæc foris Pater agit, concionator domesticus cùm alios hæreticos, tum eorũ etiam Ministrum, qui in vrbe intra priuatos parietes suum virus spargebat, comprimebat, ventilabat. Ille in nostrum sacellum concionis audiendæ caussa venit, nec puduit eum semel, quasi ouis esset, in eum locum, ex quo nostri concionem audiunt, ascendere & inter illos considere. Sed non potuit latêre lupus, ouina licet pelle tectus. Deo enim faciente concionator noster absurdissimos Lutheri ac Caluini errores de libero arbitrio, de operum meritis proferre, ac firmissimis rationibus testimoniisque exagitare: Minister intus vri, os pallio obuoluere, huc illuc circumspectare, totum denique corpus nunc in hanc, nunc in illam partem mutare. diceres intus viscerum doloribus hominem torqueri. Quid plura? non tulit dicentis aculeos, surgit atque insalutatis nobis ex consessu se proripit, domoq; indignabundus excedit. Non ita nobilis, eiusdem licet farinæ. Nam ad nos adductus & edoctus veritati manus dedit, amicisque, qui illum ad nos perduxerant, Collegij Patres plurimùm commendauit; addens nullibi tam scienter, tamque apertè suis difficultatibus factum fuisse satis. Quidam Religiosus libertatis caussa, posito habitu se Geneuam contulerat.

tulerat. Cùm autem conſcientiæ ſtimulis agitaretur, conſilio noſtrorum ex ſeruili illa libertate ſeſe eripuit, atque ad impetrandam veniam ad ſuos ſe Superiores contulit. Hoc anno trium nouarum claſſium, chori ac duorum ſacrariorum fundamenta Sereniſſimi Ducis Sabaudiæ, ac aliorum piorum hominum liberalitate iacta ſunt. Ciues Camberienſes ex publico ærario, quod ſanè peranguſtum eſt, quingentos aureos nummos ad vicinas quaſdam ædes Collegio dilatando neceſſarias coëmendas dederunt, partim daturi dicuntur. In Lucalibus præmia diligẽtioribus ſcholaſticis in noua Collegij area, præmiſſo eleganti dialogo magna omnium approbatione diſtributa ſunt. Rei admirationem auxit, quòd hactenus nunquam id factitatum eſſet. Non erit alienum ab his litteris cuiuſdam à noſtro Ordine, atque à Catholica religione apoſtatæ indignum facinus. Is eſt Bocardus, qui à noſtra Societate diſcedens Loſanam confugit. Iunxerat ille ſacrilegas cum non obſcura muliere nuptias, atque ab ea liberos ſuſceperat. Ecce mulier, dum neſcio quid ad prandium coquit, reprehenſa à viro, quòd rem malè perderet, virum vt rei culinariæ ignarum reiicit. Vir indignans mulierem tam grauiter percutit; vt parum abfuerit, quin illico moreretur. Accurrunt amici, vocantur medici; at facere non potuerunt, quo minùs paucis pòſt diebus mulier ex vulnere moreretur.

Miſſio Tononenſis.

His afflictis temporibus cùm Sabaudia Regis Chriſtianiſſimi teneretur armis, hæretici, quos pacis tranquillitas penè confecerat, aliquam rebus iam ſuis lucem in iſtis communibus tene-

bris exortam putabant Iamq; in spem venerant redit urum, vt vulgò dictitabatur, Messiam, hoc est, antiquum quemdam suum Ministrum, qui eos olim dementabat Etiam templum Augustinianorum, quod dudum profanis vsibus sordidauerant, diligentissimè perpurgauerāt. ipsos etiam Catholicos non occulta modò, sed aperta etiam vi pellere incipiebant. Verùm impios vana spes fefellit. Illustrissimi enim Cardinalis Aldobrandini pia ac solerti cura factum est, vt Regis Christianissimi auctoritate consilium malignantium dissiparetur, & suum illum Messiam non viderēt. Quin etiam pulchrè accidit, vt qui alios exulare cupiebant, solum ipsi vertere cogantur. Nostris hoc tempore eò impensiùs laborandum fuit, quò pauciores Ecclesiastici ob belli tumultus in pagis consistere valuerunt. Necesse enim erat, vt per parochias adeuntes, sacras vestes & vasa ad rem diuinam faciendam humeris circumferrent, flumina nudis pedibus summo sæpè frigore traiicerent, humi cubitarent, & id genus alia facerent, quæ zelus animarum Christi seruos in simili casu facere persuadet. Sed respōdit labori fructus. Hac enim cura & diligentia tum antiquos, tum recentes Catholicos ita in fide confirmarunt, vt præter vnum nuper conuersum nullus à fide defecerit; ex hæreticis verò non pauci ad Ecclesiæ gremium se adiunxerint. Lex est apud Bernenses hæreticos, vt siquis eorum qui in Bernensi ditione degunt, ad Catholicorum conciones adeat, quinquaginta florenos singulis vicibus fisco pendat. Contempsit hanc legem Catholicus, qui fortè apud eos fusoris artem exercebat, negans se aliter, quam Catholicè viuere vllo modo posse; proinde vel alium fusorem quærerent, vel se, vt Catholicum decet, Catholicorum conciones adire paterentur.

tur. Mirabile sanè quorundam Catholicorum ad eludendas hæreticorum artes artificium fuit. Prohibebant isti, nequis Catholicorum liberos ad vicinas parochias Baptismi caussa deferret. Quid ergo Catholici? Nimirum paruulos in canistris positos mantilibus cooperiebant, tum lances, cochlearia orbesque circumponebant, atque ita quasi prandium messoribus aliisve operis deferrent, paruulos ad suscipiendum Baptismum efferebant. Cùm die Purificationis Pater vnus de cereorum vsu in quodam pago pro concione egisset; tanto studio ea ceremonia, licet iam dudum obsoleuisset, reuocata est, vt vix vllus fuerit, qui cereum benedictum habere noluerit. Et cùm eo in loco venales non reperirentur, multi eos sibi aliundè comparatos sequenti Dominica benedici curarunt. Solent paruuli in his locis ita aliquando languere, vt neque viuere, neque mori posse videantur Huic verò malo non alia vulgò adhibetur medicina, quàm pia alicuius sacerdotis oratio. Ea enim adhibita, vel morbo statim liberantur, vel corporis vinculis exoluuntur. Puella quædam B. Virgini Mariæ deuota, nescio quo casu à lupo correpta, tanquam ouicula abripiebatur: sed ea ad B. Virginem conuersa, Salua me, inquit, ô B. Virgo; te enim semper colui, tibi semper deuotè seruiui. Nec vanæ preces. puellam lupus statim deposuit, ac ad aliam escam perquirendam discessit. Puella verò domum reuersa acceptum à B. Virgine beneficium haud ingrata prædicauit. Deferuescente bello & ad pacem inclinante, Reuerendissimus Gebennensis sedulam operam dedit, vt Parochi ad suas parochias redirent. Quo factum est, vt in singulis pagis Missa celebretur, & concio ac doctrina Christiana crebriùs habeatur. Pergunt etiam discipuli in litteris ac pietate,

magna parentum voluptate, hæreticorum verò dolore progreſſum facere. Nunc verò pace compoſita noua rerum facies ex turbulento ſalo ſeſe extulit. Confirmati Catholici, deiecti hæretici, Miniſtri, qui circa Tononum, virus ſuum iterum ſpargere cœperant, expulſi. His remotis licuit noſtris remotiores parochias obire. Dum ergo pagos luſtrant, viginti hæreticos ad fidem traduxerunt, duaſque Sanctiſſimi Sacramenti Congregationes inſtituerunt. Inuiſerunt etiam Auxenſem, & Abundantiæ Abbatias, magno Religioſorum, qui in illis degunt, ſpirituali fructu. Cùm alij pagos obeunt, duo partim Tononi, partim in opido Rupenſi per Quadrageſimæ tempus conciones eo animorum motu habuerunt, vt quantum promouerint, dici vix poſſit. Inſtitutæ ſunt ab illis lectiones Parochis, & aliis ſacerdotibus ex vicinis pagis ſtatis diebus in opidum conuenientibus. Explicarunt etiam pueris puelliſque doctrinæ Chriſtianæ capita: generales totius vitæ confeſſiones audiuerunt penè innumeras: mulieres ac viros non paucos à pellicatu, atque adeò ab inceſtuoſa vita ad honeſtatem traduxerunt: lites, ſimultates ac duella diremerunt, extinxerũt, prohibuerunt. Et quia particularia, ea quæ in vniuerſum dicta ſunt, magis illuſtrabunt, pauca quędam hìc ſubiiciam. Vixerat mulier quædam in terris Bernenſium cum hæreticis non prorſus hæretica. tenebatur enim humano metu, ne ad Catholicos tranſiret; tanto tamen deſiderio redeundi ad Catholicam Eccleſiam vrgebatur, vt quò id à Deo impetraret, nudis ſæpè pedibus incederet, ieiuniis ſe affligeret, ac quantum facere poterat, ab hæreticorum impiis moribus abſtineret. Vidit Deus mulieris deſiderium, nec deſpexit. Cùm enim in eo ſtatu diu anxia perſeueraſſet, abrupit demum

vincula

vincula timoris humani, ac ſaluti animæ caduca omnia poſthabuit. Quare licet ægra eſſet, nauem tamen conſcendit, lacumque tempeſtatibus infeſtum, vt Tononum veniat cum filia etiam hæretica, traiicit, noſtros ad ſe aduocat, de peccatis confitetur, hæreſim abiurat, ac vt idem filia faciat, efficit. Vir quidam hæreticus cùm diu noſtrorum piis conatibus obſtinata mente reſtitiſſet, tandem Deo bene iuuante manus dedit: cumque in morbum, quo poſtea extinctus eſt, incidiſſet, ſanctiſſimum IESV ac Mariæ matris eius nomen more Catholico identidem inclamaret; arguebatur à conſanguineis, maximè verò ab vxore hæretica, quòd ad nomen IESV, Mariæ nomen adderet. Ille verò cùm eorum impietatem non ferret, Quid? inquit, vultis vt diabolum appellem, & dicam IESV diabole? Sed cùm illa moleſta eſſe pergeret, curatum eſt vt magiſtratus auctoritate impia mulier compeſceretur. Quo facto æger IESV ac Mariæ nomen ſuauiter appellans, feliciter, vt ſperare fas eſt, obdormiuit. Non prætermittam ſimplicis fidei argumentum, quod in vetula quadam enituit. Ea Catholica olim cùm eſſet, ad hæreticos tranſierat; ſed diuino beneficio nuper ad Eccleſiæ gremium reducta, Catholicæ pietatis memor cùm vaccam ægrotantem haberet, vitulum quem illa ediderat, pro matris valetudine ſacerdoti ſacrificanti obtulit, ac ſanitatem animali ægro impetrauit. Sed dum Tononenſem agrum ea diligentia, & animi alacritate excolunt noſtri, magnus eis interea ad propagandam fidem campus apertus eſt. Deſtinarat Pater, qui Tononi præeſt, duos è noſtris ad ditionem de Terny, vt ibi fidei ſemen ſpargerent; ſed diuino planè nutu aliò vocati ſunt. Cùm enim Illuſtris Dominus Sabaudiæ Gubernator Dominum Vittum equitum ducem ad occupan-

cupandam ditionem de Gaillard, quæ Geneuæ contigua eſt, & à Geneuenſibus iam a ſeptuaginta fermè annis hæreſi infecta, miſiſſet; fecit dux ſtrenuus ac fidei zelo plenus, quod pietas ſuadebat. Quippe occupata ditione Miniſtris hæreticis mandat, vt à ditione illa excedant, ſuumque virus apud illos populos ſpargere deſinant. Illi timore perculſi, licet inuiti, mox loco ceſſerunt. Cùm autem videret dux nullos ibi eſſe ſacerdotes, qui populos illos ad fidem Catholicam inuitarent & exciperent; per litteras noſtros Tononenſes enixè rogat, vt ad tam paratam animarum meſſem veniant, nihil à Geneuenſibus quantumuis proximis ſibi timeant, ipſi gladium ſpiritus exerant, ipſum cum ſuis ferrum acuiturum. Accurrunt noſtri, & optatam diu occaſionem ad portas Geneuæ concionandi, ac Miſſas faciendi arripiunt. Excipiuntur à duce perhumaniter ac lætanter, eoque adiutore templa expurgant, aras exſtruunt, cruces locis editis erigunt, veſtes ſacras parant, conciones habent, Miſſas celebrant. Hæc verò omnia tanto populi illius concurſu ac lætitia, vt qui non vidit, non facilè credat. Sunt in illa ditione octo parochiæ, in quarum vna, ne de aliis verba faciam, mille ducenti homines iam ab initio ad concionem confluxerunt. Numerantur viginti familiæ ex vna parte, viginti ex alia, quæ iuramento firmarunt velle ſe religionem Catholicam amplecti. Non potuerunt noſtri (duo enim tantùm erant) omnes vno tempore parochias viſere: vnde factum eſt, vt Miniſter Caluinianus ad viciniores Geneuæ adierit. At cùm deſperaret ſe ibi poſſe conſiſtere, vale dicens, Ego meas, inquit, oues Satanæ relinquo. hoc dicto indignabundus abiit. Parauerant cœnam Caluinianam in feſto Pentecoſtes more ſuo diſtribuendam: ſed falſi

ſunt.

ſunt. Nam illi cœnæ panis ritu Catholico benedictus ſucceſſit. In huius verò diſtributione viſi ſunt ſenes quidam ſibi inuicem gratulantes, ac cum S. Simeone dicentes, *Nunc dimittis*, &c. Deo laus, aiebant, quòd ibi ſacrum Miſſæ ſacrificium celebrari videmus, vbi numquam celebratum iri ſperabamus. Manebat ſcilicet in eorum animis igniculus quidam, ſicut in aliis quibuſdam, qui crucem, vexillum & tintinnabula à multis iam annis occultata protulerunt. In diſtributione roſariorum tanta fuit populi deuotio, vt certatim accurrerent, ac è diſtribuentis manu penè raperent. Cumque alia non ſuppeterent, detraxit è collo pius dux Vittus ea, quæ gerebat multiplicia, ac vt inde coronæ fierent, Patri tradidit. Oblatus tum eſt paruulus recèns natus, vt Catholico ritu baptizaretur: quod vt erat nouum, magna omnium voluptate factum eſt. Quid plura? Paucis, nō dicā menſibus, ſed diebus is progreſſus factus eſt, vt ex octo parochiis ditionis de Gaillard ſeptem iam Catholicę factæ ſint: ita vt tribus proximis menſibus ad mille animæ Eccleſiæ reconciliatæ fuerint. In pagis verò circa Tononum centum triginta ad eos, qui ſuperioribus menſibus fidem Catholicam ſuſceperant, ſunt aggregati. Tononi nobilis quidam cum famulo Eccleſiæ gremio eſt reſtitutus. Ad ſuſcipiendam verò fidem tum conciones, tum catechiſmi lectiones, tum ea quæ ſubiungam, populos illos excitarunt. Quidam nobilis hæreſi infectus, à ſacello, quod olim parentes piè conſtruxerant, lapides ad porcorum ſtabulum conſtruendum impiè abſtulerat. Factum impium diuina vltio ſecuta eſt. Nam & porci perierunt, & vaccæ ſteriles effectæ ſunt, & ipſe animam in xenodochio miſerrimè exhalauit. Cùm mulieri cuidam liberi omnes adhuc

lactentes vita excederēt, voto Deo ac B Francisco nuncupato, filiam quam parturiebat, feliciter edidit. quare Franciscam vocari eam voluit, nunc verò viuam ac incolumem Deo ac B Francisco acceptam refert. Decubuerat quidam annum integrum graui morbo pressus. is facta peccatorum exomologesi post tres dies templum adiit, sacram communionem accepit, ac sanus domum rediit Mulier hæretici cuiusdam vxor cùm filio ægrotanti nullum remedium inueniret, eum ad sacerdotem clam attulit. orat sacerdos, mulier cum filio domum redit: ac vbi sanatum videt, iterum gratias actur., filium sacerdoti sistit Cùm dux Vittus sacerdotem nostrum in pagū quemdam ad Sacrum faciendum, & concionem habendam perduxisset; ecce tibi Minister Caluinianus cum nonnullis aliis eiusdem farinæ hominibus eò concionabundus aduolat, concionandi sibi fieri potestatem a duce petit Quid, inquit dux, locum non vides a Patre Iesuita occupatum? ipse Sacrum faciet, ipse concionem habebit, tu si voles, cum tuis audies. Obmutuit ad hoc Minister, ac pro foribus ecclesiæ stans Patrem concionantem audit, octoginta communicantes videt. id verò non sine suo suorumque stomacho. Cùm enim per illud tempus mulier, quæ paulò antè ab eis defecerat, templum ad communionem suscipiendam intrare vellet, retinebant eam impij satellites, ac ne ad communionem accederet, minis territabant. Quibus illa exclamans, Egóne à vitæ ferculo abstineam? ego ad impiam Caluini cœnam redeam? ego vos ad inferorum cruciatus sequar? His vocibus illi reiecti, ac bene impluti (imbres enim affatim decidebant) Geneuam redierunt. Addam hic rem memoria dignissimam. Extabat olim in monte Armonæ quinque à To-

nono

nono milliaribus, sacellum B. Virginis, ad quod multi religionis caussâ confluebant. In eo erat campana ad sedandas tempestates mira virtute prædita. Diruerunt illud hæretici ante septuaginta annos, & æs campanum ad pagum in quo Minister hæreticus sedem fixerat, detulerunt. Eò cùm Pater vnus è nostris die Visitationis B. Mariæ peruenisset, velletque antiquam pietatem redintegrare, populum conuocandum curat, supplicationes indicit, atque ad locum sacelli cum altero sacerdote ac populo pergit. Superato monte præcelsam crucem erigit, ac dum alter sacerdos Sacrum facit, ipse sermonem ad populum tanto animorum motu habet, vt lacrymæ vbertim fluerent. Populi deuotionem ac Dei Beatæque Mariæ erga populum beneuolentiam singulare beneficium cuidam mulieri præstitum commendauit. Tenebatur illa a malo dæmone, ac dum Sacrum fieret, ita identidem agitabatur, vt à quatuor quinquéve hominibus teneri vix posset Pater fusis ad B. Virginem precibus dæmonem premebat. Calcitrabat dæmon, negabatque se discessurum, nisi liber dimitteretur. Vrgebat Pater, ac signum discessus exposcebat. Respondebat dæmon possessæ mortem exitus sui signum futurum. Sed mentitus est pater mendacij. Nam sub finem Sacri concidit quidem illa quasi exanimis, at non ita multò pòst seipsam erigens, ac manus in cælum tendens gratias Deo ac B Virgini, quantas potuit maximas reddens discessit, & nunc quartum fermè mensem libera agit.

Collegium Aniciense.

Ad sex humaniorum litterarum scholas accessit hoc primùm anno totius Velauniæ votis expetita, & assiduis Aniciensiũ votis vocata Philosophia, vno docente professore. Domi reuocati, quos Confidentiarios vocant, à Simoniaca labe minimùm triginta, à concubinatu duo. Rutenus nobilis præparatus exercitiis spiritualibus ad sacerdotij sui primitias Deo (id quod in templo nostro fecit) offerendas. Cuidam: quem impotentem sui (miserandum spectaculum) filius nimirum cum morte colluctans effecerat, in quem sese vmbra teterrima palàm apparens ferro iam armarat, sublatum ferrum de manibus, de animo desperatio, postque Sacramenta, iniectum desiderium vitæ sanctioris ex Parthenij Sodalitij legibus incundæ. Communicantium numerus fuit viginti duûm millium. foris habitæ imprimis conciones efficaces. Cuidã de nostris sacerdotibus aliquando cõtigit de instauratione templorum pro concione agere; cùm vir nobilis, qui in templi sarta tecta sumptus opidanis commodauerat, eorum repentè à concione donationem fecit; palàm dicens nolle se tam præclari operis alium à Deo remuneratorem expectare. Vbi idem ille sacerdos egit de deponendis odiis, extitere qui odia deponerent, & à quibus læsi fuerant eos ipsi præuenirent ad reconciliationem. Vbi de furto, non defuit qui de pecuniæ summa quam furto abstulerat, quidquid potuit noctu clàm omnibus, eadem qua abstulerat arte, sed maiore suo bono restitueret. Vbi de pœnitentia, ipsa ineunte Quadragesima tanta pœnitentium multitudo confluxit, vt & Patrem & Parochum aliquando ad noctẽ vsque reti-

retinerent. Templis, quà tectum, quà vitrei cancelli, quà sedes ad excipiendas confessiones aptæ, quà alia id genus, tum reddita, tum addita. Sacerdotes sæculares ab impia acceleratione in persoluendis Horis Canonicis deterriti. Beneficia Ecclesiastica duo in legitimorum possessorum vsum nostrorum operâ cesserunt. Et ii demum vbertim collati fructus, quibus raro Missiones carere solent, maioris cuiusdam momenti confessiones, generales verò sine numero, alienæ rei restitutiones, pacis inter dissidentes conciliationes. Penetratum ad hæreticos. opidum est olim Luthero addictum, hodie Caluino, cui à S. Euodio nomen: inibi coacta Ministrorum Synodo Patres duo armati nobilium equitum phalange (ita ad coërcendam plebem erat necesse) ostentarunt sese, & satanicam Synodũ pudefecerunt. Alibi concionatum in compitis non sine Catholicorum plausu, hæreticorum pudore. Locum Scripturæ nescio quem vsurparat aliquando noster alio sensu ac Caluinistæ solent. rem hi notare, post concionem Patrem clamitare falsarium & seductorem; id inter comminandum Catholicis exprobrare. re Pater intellecta non interiicit moras, eodem die, ex eodem loco, ad auditores eosdem, concionem habet, Caluini impietatem & corruptum ab eo locum demonstrat. Exinde muti omnes ac Minister ipse, qui a suis celeriter aduocatus, precibus à nuncio contendit, vt referat se Ministrum non inuenisse. Nonnulli Ecclesiæ Catholicæ reconciliati, ac in fide nutantes confirmati quamplurimi. in iis vnus fuit, qui cùm quadraginta totos annos hæreticus vixisset, animam Deo (vt speramus) Catholicus effectus nostrorum adhortationibus, reddidit. Alius in hæresi diu volutatus muliere, quam numquam legitimè duxerat,

pro

pro vxore, susceptis ex eadem liberis magna multorum offensione abutebatur, rationibus conuictus est, & impedimentis sublatis animi sordes per pœnitentiam, ac concubinatus labem per legitimum matrimonium extersit. Mulier nobilis, quæ a Catholicis parentibus Catholico instituta ritu, viro tamen hæretico se passa fuerat hæretico ritu a Ministris hæreticis matrimonio coniungi. Cùm tertium iam supra trigesimum annum mariti impietatem fuisset imitata, gremio demum Ecclesiæ restituta est: ita volens, ita gaudens, vt lubentiam ac volũtatem animi inusitata quadam oris hilaritate apertè declararet. Quę de Aniciensi Collegio reddenda fuerunt concludat Aniciensis Virginis in vnum è nostris non vulgaris benignitas. is dum Comitatum Gabalitanorũ petit concionaturus itineris duce à via aberrante apertum vitæ discrimen cum socio adiit, errans vsque ad mediam penè noctem, in altis montibus hieme perfrigida, cùm plurima nix montes tegeret. auxilio fuit B. Virgo Aniciensis, cui noster tria Sacra vouit mox à reditu. Voto enim nuncupato statim certa spes tanti periculi euadendi mentem eius incessit. Denique post longos errores ventum in hospitium adeò oportunè, vt si paulò longiùs abfuisset, defectis & hominum & iumentorum viribus, aut lassitudine & inedia aut frigore moriendum omnibus fuisset.

Collegium Dolanum.

DVo ex hac vita migrarunt: alter Ioannes Rubæus Scotus, cui cùm Romæ in xenodochio officiosissimè ministranti vena esset rupta, huc sanitatis recuperandæ gratia missus, meliusculè primùm, tum propter frigidiorẽ anni tempestatem dete-

deteriùs habere cœpit. Toto autem afflictæ valetudinis tempore, quod graue fuit & diuturnum, nec parua, nec obſcura ſpectatę cuiuſdam patientiæ, inſigniſque in Deum ac cælites omnes pietatis reliquit noſtris hominibus documenta: paratiſſimo in primis animo mortem opperiens, cuius ita ſupremum diem explorabat, vt à medicis enixiùs perſæpè contenderet, vt ſe eius imminentis maturè facerent certiorem, quò ſe ad eam ſeriò diligenterque compararet. Veritus ſcilicet ne rariùs ſumenti præſentiſſimum ad extremum illud iter conficiendum viaticum, cuius fruendi fuit in paucis cupidiſſimus, contingeret de vitæ ſtatione decedere. Tanto verò conſcientiæ Superiori nudandæ flagrauit deſiderio, vt nec id piæ grauiſſimè decumbentis voluntati negari potuerit. Paucis ante obitum horis cùm obſtupeſcerent magis magiſque ſenſus, totumque corpus hebeſceret ſchedam è theca reliquiaria quam religiosè collo geſtabat appenſam, detraxit, percurſiſque eximio quodam ſenſu illius beatitudinis quam præſentiebat animo, tutelarium Sanctorum nominibus omnium identidem ſuppliciter opem implorauit: ſacroque demum inunctus oleo, quò expeditiùs cum hoſte communi luctaretur, in Beatorũ, vt ſperamus, domicilium euolauit ſexto Idus Februar. Alter Ioannes Franc. Nandoilletus in hoc item Collegium miſſus, ſi fortè quem alieni cæli grauitate morbum contraxerat, natiui poſſet ſalubritate depellere. adoleſcens egregiæ omnino ſpei, vt qui non tam in gremio quam incitatiſſimo modeſtiſſimæ matris ad pietatem ſermone eſſet educatus, cuiuſque incenſa ad Dei obſequium ſtudia iam tum in adoleſcentia velut in herbis ſignificabant, quanta virtuti maturitas, & quæ fruges induſtriæ eſſent futuræ: impigrè ſupraque

praque ætatem ſtrenuè obito religioſi catechiſtæ apud Veſulanos officio diutina tandem tabe conſumptus interiit. Hæreticis (in quo alumnum Societatis agnoſcas) fuit infenſiſſimus: quippe qui cùm ad ea orthodòxæ formulæ verba perueniſſet, quibus ſacrilega nefariaque eiuſmodi colluuies à ſacris omnibus arcetur; repentino quodam ardore ſpiritus eos non ſecùs ac exitioſa Chriſtianæ reipublicę prodigia quanta maxima potuit intermortuæ vocis contentione eſt execratus. Idem Beatiſſimæ Virginis cultor eximius, à qua propter caſtè integreque curatum Parthenij Sodalis munus, dum ſub Virginis ipſius ſignis militaret, ſe in extremo, quod multis eſt cum humani generis hoſte certamine, nequaquã deſertum iri confidebat. Obiit demum tam crebrò repetens ſalutiferum IESV nomen, vt maxima adſtantium, nec minore ſui voluptate pluſquam quinquagies ſit auditum. tantum in ſuauiſſima potentiſſimi nominis appellatione aduerſus mortem ſentiebat eſſe præſidium. Feruet domeſtica diſciplina, noſtrique magna ex parte B.P.N. commentationibus exculti, nihil verò amplius cùm illorum, tum ciuitatis ipſius animos ad diuinæ maieſtatis amorem inflammauit, atque noua noui templi fabrica, quæ piorum munificentia ſine vlla æris alieni contractione, hoc anno tandem abſoluta. Natalitia Chriſti præcurſoria dies, ſolemni priùs indicta ſupplicatione ad efferendam veteri ex ſacello malè materiato & ruinoſo Euchariſtiam, templum aperuit, primumque Sacrum magna omnium ordinum frequentia ac ſcholarum pompa celebratum. Vndecimo Kal. Octob. qui dies B. Matthæo ſacer, maiori & frequentia & celebritate à Reuerendiſſimo D. Ioanne Dorotheo Epiſcopo Lauſanenſi, Pontificali planè ritu ac ceremonia augu-

augustissimo IESV nomini consecratum, gestientibus supra modum omnibus, gaudioque triumphantibus, quòd ea tempestate qua tot ecclesias affusæ circùm regiones impiorū furore solo complanatas insanabili dolore lamentantur, Dolanorum ciuium liberalitas immortali Deo ædem pulcherrimam excitasset. Ipse Antistes cohortatione sub Sacrum habita ad circumfluam multitudinem, qua eam Indulgentiarum, quas amantissimè Pontifex Maximus in decennium anniuersario consecrationis die concessisset, simul ac aræ animarum flammis purgantibus addictarū Pontificio priuilegio expiatricis commoneret, perhonorifica instituti nostri commendatione, Societati non solùm præconium tribuit, sed amplissimum etiam propensissimæ erga nos voluntatis testimonium impertiit. Auxerunt pompæ celebritatem multi variique triumphales arcus multicoloribus tęniis implicati, quibus sacra ædes tota ferè inuestiebatur. In iis permulta cuiuscumque generis humaniorum litterarum dædalmata peristromatum loco appensa: passimque illa ingeniorum monumenta, emblematum ænigmatumque perillustri pictura pyramidum multiplici ex versibus quandam in figuram speciemque eleganter concinnatis cælatura tanquam stellulis ad aspectum iucundissimis distinguebātur. Nec ea pompa solius consecrationis diei fuit propria. totum ipsum octiduum simili fermè celebritate transactum. Suus cuique dies vtriusque tum moralis, tum sacrarum Litterarum interpretis Theologiæ necnon Philosophiæ disputationibus est attributus. Ad hæc acta tragœdia, Sanctus Sigismundus Burgundiæ Rex: quam excepere solemnes ænigmatum explicationes διαλογιστικῶς factæ magno applausu. Ad extremum octo diebus euolu-

tis Deo Opt. Max. in gratiarum actionem totas quadraginta horas supplicatum pari ferè externorum & concursu & pietate: quam in sacra supellectile ornanda, in nouique templi vsus non mediocriter promouenda, vel maximè declararunt. Ea certè omnia magno fuere argumēto cùm ciuibus, cùm externis, qui festum consecrationis apparatum inspecturi confluxerant, quantū scholæ florerent ac studia, conuictorum prçsertim, qui flos iuuentutis vtriusque Burgundiæ delibatus supra centum numerātur, longè plures futuri nisi ædium excluderentur angustiis. Quod collacrymantibus interdum parentibus accidit, certatimque diem alicuius discessu aucupantibus, quò voti compotes fidei nostræ liberos omnino committant. Ex iis, qui scholis nostris iam pridem nuntium remisissent nonnemo repertus est, qui cùm octo iam annos sacris mysteriis caruisset eo consilio, ne amores pestiferos missos facere cogeretur, diuinitus in[illegible]ctum penetralibus incendium præcipitem hominis in deteriora proruentis audaciam remotum est. Quod tamen emisso melioris vitæ & confessionis ineundæ voto statim restinctum. Ergo conualescit, & immemor & voti & confessionis ad pristinas turpitudinum nequitias reuoluitur, solitoque in libidinum cœno volutatur. Tum ille suæ in vltorē Deum perfidiæ memor, arctiori iterum se voto obstringit peccata expiaturum. Rursum igitur quę singularis Dei bonitas, morbi vis statim remissa. Proripit se è lectulo, adit vnum è nostris, omnia flagitiosæ vitæ instrumenta, quibus in nequitiam abutebatur, vltro defert, tandemque in sacra confessione malorum remedium, & animi quietem inuenit. Plurium animi sacris B. P. N. meditationibus perpoliti. In iis vir fuit ciuitatis longè princeps, qui grauis-

grauiſſimis diſtrictus negotiis luctuoſas ſanctioris hebdomadæ ferias tam pio ſalutarique negotio deſtinauit: cuius ex emolumento, quod futurum ſperamus, non exiguam ad plurimos vtilitatem peruenturam putamus. Trium Sodalitatum egregius in B Virginem cultus & obſeruantia, ſed mirabilis Annuntiatæ amplificatio. Tantus enim cuiuſuis generis hominum ad eam concurſus, vt illam partiri neceſſe fuerit, & honoratiorũ vnam, plebeiorum alteram conſtituere. Ex illis vnus, cùm è pedibus grauiſſimè laboraret, variiſque fruſtra tentatis remediis Dei parentem imploraſſet emiſſo voto, in pedes illicò mirantibus domeſticis ſoſpes integerque exiliit. Hæc domi & in vrbe, illa foris. Octo circiter è noſtris in vicinas vrbes & opida dimiſſi, qui non mediocriter rem Chriſtianam adiuuerunt: nam præter remiſſa multorum inueterata odia, detractas pellices, conſeruatum pleriſque virginibus pudorem, prauas conſuetudines vel ſublatas vel imminutas, doctrinam Chriſtianam inſigni cum fructu traditam; Arboſij matrona honeſtiſsima, cuius deſperatiſsimo morbo curando cùm fruſtra deſudaſſent peritiſsimi quique medici, vtpote qui modò anteriorem corporis partem, modò poſteriorem inuaderet, ex ſuperiore in inferiorem, eodem fermè temporis puncto, non ſine acri doloris morſu diffluerct: vnius tandem è noſtris operâ, apud quem conſcientiam exonerauit, cuiuſque ſuaſu votum Beatiſsimæ Virgini nuncupauit, ita priſtinam recuperauit valetudinem, vt votiuum vnius diei iter illicò ex periculoſiſsimo morbo recreata pedes confecerit. Aliud ſequitur fortè mirabilius. Propter Arboſium domus quædam adeò nocturnis erat lemuribus infeſta, vt planè conſtitueret paterfamilias magno rei fa-

 milia-

miliaris incommodo aliò demigrare. Inter cetera illud importunissimi hostis mixtam crudelitati petulantiam coarguit, quòd ex canum in omnem se partem versantium miserandis latratibus appareret, quàm pessimè ab eo exciperentur. Eò cùm se contulisset sacerdos noster, exanimatos metu domesticos peccata iussit expiare: tum aqua lustrali irrorãs parietes, omnibus sacræ ceræ præsidio communitis, atque adeò ipsis cubiculi foribus, vbi harum laruarum insolentiùs sese iactabat procacitas, B.P.N. affixa imagine, inquilinis omnibus pacem & tranquillitatem & lætitiam attulit. Grayaci sacrosanctum Eucharistiæ armarium septuaginta aureorum pretio curatum: virque primarius, qui multis nominibus apud vrbanos malè audiebat, cunctis mirantibus ad nouam modestiæ & mansuetudinis rationem adductus. Vesulij tanta diuinæ legis audiendæ sitis & auiditas, isque concursus (quamquam binæ festis diebus haberentur conciones) vt multi præ ingenti multitudine deliquium paterentur. Ex iis vna cùm animo concidisset (incertum tamen qua ex caussa) ne quis grauior tumultus oriretur, piaculari tantùm illam aqua asperserunt: ipse concionator, nisi è suggestu monuisset vt efferretur, animam quam eo ipso die domi reddidit ibi efflasset. Sequenti concione tantus repentinæ mortis terror auditoribus iniectus, vt omnes iam alioqui satis incensi animorum expiandorum desiderio mirificè flagrarent. itaque non diluculo tantùm, sed & intempesta nocte expergiscebantur, ad templi vestibulum pernoctabant, vt foribus apertis primi ad exedram peccatorum expiationi destinatam prouolarent. quin etiam reperti sunt, qui eandem ob caussam non frumento tantùm, sed & non exigua pecuniæ summa cum ædi-

tuo

tuo paciſcerentur. Ex iis quanta fuerit morum commutatio licet colligere, vt ex eo quod ſubiiciam. Cùm D. Georgij tutelaris eius vrbis Sancti celebritas in ſecundas Chriſti Reſurgentis ferias incidiſſet, vt noſter vecordibus choreis, quæ tunc intemperatiſſimè agitantur, cum Magiſtratu iſſet obuiàm; ſeſe omnes iiſdem ipſis ſaltatoribus admiratione defixis eouſque continuerunt, donec ſub cœnam in vireſcentem planitiem conuolarunt, & ſigno quaſi dato cunctantem multitudinem ad ſaltationem euocarunt. Quod vbi noſter eſt ſubodoratus, præter morem ad inambulationem Magiſtratu comitante egreditur. Statim ac comparuit plures confeſtim è procacioribus ſe in fugam proripuerunt; alij verò de modeſtia & pietate Chriſtiana commoniti in proximum quoddam ſacellum orandi cauſa confluxerunt. Mulieres duæ à meretricia vita ad continentiorem reuocatæ: multa malè parta, aut etiam ſuperiori bellorum tempeſtate ſublata legitimis dominis reſtituta. Adoleſcens olim Catholicus cùm peſtilentiſsimæ hæreſeos venenum in Anglia, in quam è Belgio miſſus à patre fuerat, hauſiſſet, demum apud Catholicos, ad quos vt transfugeret crebrò ſe impulſum ſentiebat, hæreſim ita depoſuit, vt Miniſtrorũ Gebennenſium in eo auocando irritus planè labor extiterit. Vinctis omnium rerum penuria laborantibus ſubuentum. Serica vmbella honorificentiùs exportando Sanctiſsimo Chriſti Corpori comparata. Veteri ſalutaris aquæ lauacro fatiſcente, egregio aliud opere excitatum.

Collegium Vesontionense.

QVÆ in vrbe, quæ foris multiplici excursione hoc anno per nostros feliciter gesta sunt, paucis commemorabo. Nam præter ciuium propensissimam in nos voluntatem, Magistratusque singulare studium in amplificando Collegio, sanè tam multa alia extitere non vulgaria, iis vt singillatim recensendis sit supersedendum. Illustre est matronæ cuiusdam nobilis exemplum. decumbebat illa multos iam menses morbo afflictata, quam ita per nostrum sacerdotem Deus erudiuit, multis vt nobilibus esset stupori; effigiem præterea talem pietatis impressit & constantię Christianæ, vt admirationi fuerit. diem suum prædixit vltimum, ad quem vt se pararet Deum sæpissimè suauissimeque alloquebatur. Religiosam dixisses, quæ multos annos degisset in monasteriis. huius tam nobili exemplo & felici exitu effectum, vt nobiles nostrorum vtantur operâ crebriùs. Alterius non dispar exitus. Is erat Senator insigni eruditione ac prudentia, nec minore in nostrum institutum studio. vt sibi cælum patere audiuit à nostro, Ergo illuc eamus (vociferatur) Eamus, inquam, agite porrò, eamus. Iis in vocibus repetito IESV nomine suauissimè obdormiuit. Qui in vrbe Quadragesimæ tempore concionatus est, mirificè excitauit omnium animos, vnde Sacra frequentantium apud nos ingens omnino numerus, & crescit in dies. bis præsertim in anno, dum sacra syndon, qua sacrum Christi corpus inuolutum est in sepulchro, visenda proponitur infinitæ propemodum multitudini, quæ vndique accurrit statis diebus. nec pauci tunc temporis turmatim ventitant confessionis apud nos facien-

faciendę gratia, quibus fieri vix satis potest Aucta præterea sacra supellex duplici eaque centũ & viginti coronatorum veste à nobili quadam matrona, quæ nominari noluit præ modestia sua, calice item ac peristromate. Maior Congregatio crescente numero in duas diuisa est, altera sacerdotum est ad trigintaquinque, laicorum altera supra centum: quorum probata patientia est iurgiis dirimendis perferendisque contumeliis. Beatissimæ Virginis præsentissimam opem sensere tres triplici in casu. terna dicam miracula. Vnus quidem è superiore domo miserandum in modum decidit inter vota precesque nonnihil læso capite, attritisque membris; gratias Deo eiusque Sanctissimæ Matri acturus, tertio pòst die venit in nostrum sacellum. E tecto alius fallente gressu corruit, B. Virginem deprecatur. iacet exanimis. ecce tibi rediit ad se, beneficium, læso tantillùm capite in quod pronus inciderat, prædicabat, nostrum sacerdotem vocat, & confessus, & Sacramentis refectus visus derepentè meliùs habere, & omnino conualuit octauo pòst die. fuerat ille paulò durior in fratrem, iusta vt sibi videatur dę caussa monentis Dei vocem casum illum interpretari. quare omnem mediis in doloribus præcidit simultatem, iniuriam condonauit. Tertij lapsus omnino miraculo persimilis. Ex præscripto Sodalitatis vt bene manè Sacro interesse exoptat, nescio quid inaudit, Abi hinc, abi, inquam, te foris opus exspectat, ne Sacrum hodie audias. hìc ille hæsitare, obstupescere quæ internæ voces, quis ingerat, quis animi motus. Adeo velis nolis, ait Sodalis rudis, taliumq; motuum insolens. vt confectum Sanctissimum Sacramẽtum denuo instare malus spiritus, hominem pungere acriùs, discedat ab ea mente. non paret. imò in proposito

ſuſceptoque conſilio conſtantior euadit, totum reuerenter audit Sacrum, diſcedit paratior ad opus & tentationem, faciliore cliuo montē bene altum ſuperat, alia ex parte ſcopulis hinc inde eminentibus præcauendum. vt ligna colligit, quaſi à matutino propelleretur hoſte quem proſtrarat, præcipiti lapſu deuoluitur per abrupta, arbuſculis prendentem manum quaquaverſum ſequētibus: ſaxum ingens diceres deuolui maximo impetu ad imum. ſubſtitit tādem media in rupe, ac rediit tantiſper ad ſe, Deo gratias ac B. Virgini ingentes agit, quos inter cadendum implorat. Vix luculentam in capite plagam linteolo vtvt poteſt cooperit, cùm pręcipitium videt ad pedes: quod tandem euadit ſingulari patronæ ſuæ ac S. Dionyſij (cui dies ille erat feſtus) beneficio. quod omnes qui extinctum iam iamque in fruſta decerpendum per ſcopulos ad ima præſtolabantur, non ſine miraculo prædicarunt. Nec defuere ſuo muneri, qui de minori Congregatione ſunt. Florem enim virtutis & indolis diſcipulorum noſtrorum hæc ſibi vendicat. Ex iis duo ſe ad inſtitutum noſtrum applicuerunt, duo alij ad alia, plures à ſæculo fugam meditantur, ſe interea egregiè exercent pietatis officiis. Ipſis Bacchanalibus in xenodochio pauperes cuiuſque conditionis epulo exceperunt non ſine appoſita cohortatione mundiſſimoque & honeſtiſſimo apparatu; aperto capite, ſummo ſilentio ordineque miniſtratum: placuit profuitque vſurpata cum pia lectione lautitia. Supplicationem etiam inſtituerunt ad diſſitū cœnobium perfrigido cælo ad auertendam cæleſtem iram. Adoleſcens deſperata valetudine extremo inunctus oleo, dum impendentem extimeſcit interitum, ferenti quidem illi libenter ſuaſum à noſtro eſt B. Virgini ſe daret, efflagitaret admitti in Sodalium

dalium numerum.fecit quidem ille libenter, postmodum conualuit. Alterius de Sodalitate funus pro more elatum mœstissimi parentis desiderium non mediocriter leniit, dum longo ordine socios cereis versibusque prosequentes mirabundus intueretur. Placuit institutam in vrbe catechesim alio ordine eoque meliore perpetuare. Quare puerorum multitudo suas in classes diuisa est, quibus edocendis, Sodales quidem pueris constituti, puellis matronæ, magna approbatione ciuitatis. Porrò qui nostras frequentant ii omnino ad 880. Casibus conscientiæ intersunt etiam viri graues Doctoresq; non pauci: quo fit, vt nostrum nomen amplificetur ad maiorem gloriam Dei. Adolescens pius ac mirè simplex annum iam & dimidiatum nostris dederat operam in Grammatica; cùm illi præ inopia repetēdum fuit patrium solum: vbi pecuniam collegit, statim ad nos reuertitur. Illi se prædo quidam viæ comitem dat, seseque sensim insinuat, quò faciliùs nihil suspicantem doli scholasticum aggrediatur. Ambo digressi de via in siluam. Pluuioso cælo tantisper sub arbore consident dum sudum fit. At ecce incautum spe nummorum opprimit sicarius, pugione pectus fodit, vitam plaga letifera ereptutus, nisi clientem suum diuina eripuisset bonitas. Huic se noster adolescens omnino committit, rogat obnixè ne se patiatur vita excedere sine confessione quam in votis haberet: Sanctissimam Mariam æquè piè obsecrat dum scelestissimus comes vulneribus infligendis occupatur. quo citò citiùs rem conficiat, tum demum capiti multos infligit ictus, fauces pede premit & pollice, ne morientis extrema vox audiretur in via publica. Cùm autem manum prementis amouere vellet à iugulo vi spiritus, quem modicum adhuc

ducebat;furere ille multò magis,& plagis confodere omnino ad quadraginta octo, quarum quatuor essent mortiferę,pecuniolam omnem,vestes eripere, dum se tandem fugæ dedit,occiso, vt sibi persuadebat, comite,eiusque cadauere frondibus cooperto. Post tres horas redit ad se, viribusque vtcumque firmatis transeuntium opem implorat. Accurrunt rustici dolentes sibi non licere per negotia pluribus officiis eum iuuare: quare linteolo aliquo inuolutus deseritur. Mulier interim paulò humanior ad spectaculum accurrit, cuius sollicitudine & cura defertur saucius ad pagũ vicinum, vbi vocato sacerdoti confitetur. sacerdos rogat an crimen illud percussori condonet;promptissima annuit ille voluntate. cumque astantes vociferarentur minimè parcendum scelesto, Ne, amabo, inquit, tot illi mala velitis, quin potiùs mecum vnà precamini,cùm sic faciliùs multò leniatur dolor quàm vindicta. Peritus admodum chirurgus negauit sine miraculo posse eum diutiùs viuere,dum nihil interim artis suæ omittit; sanatur adolescens præter omnem opinionem ,& iam scholas nostras sanus & incolumis frequentat. Dederat se B.P.N Ignatij commentationibus excolendum vir nostri percupidus;hunc primo ipso die ita turbauit dæmon , vt sibi videretur audire nescio quem suggerentem , Quid hîc miser concipis? quid moliris ? nihil omnino speres è re tua fore. Molestum tironi fuit certamen,longè molestius dum se primis daret meditationibus : agitabatur enim dubio inferni ac futuri iudicij. vicit hostem patientia , victoriam secuta pax & tranquillitas non parua.Sacerdos item quò se accuratiùs paret ad primum Sacrum,iisdem exercitiis est expolitus. Ducta porticus est, qua non modò distinctæ Collegij ædes iungerentur, sed classes

etiam.

etiam intermediæ diuiderentur à nobis. impluuium vtrumque lapidibus maiori ex parte structum est. Mulieres aliquot à turpi vita ad honestiorem traductæ. quo in genere extitit cuiusdam non vulgaris conuersio. Ex impudico amore, vt solet, odium conflatum impuro homini ita exstimulauit iram, vt perditæ non leue vulnus infligeret sanitatis animæ ostium. quare resipuit illa tandem nostrorum hortatu, vt quæ fuit plurimis scandalo, nunc veræ pœnitentiæ exempla non leuia det omnibus. Desperatione exagitata mulier sacellum nostrum ingressa se nostro sacerdoti sistit ignara quid ageret, an laqueo, igne, vel aquis durissimam vitam sibi abripiat nostro proponit, multa perturbatissimè effutit, sui omnino impos leuari inposterum visa tædio vitæ. Quidam non vulgaris notæ templum fortè nostrum ingressus, vt vidit confitentes plurimos, Ecquid hocce rei? quid? miser ego homuncio curam aliorum, mei non geram? (erat enim sacerdos & Parochus.) audio mihi peccata detegentes, me verò non audiam? esto vt cæteri, ita nos nunc præstemus. sicque contigit: ergo vt monitus fuit cogitationem hanc vt diuinitus immissam non esse negligendam, totius vitæ noxas priusquam discederet, eo ipso die expiauit, concepto desiderio vtendi aliquando nostris in suo pago. Accersitur sacerdos noster ad ægrum ex malè actæ vitæ consideratione in phrenesim lapsum: vt vidit Patrem, illicò mutato vultu ac voce obtemperaturum se recepit. verùm paulò pòst ita furiis visus agitari, vt nostrum maximis clamoribus dæmonem esse diceret, & in eumdem impetu quàm maximo insurgeret: malè mulctatum dimisisset ni qui fortè aderant magna vi obstitissent. quæ Dei clementia est, ita derepentè mutatus est, vt an vellet con-

fiteri nostro roganti suauissimè diceret, Equidem opto. Quare totius vitæ confessionem omnino placidissimè peregit, sacrum viaticum sumpsit ea pietatis significatione vt vbertim flens spectantibus cieret lacrymas, tum denuò insanire in reliquum vitæ visus, cui quaternas Deus horas seriò procurandę saluti liberalissimè concesserit. Nunc quæ Missionum sint propria seligam de plurimis insigniora quæque. Aduentus & Quadragesimæ tempore duo ex nostris Ornaci vnus, Balmæ alter sunt cócionati, singulari opidanorum fructu: multæ sedatæ inimicitiæ: sublata inter sacerdotes odia quæ exercebantur pessimo exemplo: mille aureorum restitutiones factæ: in fide vacillantes confirmati. Bene manè habitæ conciunculæ ad operas promiscuumque vulgus, maximo plausu, fructu non dispari. tam præclarè inuentum secuta insignis morum cóuersio. Duę virgines, viginti annis vna hydropisi laborabat, altera quæ nunc viuit paralysi octo iam annis, spectris nescio quibus vrgebantur, vt se darent dæmonio meridiano, meliùs quidem habituras. Parebat illa quidem vel morbi diuturnitate, vel præstigiis elusa: quare grauis lustralis aquæ, cerei agni, etiã confessionis mentio. dum nostri hortatu à negotio perambulante in tenebris reuocata omnino est errorem fassa multis lacrymis ac sensu antequam efflaret animam. Quæ superstes adhuc est, licet difficillimo detineatur morbo, mirum quàm variis tentationibus Deus patiatur suam virginem exagitari, at nunquam superari, & est videre quantum virtus in infirmitate perficiatur. Huic affine est quod referam. Matrona quædam pietati in B. Virginem dedita, instituti etiam nostri perstudiosa, dum patronæ suæ Litanias suaui cantu persolueret; en incautam de superiore domo magna

gna ſaxorum lignorumque congeries opprimit, ſepulta iacet ſub pondere, nullus qui eam extinctam non fleat. ſed mirum viſu dictuque. omni ope conatum eſt, vt erueretur quàm citiſsimè. ecce tibi ſine ſenſu, ſine voce, mortuam diceres. dum redit ad ſe contuſo non mediocriter capite, non eximitur mortis periculo, donec B. Virginis ope factum exclamatur miraculum: quod nunc bene valens prædicat. Alia in vrbe inſtituta doctrinæ Chriſtianæ explicatio magno grandiorum iuxtà ac puerorũ bono, vt qui adeſſent viri graues teſtarentur ſe plus vtilitatis ex catecheſi capere, quàm ex concionibus, & iis vulgus oblectaretur mirificè. Quare multò plures catechiſmus tota Quadrageſima habuit, quàm matutina cohortatio. Ea porrò confeſsionum frequentia, noſter vt noctes aliquot duceret inſomnes: bona ciuium pars generalem inſtituit confeſsionem. Nec ſuffecere magni ieiunii dies, à Paſchate prorogandum fuit tempus quò plurium voluntati ſatisfaceret. Meditationis vſus & conſcientiæ examinandæ apud moniales introductus. Huic exercitationi certatim aderant plurimi, dum coram Sanctiſsimo Sacramento noſter puncta proponeret, & cũ ceteris maximo ſilentio commentaretur. Inuentum præterea placuit religioſis virginibus, & iam inductum in morem eſt, vt pueri IESV cunabula quadraginta ipſos dies inuſitata pietate cohoneſtentur: quo tempore honeſtiſsimi loci ciues præſepe frequentarunt magno ſenſu pietatis, probaruntque inuentum alendæ meditationi. Religioſa aliquot iam annos ſanguinis per nares miſsione quotidiana non procul aberat ab interitu. ex quo à noſtro cereo eſt donata agno, mirum, non effudit ſanguinem. caſu factum paulò pòſt, vt agni particulam amiſerit, expulſa re-

diit

diit lues, petiit illa solitam opem, denuò reuocata sanitas est, metusque sublatus mortis Beneficium illa prædicat. Habet hîc patrem quidam de Societate, quem ipse sæpiùs coràm præsens, absens per litteras ad generalem peccatorum expiationem fuerat hortatus. nihil apud patrem preces, sed nihil minùs cogitanti de nocte torminum vexatio hominem ita agitat, vt non procul abesset à morte, concionatorem nostrum euocat intempesta nocte, rogat maiorem in modum sibi aures confitenti præbeat, se velit nolit mouentem Dei vocem audire, imò acrem stimulum sentire, generali animum confessione expiauit. Atqui, mi Pater, filium moneto meum, me tandem paruisse saluberrimo consilio vi adactum diuina: imò vt à periculoso morbo liber euasit rei seriem filio lætus exposuit. Quatuor abiurarunt hæresim. Mulier quædam in hæresi triginta annis educata, vt prioris meminit vitæ, vt beneficij à nostris accepti, mirum quàm afficiatur rebus diuinis. Ipse Procpiscopus non raró mittit ad nos, qui se ad Catholicorum castra conferunt, instruendos informandosque. aliis præterea in difficultatibus nostrorum operâ libenter vtitur. Ibidem, quod numquam aliàs, magna piorum approbatione priuatim sacerdotes edocti vt excipiendæ sint confessiones. Placuit etiam instituta supplicatio pueris mysteria pasſionis eiusque insigniores figuras referentibus, eo pietatis sensu collacrymantium multorum, vt singultus exaudirentur, oculi spectantium pascerentur nouo argumento. Effectum præterea est, vt piæ matronæ alendis in xenodochio ægrotis in singulos dies sibi ordinem præscriberent. Milites vrbem totam furiis, vi, rapinis expilarant: vt furor ille deferbuit quadruplici infestus incendio, qui ex itinere ægrotabant remanentes

remansere, in quos tantum abest vt sæuitum sit, quin potiùs contenderent officiis. Ipsi malè tractati militum iniuriam superare. itaque ægrotos admodum liberaliter iuuerunt, defunctos honorificè sepeliuerũt, ac terræ mandarunt, bonũ pro malo reddere docti. Annum clausit hunc tragœdia septem Machabæorum, sumptibus & approbatione magistratus, omniumque ordinum maximo conuentu studioq; celebrata. Quadraginta horarum suscepta oratio miros apud nos excitauit pietatis sensus. Variis denique per pagos excursionibus nostri egerunt, vt importuna diebus festis licentia comprimeretur, cõfessionis & Sanctissimę Eucharistię vsus induceretur. Sanè in vna parœcia sacerdos noster ducentas supra mille excepit confessiones paucis diebus, induxitque veterem illam sumendorum Sacramentorum consuetudinem.

Domus Probationis Auenionensis.

DOMVS Auenione nostræ Societatis addicta tirocinio, pro nouitiorũ & eorum, qui admitti cupiunt, multitudine, nimis angusta & malè materiata est: idcirco, vt à fundamentis noua possit ad Societatis normam extrui, sedulò in ædificationem necessaria comparantur. Sed cùm à domo Dei maximè ducenda sint initia, noui templi prima hoc anno fodi cœpta sunt fundamenta. Quare vt omnia ritu sacro solemniqúe fierent, Illustrissimum Prolegatum P. Rector suo, Dominæque Ludouicæ de Ancezuna nouitiatus ipsius fundatricis nomine rogauit, vt primum in fundamenta lapidem consecrare vellet; animo ipse lubentissimo annuit, dictaque die Magistratu multisque ex vrbe principibus viris comitatus, ad locum

vnde

vnde lapis deiiciendus erat progressus, ibique linteatus, mitra aliisque pontificalibus ornamentis, quibus Episcopi sacris talibus operantes vtuntur, insignis, cum symphonia solemnique precatione primum lapidem ritè consecrauit, cuius in marginibus hæc sculpta fuit inscriptio:

CLEMENTE IIX. P. M. ANN. PONT. X. CAROLVS DE COMITIBVS, BARO ROMANVS, EPISCOPVS ANCONITANVS, PROLEG. AVENIONENSIS BENEDIXIT.

Hæc verò aliam in medio lapide claudebat inscriptionem huiusmodi:

D. O. M.
S. REGI LVDOVICO SACRVM.
LVDOVICÆ DE ANCEZVNA D. DE CADEROVSSE, &c.
QVOD IPSIVS PIETATE LIBERAL.
NOVITIIS SOCIETATIS IESV REDDIT. OLIM STATVTI,
ÆDES SACRA NVNC FVNDATA, DOM. PROBAT. SOC. IESV
GRAT. ERGO TITVLVM SCRIPSIT,
ET PRIMVM LAPIDEM IPSA PRÆSENTE SVPERST. RITE LOCAVIT
APRIL. 25. ANNO SALVT. 1601.

Ab eo verò tempore, progressus eousque factus est, vt omnia iam probè iacta fundamenta solum ipsum æquēt. Neque verò priuatis parietibus sese tironum industria continuit, sed præter vsitata xenodochiorum (in quibus non pauci sentinam conscientiæ totius vitæ peccatorum purgatione exhauserunt) peregrinationis etiam munera, in quibus egregiè se ad agendum, & ad patiendum paratos præbuere, ingenti animi ardore & fructu non contemnendo, identidem in compitis ac plateis catechismū rudibus tradiderunt. quo in genere

nere qui tertium tirocinij annũ explebant, suam non segniter operam posuere. Itaque præter illa quæ Societatis tirocinio solemnia sunt, præter eum quem ex peregrinatione sibi collegere patientiæ paupertatisque religiosæ non mediocrem fructum, proximis etiam profuerũt. accidit enim plusquam vicies, vt nonnulli vipereis linguis numen Dei nomenque violantes, nouitij suasu culpam eluerint suam, virusque criminis confessione euomuerint; & eandẽ sibi quoties temere numen vsurparent iniunxerint pœnitentiam. inde factum, vt longo vsu iniquo assueti iuriiurando ab eo desuescerent. In pagum introgressi alij à Curione paganisque ad mulierem deducti sunt, obfirmato cibum animo iam triduo recusantem, eo scilicet nomine (aiebat ipsa) quòd illo quasi compendio, ad cælum velocissimè esset migratura: nostrorum tamen hortatu ab ea vesania deducta cibum sumpsit & mentem saniorem. Alius de nostris Bacchanaliorum tempore in quoddam nauticis hominibus illustre opidum missus, concionem in templo cleri rogatu habuit, non sine graui eorum reprehensione, qui nocte proximè præterita per opidum cursantes mœnadum quasi ritu bacchati fuerant. profuit concio etiam absentibus: non enim defuerunt, quos vehementer insolentiæ nocturnæ tæderet. Nam cùm accepissent ab aliis concionatorem seriò in illam amentiam Christianis hominibus indignissimam inuectum esse, peccatorum apud sacerdotẽ enumeratione scelus aliqui expiare statuerunt & perfecerunt. inter eos ille ipse fuit choraules, qui ceteris animos addiderat. is ingemiscens ad nostrum adiit, seriò promittens non parcè pecuniam se in egenos libenter erogaturum, si crimen hac ratione deleri posset; addidit se posthac huiusmodi nefa-

riæ

riæ arti operam nequaquam daturum, vniuersæque vitæ confessionem, quasi datæ fidei pignus instituit: denique si non ardorem totius temporis insanum extinxit ille noster omnino; multùm tamen repressit atque temperauit. Ex iis autem nouitiis qui sunt hoc admissi anno, vnus memorabili ratione vocatus est: cùm enim iam in procinctu esset ad extremum cum mundo immũdo congressum, ingressumque in Societatem tantùm cogitaret; non potuit fratrem quicum litteris operam dabat fugere, quin fugientis pallium apprehenderet; occlusisq; ianuis omnem egrediendi domo præcluderet aditum: donec vocatus parens insignem impediret filij victoriam. sed nulla vis veræ viam claudit virtuti. Apertam itaque longam post moram cernens improuisò ianuam, relicto fratris in manibus pallio, boni tenax propositi, carnis & sanguinis tenaces effugit manus. Egregium sanè post magni illius Patriarchæ Iosephi (quamquam paulò dissimili ratione) mirabile facinus animi generosi de carne & mundo triumphantis exemplum. Itaque sine pallio non erubuit ad sacram veluti anchoram in Collegium nostrum sese recipere: sed qui mutuum ipsi daret in via pallium (Deo ita prouidente) occurrit. Hanc animi in tam ingenuo adolescente magnitudinem P. Prouincialis admirans in Societatis nouitium cooptauit. Cumque sibi tranquillo esse in posterum polliceretur, iamque suauissima diuini Spiritus aspirante aura, transmissis mundanarum syrtium voraginibus, in se rediens B.P.N. Ignatij commentationibus quasi splendidissima illustratus pharo, stationem sibi aspicere videbatur tutissimam, qua salutis ad portum rectâ proueheretur; ecce tibi alto derepẽte quasi fluctuans in Oceano procellosis acta tempestatibus misella

cymba conflictatur. valido enim paterni furoris agitata vento, non procul à naufragio, nisi benigna patronæ Virginis aura illi reflante turbini euasisset. ipsa enim stella maris & domina facilè turbulentas irati sedat pelagi procellas. Ira igitur quasi typho, prętumidus parens quæ vires acquisierat eundo, scilicet è plusquam centum milliaribus (quibus audito filij proposito Auenionem iam senio grauis, sed desiderio addente alas aduolarat) nondum ita firmam, vt putabat, circumagit nauiculam: quam vbi tenaci anchora fundatam experitur, leniori aggreditur incautam (vt censet) susurro & Scyllæo veluti cantu pudicas aures demulcens ad vada præcipitem sensim tentat impellere. Non hîc Vlyssea defuit prudentia: cera nimirum sinceræ pietatis cordis aures obturans è tantarum procellarum freto diuâ fretus Virgine sese eripuit. Blandis igitur filium pater aggressus est sermonibus, remque confectam arbitrabatur: Quid enim parenti (aiebat) amatissimo filius amantissimus denegare audeat? Verùm vt minæ, sic blanditiæ fuerunt irritæ. precibus mouere nititur; manet immobilis. pollicitationibus impellere; firmus & constans in eodem perstat. parentis nomen obiicit; parentem se primarium Deum agnoscere, cui primũ parere debeat, respondit. humana diuinaque iura violare conqueritur; quærit an Deo imperanti obtemperare, sit diuinum infringere pręceptum. Vt vidit parens suos in nihilum recidere conatus, in aliud tempus rem differre ratus oportunius, nonnullam tamen fecisse impressionem sibi persuadens, abiit ira adhuc prædominante victus, & filij constantia. Sed moræ impatiens pomeridianis horis reuersus, alias tentauit artes, quas nimirum tempus & præpotens animi paterni affectus suggesserat. Ita-

quę in secretum cum filio locum secedens, per Dei numen sacraque omnia filium obsecrat, vt desistat ab incepto, quàm multa in eum contulisset beneficia exprobrans, quo illum modo ceteris fratribus prætulisset (liberos enim alios natu maiores habebat) eum fortunarum heredem, stirpemque familiæ destinasse, totam in eum inclinatam gentem recumbere. Denique omnia in medium allata, quæ tenerum adolescentis animum poterant à sancto Societatis consilio diuellere. Numquam tamen vel transuersum passus est vnguem se ab eo diuelli. Postero die vbi verba se & voces in aerem iactare animaduertit parēs (quid nō valet patrius ille erga liberos amor?) procumbit in genua senex adolescentis; filium parens obtestatur. hîc egregiæ documenta constantię & firmitatis data; Hieronymiani scilicet, imò Christiani præcepti memoria vanam fecit & cassam senis parētis demissionem. eò denique ventum, vt præ mœrore & ira cælum summis eiulatibus feriret, non tamen tironis Christi feriret pectus. Adhæc linquente senilia membra animo, exanimatus in terram concidit; non cadit à proposito miles Christi, quin erigitur magis. vbi enim ad se rediit parens, vicissim filius ad genua illius aduoluitur, & quanta maxima potuit contentione benedictionem efflagitat: sed nihil flectitur pater. Ad Angelicam salutationem signum datum: filius quippe tunc effusus in preces eam sui parentis nomine Deo Patri diuæque Matri offert. Nec vana fuit illa salutatio: qui enim proximè præ ira bilique extra se positus videbatur, ita protinus sese colligens, animos remisit, vt ex efferato leone factum diceres agnum mansuetissimum. Quàm potens est perseuerans in bono proposito constantia, Deique rebus in incertis Virginisque implora-

imploratum auxilium! Ita ergo bonus immutatus senex, petenti filio bene precari non abnuit, & qui de pia filium mente deturbaturus venerat, piam ipse in filium atque in se mentem induit consiliumque salutare, animæ scilicet suæ confessione criminum sordes eluendi. filij verò generosum approbans facinus, in patriam tranquillo rediit animo, coniugique suæ idem vt faceret imperauit, impetrauitque vt ipsa ad filium scribens conuitiorum in Societatē iactatorum veniam posceret, suoque filio effusè bene precaretur. Non fuit tanti laboris opus cuidam in prædomandis parentis affiniumque obduratissimis animis, quippe diuino malleo, qui petras conterit, emollitis, at propterea non minori commendatione dignum. Cùm enim P. Prouincialis iussu, ad turbas omnes vitandas quæ in ingressu cieri solent, in patriam iuisset, postero die quo appulit (is fuit Dominicus) diuino planè admonitus consilio habuit ad ciues concionem. argumentum fuit ostendere, quàm multis nominibus ob innumera beneficia Deo essemus deuincti ad eam vitæ rationem eligendam, quæ ad inseruiendum diuinæ maiestati iuuet maximè. Itaque tanta vi atque animi ardore disseruit, vt qui hactenus illi plurimum facessierant, negotio statim destiterint, obfirmatosque in contrarium animos ita peruicerit, vt in suam facilè sententiam iuerint omnes, felicem præterea iudicarint, qui eam vitæ normam capesseret, qua præpotenti Deo posset melius inseruire. Sic igitur sedata omni tempestate, bene precanti parenti suisque salutem dicens, ad salutis portum velis, vt aiunt, & remis contendit. Eius verò fratris, cui rem nouitiatus foris procurare munus est, proximorum etiam salutem curantis in eo apparuit industria, quòd, cùm libellos ali-

quot ad vitam christianè instituendam (Praxes vocant spirituales) accepisset, distribueretque paganis eius pagi, in quo villam nouitiatus habet, vnum hæretico tanta animi suauitate ac dexteritate obtulit, vt hæreticus, alioqui ab huiusmodi donis abhorrens, oblatum receperit munus: cuius tandem lectione allectus, effectum est, vt abiurata paulò pòst hæresi, in eam doctrinam iurarit, non quam Geneuensi è lacu, in animæ suæ lacunam deriuarat, sed quam in eo libello verè Christianam imbiberat. Sed neque hîc virtutum quas B.P.N. Ignatius aliis in oris plurimas operatur, exempla prorsus defuere. Ille siquidem de filiorum salute & incolumitate sollicitus eo quo decet animo vocatus præsens adesse consueuit. In vno è nostris Patribus id comprobatum. Is ardentissima tertiana laborans tertiò iam ab ea impetitus viribus & animo deficiebat; cùm in mentem B.P.N. Ignatij venisset pridie illius diei, quo hanc cum beata vitam beatus Pater commutarat, eius precibus, quanta licuit animi contentione & spe non defuturi auxilij, nouitiorum adhæc precibus ob eam rem sese commendans: tercùm die sequenti quartus expectaretur cum tertiana conflictus, iam optimi parentis filiorum preces non audientis modò, verùm etiam exaudientis deuicta precibus febris abscesserat. Vide quàm sollicita confugientium ad se filiorum benignissimi parentis cura.

PROVINCIA SVPERIORIS GERMANIÆ.



VMERATI hoc anno in prouinciæ nostrę quindecim domiciliis, Socij 338. Ingolstadij septem supra sexaginta, Biburgi sex, Dilingæ triginta, Monachij sexaginta, Ebersspergæ quinque, Augustæ triginta, Oeniponti nouemdecim, Halæ sedecim, Lucernæ octodecim, Friburgi vno, Bruntruti duobus pauciores, Ratisbonæ vigintiduo, Landspergæ tres & quadraginta, sæpè plures, numquam pauciores, Constantiæ septem, Oetingæ nouem. abierunt de vita duo, Societatem nobiscum inierunt quindecim.

Collegium Ingolstadiense.

INGOLSTADII de humana diuinaque Philosophia variæ positiones editæ. Libri præterea à nostris conscripti: quorum primo vita parentis Societatis nostræ; altero apologia Gallicana pro Societate; tertio Catholica religio ab improborum calumniis vindicatur. Piis meditationibus imbuti duo supra triginta, & in his cœnobitæ quatuordecim, Cœnobiarcha vnus. Abstersæ totius vitæ maculæ pluribus centum. Mulier celato crimine in confessione, & è templo domum regressa, subito morbo corripitur. Caussa tam repentini mali diligenter inuestigata, se diuinitus punitam agnoscit; vocatoque sacerdote nostro piaculum detegit, affirmans nullum se deinceps delictum in confessione celaturam. A nece depulsi

nonnulli, quam sibi vel diuturnæ ægritudinis intolerantes, vel intemperiis quibusdam agitati machinabantur. In his vnus sexagenarius iam gutturi manum admouerat, vt animam intercluderet: sed dolore victus, cœpto nefario destitit. Tacebat nihilominus inops consilij, cùm ei cælestis hæc, vt opinor, cogitatio incidit, vt Ingolstadium abiens, alicui de nostris peccata detegeret, & tantis procellis sese eriperet. Fecit, idque cum tanto dolore, vt creber singultus verba intercideret. Mulierem desperabundam, quæ vim vitæ suæ laqueo, ferro, vndis afferre destinauerat, & iam è colliculo syluæ secretioris in præterfluentem se abiicere aggrediebatur, vox huiusmodi, Caue faxis, ab interitu reduxit, & ad nostrum Patrem adduxit: cui facinus confessa cum spe veniæ abiectam viuendi volũtatem recepit. Quemdam dolor veneficio inustus, piaculari confessione deseruit. Virgo dæmoni sese pellicienti diu obluctata, tandem eius precibus cessit, digitum spopondit. Ille, vt gratias scilicet referret, cingulum ei donat: quo cincta, confestim cœpit occultis de die furiarum stimulis agi, de nocte visis horrisonis terreri. Hoc malum ne perpetuò ferre cogeretur (& diu iam tulerat) bis se in aquã coniecit: quam fortè prætereuntes extractam, cognito quæsitæ mortis consilio, hortantur, vt mentem turbidam, eiectis inde criminum sordibus serenet. Paret illa monitis, & culpis à nostro Patre expedita eius iussu tartareum cingulum abiicit. Redditi Ecclesiæ Romanæ triginta tres. Inter quos adolescens, qui aurifabro in hac vrbe operam suam locauerat. Huic in morbum mortiferum delapso acris fuit cum quodam de nostris Patribus disputatio, cuius ille dicta primùm respuere, & fidem suam quibus poterat modis obfirmato animo tueri.

afferre

afferre noster contrà quæ ad eam euertendam pertinerent: sed actum agere. tandem manus dedit, apertè testatus meliorem sibi iam lucem & clariorem obortam, in tenebris hactenus errorem lapsanti, proque hoc munere diuino plurimum se Patri debere. Hæresi igitur cum criminibus exutus, sacrosanctum Christi Corpus venerabundus accepit, tanto spectantium sensu, vt temperare à lacrymis neutiquam possent. Hæreticus alius spectaculo eorum, qui in templo nostro per Quadragesimam in semetipsos flagris animaduertût, commotus, Patrem quendam confessiones excipientem exspectauit, quem labore suo defunctum in medio templo conueniens, Hactenus, inquit, inter heterodoxos fui, nunc inter orthodoxos esse desidero, votique damnatus est. Catholica mulier inter hæreticos viuens, nec illorum variis inuitamentis, nec mariti cruentis incruentisque verberibus ab auitæ cultu fidei potuit auerti. Quę constantia vt ei saluti, sic viro iniusta in vxorem sæuitia exitio fuit. lapsus enim ex edito loco ceruicem fregit. Omnium, etiam aduersariorum, vna vox erat, meritas illum Deo vindici pœnas dedisse. Omitto, quibus per confessionem salus corporis restituta est. Quidam angores animi, quibus conficiebatur ob celatum sacerdoti crimen, duris & asperis rebus conabatur depellere. Alia præterea his è pectore eiiciendis medicamenta quærebat; sed nihil proficiebat, donec letalis arundo per exomologesin extracta est. Cuidã persuasum vt confessionem, quam in crastinum differebat, eodem die perageret, quòd incertæ essent mortis induciæ. obtemperauit ægrotus, & peccatorum nexibus absolutus, postridie è vinculis corporis euolauit. Vita cuiusdam plusquam octogenariæ in summum discrimen venerat, cùm tanta vis

ſanguinis per tot horas proflueret de naribus, nec ſiſti poſſet, accitus è noſtris ſacerdos cùm ægram expiaſſet, & ſermo de danda Euchariſtia incidiſſet, & quidam in illo narium profluuio dari poſſe cenſerent, quidam negarent, noſter rogatus poſſe reſpondit, ſpongia interim naribus obtenta. Adeſt è parœcia cum ſacra hoſtia ſacerdos, ecce velut præſentis Numinis imperio fluor ille repentè deſiit, & mulier cum Seruatore ſuo ſanitatem recepit. Doctrina Chriſtiana duobus templis in hac vrbe, & in pagis vicinis cum vtilitate tradita eſt. Puerulus genere nobilis, vt merebatur, præmio donatus inſigniori, rogauit vt plura ſibi pro eo, ſed viliora donarentur. Cauſſam rogatus, reſpondit, circa ſuam arcem in pago multos eſſe pueros, quos domum conuocatos rudimenta Chriſtiana docere conſueſſet: quorum ſtudia vt excitaret magis, pluribus ſibi opus eſſe præmiolis. Illuſtrat Academiã hanc Illuſtriſſimi Ducis Mantuani filius, quem diſcipuli noſtri feſtiuo dialogo exceperunt; Gymnaſium verò noſtrum filius Sereniſſimi Ferdinandi Ducis Bauariæ, Comites quinque, Barones duodecim, & magnus nobiliſſimorum adoleſcentum numerus. Productus in theatrum Ambroſius, aut, ſi mauis, Theodoſius: vtriuſque enim res geſtę oculis ſubiectæ, cum voluptate plauſuque ſpectantium. Illuſtri Baronum ſtirpe prognatus claræ indolis adoleſcentulus, qui hęreſin nondum eiurauerat, in domo paterna animi Catholici commemorabile ſpecimen edidit. patre enim veſcente carnibus die vetito, ille etiam oblatas ab eodem conſtanter repudiauit. Parthenius cœtus, vt alias ſcriptum, tripartitus, familiæ D. Brunonis vnum, D. Franciſci duos, totidem noſtræ, D. Benedicti quatuor dedit. Eius ſtudia præclara in pietate, omnique virtutum genere

magnis

magnis auctibus crescunt, è quibus comprecationes crebræ publicæ priuatæque, ieiunia diebus aliquot cibo nullo gustato continuata, graues & cruentæ diuerberationes, aliæque corporum afflictationes proficiscuntur: quas vt solemnes, & cum aliis Sodalitiis Marianis communes pluribus non exequor. Illud non ita frequens, Sodalis quidam bibendo temperantiæ fines egressus sese plusculum inuitauerat. facti pœnitens vt meritas à seipso pœnas reposceret, mendicum inuitatum celebriori quodam die domum suam deducit: mensæ paratæ iubet accũbere: mox ad pedes eius deiectus osculatur vtrumque, assidens deinde mendico vnà prandet: bibiturus surgit, iterumque prouolutus ad genua pauperis supplex ab eo petit potestatem bibendi. Id postremum cùm faceret, potum è poculo nonnisi priùs à mendico quamlibet inuito & abnuente sputis fœdatum haurire voluit.

Sedes Biburgensis.

Soli Biburgensis messem, quam Ingolstadienses diebus Christi nascentis & patientis adiutant, satis vberem hæc indicant. Deletæ criminum maculæ vtroque tempore amplius mille quingentis, totius vitæ tricenis: ad castra Catholicorum reducti quatuor; in quibus vnus pestifera febri laborans, apud nos mensem integrum benignè habitus: & vbi corporis animique sospitatem recepit, cum liberali stipe dimissus, ingentes pro beneficio grates egit, promisitque se daturum operam, vt quam ipse iam complexus esset fidem, eandem vxor etiam & filia complecterentur. Cerea agni cælestis icone spectra nocturna fugata, somnus opifici redditus, veneficio ademptus.

Abenspergæ opido vicino curatum, vt eorum, qui in carceribus detinebantur, non animis modò, sed corporibus etiam hyberno tempore melius foret. Vni capitis supplicium virgarum pœnâ iudicis clementia mutatum: quam pœnam subituro datum à nobis vitæ deinceps rectiùs instituendæ consilium, quod petierat. Mulier grauida quam improuidam violati suspicio thori in carcerem compegerat, dæmone instigante vitam laqueo finire decreuerat. solutum igitur ansæ ostij cingulum annectit, colloque iniectum constringit, & humi cadit onere suo depressa. Cadentis strepitus vxorem lictoris propiorem excitat. accurrit, & vinculo quo semet induerat feminam exuit. quæ à nostro carceres obeunte meliora sperare didicit, mentis sordes eluit, hostisque maligni machinas appensâ collo funis loco sacri agni imagine disiecit, marito reconciliata, & è custodia dimissa. Ista fermè Abenspergæ; vbi præter catechisten vnus è nostris à maioris ieiunij initio ad diem vsque Virgini in cælũ assumptæ sacrum Ecclesiasten ciuibus gratũ & vtilem egit. Redeo Biburgum. Hic eorum, qui manu & arte vitam quærunt egestati subleuandæ, domus nostræ vetustæ ac ruinosæ parte deiecta, vsibus nostris aptior alia exædificari cœpit, cui iam extrema propè manus imposita. Continet ea gemino ordine cubicula duodetriginta, hypocausta recipiendis hospitibus honoratioribus, quatuor. Lapsus ex ædificio operarius ruderibus sic iacebat obrutus, vt nusquam emineret, omnique iam orbatus sensu putabatur. Iis deiectis Pater identidem in aures eius nomen IESV, MARIÆ, aliorumque cælitum ingeminat. Cuius voce tanquam è graui excitatus sopore, coniectis in eum oculis, Túne, inquit, optime Pater ades? cuius mihi in casu meo

velut sopito species erat oblata? Quid, inquit Pater, ais? meam tibi speciem oblatam? in voto tibi forsan peccatorum confessio fuerat. Rem tenes, subdit ille, da precor aures confiteri volenti. Delatus igitur ad lecticam sibique redditus, vitæ noxas vniuersæ recensuit, & tertia pòst hora bonæ spei plenus excessit à viuis. Templi Alersdorffensis à nobis non amplificati modò, sed specie quoque multò quam antea erat elegantiori, & ab omnibus collaudata decorati, augescentem venerationem indicat maior indies accurrentium frequentia, supplices pompæ (duodenas hoc anno numerauimus) anathemata & munera eorũ, qui variis morbis diuinæ parentis beneficio defuncti detulerunt quorum pauca pro exemplo recensebo. Mulier vterum ferens, in exanimi oculos defixerat capite; quæ cùm stato tempore solui partu non posset, doloribus compulsa, aditum ad hoc templum Deiparę cum nouem feminarum comitatu, magnumque sacrificium vouet. audit votum Mater misericordiæ, & mulierem periculo cruciatuque liberat. Alteri imago socrus per quietem obiecta est, auxilium poscentis: quod iaturam se ei sanctè promisit. septẽ igitur stipata virginibus in ædem hanc venit, vt socrus exsolutis promissis aditum inueniret in cælum. His duabus alias duas adiungam, quarum altera filiam herculeo morbo afflictatam, si sanaretur, candido cultu amictam huc se adducturam spopondit. sanatur, adducitur, & vestis alba puellæ inter anathemata, velut beneficij monumentum, suspenditur. Altera filiolo quinquenni febribus æstuanti medicinam adhiberi à superstitiosa muliere passa, subitò ardores illos è nato in se tralatos persensit. Improuisam mirata rem, suspicatur id quod erat, caussam esse mali malè comparatum remedium.

quod

quod proinde execrata, melius atque præsentius in hac magnæ Matris domo quæsiuit,& eiectis ex animo per confessionem salutiferam sceleribus, susceptaque Eucharistia inuenit. Aliud est nobis templum Biburgo vicinum, cui à D. Leonardo nomen. Huius itidem vt Alerstorffensis cum ornatu crescit religio. Vtrimque excitatæ aræ duæ, picturis & emblematis aureis illustres. Gratum opus tum ipsi Diuo tutelari, tum populo vniuerso. Declarat id huius supplicabundi frequẽs accursus; & illius in variis morborum generibus non frustra imploratum auxilium, donis testatum votiuis multorum, à quorum corporibus hoc deprecatore, vel tormina, vel lumbago, vel cephalalgia, vel epilepsia, vel stomachi fastidium, vel tumores, vel alia sunt mala depulsa. Puellæ cuidam pedibus iam inde ab ortu ægræ redditus gressus, quam mater voti rea ter circum aram genibus reptans in admirantis populi conspectu rectè nunc incedentem duxit. Lunatico furor sedatus, & feminis duabus laterum dolor: quæ vt se gratas Abbati sancto probarent, lumbos anno toto zona ferrea cinxere.

Collegium Dilinganum.

NVMERVS eorum qui Academiam nostram celebrant, tantus quantum vix capiunt, si modò capiunt locorum angustiæ. ampliùs enim sexcentos continet & quinquaginta. In Theologorum pariter & Philosophorum palæstra data sunt ingenij doctrinæque specimina frequenter. Quadraginta primam Philosophiæ lauream acceperunt, supremam vnus supra viginti. In theatro bis, sæpiùs intra gymnasiorum parietes spectata & collaudata actorum industria est: quam acuit

acuit mirificè Illustrissimus Princeps noster Episcopus Augustanus; qui huiusmodi actionibus & ingeniorum exercitationibus interest lubenter, vt & rebus diuinis, quæ in aula Academica peraguntur. Quin ipse nonnunquam diebus celebrioribus cultu Pontificio rituq; operatur ad aram, & auditoribus nostris diuini corporis escam impertit. Collegium conuictorum incolunt plures ducentis: in his Religiosi ex 33. monasteriis 99. Mater Seruatoris suæ venerationi deuotos habet minimùm 300. in tres cœtus diuisos. Quorum prætermitto iam commemorare culta & sat longa ieiunia, gestata pluribus non diebus modò, sed hebdomadibus etiã cilicia, flagella tergis inusta; & alias id genus asperitates castigando corpori sponte quæsitas. Pompa supplex ab eis recepto more, sed nouo ducta paratu ad vrbis huius templa die parasceues. In quatuor enim partes velut cohortes tributis Christus patiens, in totidem labaris depictus præferebatur. Qui sequebantur in horto cælesti Patri supplicantem, nigris saccis, ferali veste contecti, brachiis extentis incedere: qui flagellis immaniter laceratum, lineis pannis cetera operti, nuda terga flagris pulsare: qui sentibus coronatum, serta spinis contexta in veste gestare: qui crucis mole oneratum, ligneas & ipsi cruces humeris gestare. huius ordinis pulchritudini dignitatem adiunxit comitatus frequens Academicorum, aulicorum, ipsius adeò Principis nostri: qui aliàs quoque Parthenios nostros ad templum B. Virginis duobus ampliùs passuum millibus hinc dissitum euntes prosequi neque dedignatus est, neq; grauatus, eximio sanè tam pietatis, quàm benignitatis in egenos, quibus multam liberali dextra pecuniam dispertiuit, exemplo. Supplicatum non multò pòst ad idem tem-

plum à tertia Virginis Sodalitate, quæ Religiosos solos admittit. Prodeuntibus antecessere tres, qui tribus perticis affixum ferebant multo cum labore vexillum magnitudine ingens, pictura opereque prælustre, eiusdem ære Sodalitatis paratum. Vbi ad ædem sanctissimæ matris peruentum, sacerdotes Deo sacram hostiam immolarunt, quam reliqui penè omnes confessione purgati percepe- runt. Redeuntibus obuiàm extra mœnia processerunt ceteri Sodales, & Academici, quorum omnium coniunctione longius effectum est agmen & pulchrius: quod duobus musicorum, laudes diuinæ genitricis intercinentium, choris distinctum, dum in vrbem regrederetur, effusæ in spectaculum multitudinis oculos & aures allexit. Societatis meditationibus eruditi Monachi quindecim; his addo monasterij cuiusdam moderatorem, & Curionem in pago. Catechesi tenerior ætas formatur more solito fructuque. Is fructus vt se diffunderet in plures, recusa sunt Sodalitatis Partheniæ sumtu in chartis explicatis fidei rudimenta Catholicæ, superioribus etiam annis edita. Accessere nunc D. Virginis Litaniæ septenæ, in dies totidem hebdomadis diuisæ. Volant hæ chartæ per Sueuiæ, per Algoiæ ciuitates atque cœnobia, & arripiuntur certatim à pluribus. Res in speciem exigua, sed vtilitatis non exiguæ. Ægrotis ac morientibus studium a nobis neque diurnum defuit, neque nocturnum. Expertus hoc etiam est vnus, qui annis abhinc aliquot è Societate nostra nescio quam ob caussam, discesserat. Hic, quod iam supremis proximus facere non poterat, sæpiùs antè magnam relicti instituti pœnitudinem præ se tulit, nec obscurè testatus est, nec piscem extra vndas suas, nec extra Societatem desertam hominem viuere bene posse, vel diu. Introductus in

hanc vrbem & pagos aliquot Extremæ vnctionis vsus frequentior. Hæresi soluti vnus & triginta, criminibus quamplurimi: quorum nonnulli ex locis hæretica labe contaminatis, sed intaminati caussa confessionis venerunt, antiquæ religionis adeò tenaces, vt negent eam vllis vel promissis sibi, vel minis eripi vnquam posse. Annis abhinc pluribus, quidam frequentare Pœnitentiæ Sacramentum solebat. hoc inuidia æqualium an impietas non ferens, variis eius aures conuitiis & hypocritæ appellatione identidem verberabat. Quas molestias cùm tolerare diutiùs non posset, omnem mysterij huius vsum abiurat: quem si recipiat, dæmoni caput deuouet suum. Alterum igitur iam annum tertiúmve in hac impietate perstiterat, cùm ad magistratum delatus hominis officium Christiani facere compellitur. Hìc veritus ne ab eo cui se obstrinxerat, probè peccata confessus violenter abriperetur, commissa quædam grauiora tacendo, non commissa proferendo sacrum iudicium contemerat. Eum tamen supremus iudex benigno lumine respexit, ita vt periculorum in quibus versabatur, magnitudinem grauitatemque sera quidem, sed salutifera tamen pœnitentia perspiceret, perspectam multis lacrymis defleret, exonerata improbè factis omnibus apud vnum è nostris conscientia, ex illo scelerum gurgite tandem emergeret. Auertendo Turcici belli periculo Episcopi nostri mandato per totam æstatem, Dominico quoque die vnius horæ comprecatio, in tribus huius opidi templis celebrata est, vicibus inter Academicos, aulicos & nostros ita diuisis, vt singulis mensibus ad singulos ordines recurrerent. Sic vitatum tædium ex diuturnitate nasci suetum, & hominum occupatorum incommoda. Hanc comprecationem

excepit & clausit alia quadraginta horarum, volente ac iubente eodem Episcopo in templo nostro instituta: ad cuius instructum ornatumque speciosum, peripetasmata sua suppeditauit & sumptum incendendo vehementiùs studio comprecantum. Ipse porrò cum comitatu suo duas horas ex interuallo in publicis hisce precibus expleuit, vt exemplum Principis sequerentur animis pronioribus subiecti. Atque hæc ferè domi. quæ sequuntur foris. In tribus virginum monasteriis rogatu Reuerendissimi nostri auditæ confessiones omnium; in duobus habitæ etiam cohortationes. In virorum cœnobiis iusta anniuersaria, quæ propter multitudinem confusam vitâ functis solui commodè non poterant, neque perennare, redacta in ordinem, Pontificisque Maximi auctoritate id confirmatum. Sublata cœnobitarum cum externis commercia, in quibus species erat maior pietatis quàm fructus. Annua pecunia libris optimæ notæ coëmendis, bibliothecis locupletandis, & monachis in litterarum studiis alendis constituta fundataque. Apud nobiles complures in arcibus effectum, vt instituti nostri ratio cùm notior illis, tum commendatior foret. His quoque libri dono missi, quibus de rebus in religione controuersis erudirentur, & armis quibusdam aduersus hæreticorum oppugnationes instruerentur. Ditionem enim suam obiens Episcopus noster ac Princeps in Algoia, duos esse secum voluit, quorum alter ei à sacris confessionibus est: alteri docendi è superiori loco populi prouinciam mandauit. Ab vtroque multa in procurandis animis vtiliter acta. Nobiles aliquot noxarum absoluti. Opidis variis, vt Oetingensi, Wallersteinensi, Kirchbergensi, Eluacensi, & aliis ad quæ nobis solemne, extremis maximè verni ieiu-

nij diebus excurrere, res Christiana & Catholica studio laboreque nostro plurimùm adiuta est. Animorum maculæ per confessionem plurimis, totius æui & hæreticæ superstitionis non paucis obliteratæ. ritus pij & Catholici excitati iis locis, in quibus veræ Ecclesiæ cultoribus coniuncti, vel finitimi sunt, qui prauis opinionibus corrupti, ab eius se cultu secreuerunt ac studio. Informatur populus pro concione rebus ac dogmatibus ad sanctiorem, vel fidem, vel vitã faciendam. Dispersæ chartæ, quibus antidota contra virus pestiferæ doctrinæ continentur. Persuasum quibusdam seruitutem apud hæreticos seruientibus, vt loca Catholica quærerent; ne qua labes errores inter illos degentibus adhæresceret. Lauingæ Theologus vnus huius Collegij ad disputationẽ hæreticorum, inuitatu cuiusdam Dilinganis aliquot auditoribus comitatus accessit. Cui disputandi potestatem sæpiùs roganti in præsenti consessu, Prædicans disputationis arbiter ac præses: Quid tibi, inquit, mecum, quem vestri negãt esse virum honestum ac bonum? túne cum eiusmodi disputes, aut sermonem misceas vllum? Non id, inquit noster, nunc ago, quis aut qualis tu sis, aut habearis à nostris: de argumento ad disceptandum proposito, pauca in medium afferre si liceat, consilium mihi & cupido. Negat ille antè licere, quàm quem se existimaret, ediceret. Noluit noster, quòd facilè intelligeret, id eo loci nec vtiliter fieri posse, nec tutò: ergo cùm alia ratione, vel lege impetrare disputandi copiam nequiret; discessit. Notatum autem à multis qui aderãt, hominem inopinato Patris aduentu conterritum, congredi cum eo ausum non esse. In vrbe alia Imperij, sed hæresi imbuta, nostri puerorum sibilis ac ludibriis excepti apud ludimagistrum de tanta petulantia

conqueruntur. Is factum improbat vehementer, & ad senatum defert. Qui mox graui edicto contumelias & iniurias à Religiosis & Catholicis omnes remouit. Vnde nostri non multò pòst in eandem vrbem reuersi longè maiorē modestiam sunt & humanitatem experti atque munificentiā.

Collegium Monachiense.

DVO in hoc Collegio diem suum obierunt, vnus P. Gerardus Hero, natione Hollandus, omnis perfectionis viuum quoddam exemplar. Vixit in Societate annis quadraginta, omnibus charus, molestus nemini. Moriens nihil antiquius cuiquam habendum aiebat Societatis legibus & institutis sanctissimis: se quamdiu in ea vixisset non tantùm nullam regulam in iudicium non vocasse verbis, sed ne animo quidem aliter, quàm diuinum decretum accepisse. Sentētias per otium ex sacris Litteris excerpsit, quas identidem sibi moribundo astantes ingererent ad arcendos dæmonum insultus. Secutus est illum P. Michaël Marius, ipse quoque veteranus Christi miles: quadragesimum quippe & quintum annum in Societate absoluit. Extremis annis licet podagra & chiragra sæpiùs cruciaretur, amore Christi & animarum plus ardere visus est, vtpote qui in templo pœnitentium lacrymas eluere perseuerauit, donec lecto penitus affigeretur, in quo totis quatuor annis Sociorum charitatem expertus, eos vicissim patientiam docuit. Conciones tribus locis intra vrbem habentur. in aula Principis, in gymnasio, in æde nostra. Hortante concionatore sub finem Quadragesimæ, vt qui hactenus per hebdomadam vnum, duos, tres, plures pauperes aluisset, nunc numerum duplicarent; vnus qui-

dam

dam præter alios, vigintiquatuor cibo refecit quotidie, qui antea duodecim ad mensam adhibere consueuerat. Communicantes numerati supra trecentos sexaginta tricies & nouies mille, exceptis discipulis. Totius vitæ noxas confessi plures quingentis, quorum tum viri, tum feminæ complures ea de caussa Monachium è longinquo venerunt. Non paucæ mulierculæ à turpi quæstu, quem corpore fecissent, ad honestatem traductæ. Quædam persona ferè triennium frustra laborauit, vt odium in quendam conceptum depelleret. tandem venit in mentem B. P. Ignatij, votum nuncupat: quod vbi explere aggressa est, omnis odij flamma extincta est Femina cùm aliquot annis nonnisi mortuos fœtus ederet, ideoque à mulierculis clanculum traduceretur, eò mæroris & desperationis venit, vt mortem sibi afferre cogitaret. Interea vir nihil non agebat, ne vxor sibi exitio esset. Ad quam noster euocatus vt primùm lipsanothecam, in qua B. P. Nostri sacri cineres, afflictæ admouit, tanto illa breui gaudio & tranquillitate mentis perfusa est, vt satis dici non possit, vetulisque obtrectatricibus statim veniam dedit, & nostro gratias agēdi finem nullum facit. Octogenaria se in aquam dederat præcipitem. obstitit insanis conatibus Deus per duos viros, qui seminecem extraxerunt. quæ confessione apud nostrum peracta à liberatoribus suis veniam petiuit. Ancilla cultrum in pectus iamiam volebat adigere, cùm vocem heræ sese vocantis audit. abiecto cultro aduolat, quid velit interrogat. domina negat à se vocatā, aut operam eius nunc quidem vlla in re necessariam. Intellexit illa facinus suum diuinitus impeditum, & ad nostrum sacerdotem accurrens se expiandam curauit. Quidam pressus inopia, pro auro animam diabolo

ſpoponderat; quod cùm ille nullum offerret, homo ita furiis cœpit agitari, vt de vita ſibimet extorquenda cogitaret. Tentat ſe in flūmen abiicere, ſed hominum interuentu ſemper impeditur. Tandem ad fallendum tempus in genua cadit, & Deo ſupplicat, vt quoniam de ſe actum ſit, ſaltem liberi & vxor in tale deſperationis barathrum ne veniant. Vbi abſoluit, exin deſiderium peccandi euaneſcit, & animo lux redit, poſtridieque accerſito ſacerdoti rem pandit, & diabolum valere iubet. Puella ſimiliter à morte voluntaria liberata eſt. Hęretici abſoluti quinquagintaquinque, quorum nonnullæ conuerſiones ſatis admirabiles fuerunt. Non modica pecuniæ ſumma corrogata, qua priuatim quorundam inopiæ ſubuenimus. Publicè curatum, vt hoſpitali cuidā domui mille ſexcenti argentei tribuerentur. Idem Pater auctor fuit, vt toto tempore verni ieiunij duodecim egenis ex aula cibus præberetur. Ægri & moribundi interuiſi ſæpiùs & vtiliter. Mulier doloris impatiens, interitum ſibi machinabatur: ſed Patris fortuito aduentu & colloquio maligni ſpiritus ſuggeſtionem agnouit, & vitam felici fine concluſit. Similiter alia à deſperatione eſt erepta. Iuuenis triginta annis baptiſmo carebat; & quamuis à matre millies de officio moneretur, ſemper tamē pudore quodam in aliud tempus reiiciebat. Ecce autem in morbū incidit, in quo noſtro impellente ſalutari aqua tinctus, nocte inſequenti ad Chriſtum migrauit. Quædam partum ſuum infamiæ metu enecauerat; quam ad ſupplicium patienter ferendum inſtruximus, vt non modò de magiſtratus ſeueritate queſta non ſit, quando vidit alterum furti manifeſtum precibus interpoſitis abſolui, ſed grauiora etiam ſe promeritam dictitarit palàm: nec ſe recuſaturam, ſi per aciculas ſolo infixas

fixas ad locum mortis procedere iuberetur. Aliquot vicis Christiana doctrina tradita. Fructum inde æstimes, quòd ad nostrorum occursum repentè flectunt genua pueri, preces & præcepta recitent memoriter, & vrgeant vt sæpius catechesis habeatur. Floret etiam in ipsa vrbe catechismus, & habetur quatuor in templis. Hebdomade magna ex nostro ludo duo schemate puellarum pullatarum prodierunt, quæ composita ad luctum oratione vniuersam propè hominum frequentiam ad singultum & lacrymas permouerunt. Præter excursiones ad finitimos pagos, in quibus conciones ad rudem plebeculam habitæ, & confitentibus aures datæ; bis intra annũ, circa Ascensionis Domini videlicet, & ferias D Michaëlis, quatuor sacerdotes missi ad Montem sanctum, vbi supra quadringentas confessiones exceperũt, plerasque de tota vita. Vetulæ centenariæ Deus in Almangaria (quò etiam duo de nostris alia de caussa profecti sunt) gratificatus videtur: omnes enim anteactæ vitæ culpas apud nostrum quod sæpè optauerat deposuit. Anus cæca & clauda in templum deducta, ibique per nostrum lustrata, & Sanctissima Eucharistia impertita, cum gaudio exclamans, se iam cum Simeone læto animo morituram dixit. Discipuli sunt 750. in quibus nobiles plurimi. E Sodalibus vnus in Societatem, alius in Carthusianorum, plures in Franciscanorum, & alios Ordines cooptati sunt. Quidam in ciuitate hæretica hæreticis parentibus natus, patre Prædicante in aula Principis hæretici, & ipse in Academia hæretica sic institutus, vt amicorum hortatu iam tertiò ad populum dixerit, eximius Prædicans, ipsis Prædicantibus id affirmantibus, futurus. Hic internis stimulis agitatus, cùm nescio quid absurdi in dogmate Lutherano perspiceret,

ceret, consilium petit petendæ Italiæ studiorum & regionis videndæ. Ex itinere diuertit Monachium, inter alia templum nostrum curiosè spectat, concionatorem aduersus hæreticos disserentem audit, stomachatur & eum tacitis conuiciis insectatur. Dolet se in eum mala sorte incidisse, qui tam doctè & solidè dogmata quæ ipse puer hausisset, refutaret, contrariaque stabiliret, coniectans si sæpiùs audiret, forè vt à Lutheri castris deficeret. Perdurat & indignationem explorandæ veritatis studio postponit, audit iterum ac tertiùm (nam eo nomine multis diebus hærebat Monachij) & quò audit frequentiùs, eò magis fundamenta fidei suæ labare intelligit. nondum tamen cuiquã de nostris sensum suum explicarat. Tandem sumpto animo quærit ex æditu o, num Collegium adire, & cum nostris hominibus de fidei capitibus opinionem ac sententiam conferre liceat. æditu us annuit. Adest vocatus Pater, paucis diebus iuuenis manus dat, fit Catholicus, & se fidem Catholicam vsque ad mortem retenturum iuramento confirmat. Vbi deinde in scholis nostris sesquiannum Sodalibus annumeratus vitam piè & honestè exegit, decreuit mundum penitus deserere, & se ad familiam D. Francisci aggregauit. Antequam habitum indueret, Patri vt optimo consiliario gratias acturus, multas effudit lacrymas. Caussam interrogatus, Egóne non fleam, inquit, qui in hæresi tantum tempus consumpsi absque vllo bonorum operum fructu, & tam serò conditorem meum cognoscere & amare cœpi? Sodalis quidam hominem à voluntario suspendio deterruit. Vir nobilis nullam efficaciorem medicinam ad vitanda peccata ratus, Sodalitatis legibus se in perpetuum nostri hortatu obligauit. Principes beneuolentiam erga nos suam variis argu-

argumentis hoc anno testati sunt. Inuitarunt se omnes ad prandium frugale per vices sine arbitris & famulis, & ne quid præter solitum pararetur, seriò inhibuerunt. Kalend. Ianuarij Serenissimus Maximilianus strenæ loco obtulit statuam argenteam D. Henrici Imperatoris, reliquiis quas de eodem Sancto habemus idoneam. Materiam superat opus, & precium ad 800. florenos ascendit. Serenissimus Guilielmus lipsana de B. P. Nostro Ignatio ab admodum R. P. Generali sibi donata nobis muneri dedit vnà cum theca crystallina satis magna.

Sedes Eberspergensis.

LIBRI hæretici & obscœni etiam nobilibus sancta fraude extorti & cremati. Sacræ imagines, particulæ cereæ cælestis agni, rosariola, libelli pij distributa. Hæretici ad sanitatem reuocati duo. Spiritualibus commentationibus exercitus apud nos cuidam monasterio præpositus, variorumq; Ordinum Religiosi vel suorum Antistitum iussu, vel concessu, cõfessionis mysterium apud nostros obierunt non sine solatio suo & emolumento. Idẽ Parochi atque sacerdotes frequenter fecerunt. Serenissimus Guilielmus & coniunx quater hoc anno nobis affuit, & quò magis religioni ac pietati priuatæ studeret, semel dies septenos, iterum octonos commoratus est. Dici nequit, quantam ambo voluptatem capiant ex aspectu tot agminum huc vndique supplicatum aduenientium, & ea frequentia sacra mysteria obeuntium. Conciones & catechismus maiori numero auditorum continuata. Plenam peccatorum condonationem certis anni temporibus hoc templum D. Sebastiani visentibus nostri Patres à Clemente VIII. impetra-

petrarunt. Ad primam promulgationem mille trecenti septemdecim animos peccatorum sordibus eluerunt. Atque vt omnia ad summam quandam redigamus, totius anni curriculo supra triginta peregrinorum millia numerata sunt. Confessiones auditæ quater mille octingentæ sexaginranouem: de tota vita 1500. Cæleste epulum adierunt 4368. Itaque necesse fuit Monachio aduocare socios, qui Eberspergenses in captura piscium adiuuarunt. Desperabundum cupiditas nostris confitendi incessit, quem dæmon frustra ab itinere missa voce clarè reuocare conatus est. Plurimi ne manus sibi afferrent, aut inimicos occulta aut aperta cæde vltum irent, à nostris impediti. Incolæ pagi cuiusdam præ discordia mutuum congressum aspectumque vitabant, inter quos quidam noster concordiam redintegrauit. Duæ feminæ à pellicatu auocatæ: decem a sacerdotum contubernio penitus exactæ. Aditi ægroti, & adiuti frequenter subsidio corporis & animi, quorum multi votis D. Sebastiano nuncupatis, conualuerunt. In proximos pagos vocatu Parochorum sæpè itum, verba ad populum facta non sine fructu. quod mores in melius mutati testantur, & frequentatio Sacramentorũ extra Paschale tempus, cùm id antea prodigij loco haberetur. Ad simulacrum Christi è cruce pendentis, quod in propylæo templi conspicitur, non pauciora hoc anno patrata miracula, quàm superiore. Viri tres, vnus à calculi, alter à phrenesis, in quam tertiùm iam inciderat, periculo liberati sunt, tertius internum brachij dolorem mitigari sensimque euanescere sensit. Mulieres totidem, quarum prima colicam, altera cordis palpitationem assiduam, postrema dentium dolorem grauissimum, quo singulis annis laborabat, voto concepto & anathematis

thematis cereis ad imaginem ſuſpenſis depulerũt. S. Sebaſtiani precibus viginti partim feminæ, partim viri à peſtis vicino malo euidentiſſimè conſeruati. penè triginta in morbis diuerſis, corporiſque & animi afflictationibus, aut partus difficultate opem præſentiſſimam ſenſerũt. Quin etiam S. Domini Præcurſor, cui ara in templo noſtro dicata eſt, ſe vni clementem oſtendit, qui voto hic ritè perſoluto, phreneticus eſſe deſiit.

Collegium Auguſtanum.

NOVEM Societatem petierunt, quinque impetrarunt, lumina gymnaſij, ſtudioſi Rhetoricæ omnes, & in his Cõſulis filius. Quidam ex his ab vtroque parente Landſpergam deductus, & Rectori commẽdatus eſt. Alius in familia Fuggerica educatus, poſt domini mortem, parentibus omnia tentantibus & extrema etiam minantibus, Societati ſe addixit. Quatuor concionantur, duo in æde D. Matris, tertius in templo S. Mauritij, poſtremus in noſtro à prandio, per feſtos dies ſcilicet, & Dominicas Quadrageſimæ: reliquo anni tempore elementa doctrinæ Chriſtianæ exponuntur. quod item Fridbergæ toto anno, & in pagis duobus vicinis certis temporibus fieri ſolet. Lutherum deſeruerunt ſex circiter & triginta. Mulier clàm marito hæretico è ſex liberis quinos ad Confirmationis Sacramentum adduxit, imbutoſque rudimentis doctrinæ Romanæ diligenter inſtituit, quos pater ad hæreſim reuocare fruſtra eſt conatus. Filium mater ſecum ad perniciem hæreticam omni contentione retrahere ſtudebat: ille matri ſapientibus reſponſis reſiſtebat. Tum illa furenti ſimilis, Ni pareas, inquit, iam nunc è veſtigio totis tectis & ædibus te eijciam,

ſimulque ad focum arma inde raptura volat. Reprimit tamen ſe foris, & iram in triduum non tam ponit quam ſeponit. Noſtris interea ſcholis noſtrorumque congreſſu filio interdicit, libros aufert puer quamuis exarmatus, clam in ſcholam venit, reditque domum, & ſe matri perindè ſiſtit, ac ſi numquam abiiſſet. Poſt triduum rurſum per inſidias blandè ac maternè appellatur de Luthero. Abnuente filio & pro auita religione multò acriùs pugnante, mater accepto fuſte, Ergo, inquit, peſſime, extemplò veſtes ponito, & nudus abito in malam crucem. Hic puer exemplo S. Franciſci confeſtim ſe nudat, & pro honeſto cultu veteramenta quædam à matre ſumit, pedes exſoleatis calceamentis malè tegit, & in victum tria lapidoſi panis fruſtula accipit, ad patricium adoleſcentem è gymnaſio noſtro ſe applicat, qui ductum ad materteram, ciboque refectum hoſpitio accipit, veſtemque per eandem materteram à matre pueri auro redimit. Multi conſtantiam ſuam in recuſandis carnibus diebus vetitis declararunt. Puniti contrà alij diuinitus, qui damnata dape frui veriti non ſunt. Cuidam bolus pulpæ ſic inhæſit, vt animam elideret, & niſi votis precibuſque B. Virginis opem impetraſſet, conclamatum erat de vita, quam recepit vbi obſequium Eccleſiæ ſpopondit. Confitentium maioribus feſtis ſolitò maior concurſus. Concionator noſter primarius ita torquet Lutheranorum factionem, dum fundamenta illorum quatit, penituſq; euertit, vti quod contrà hiſcant moliantúrve non inueniant. Annæ Fuggeræ non tacenda mors eſt, & vita quoque rectè acta referenda. Ad eam in diſcrimen vitæ vocatam ſumma nocte euocatus eſt R. P Rector, matronæ confeſſionem ſuadet, excipitque, & ſacro Euchariſtiæ viatico, ad illam è vita ad

cælum

cælum profectionem munit. Peractis omnibus prima luce Sacrum audit ægra, & mox animus ad ſuperos, vt ſpes eſt, migrat. Beneficia, opinor, quæ in noſtram domum, templum Societatemq́; contulit, & plurima & ampliſſima, illam apud Deum in gratiam poſuerunt. Mater Societatis audire volebat. Egentibus nobis pecunia & eſculentis ſæpenumerò ſuccurrit. Templum argentea lampade ſummo artificio facta exornauit, gemina altaria magno pretio fieri curauit, totidem curatura Fridbergę ſi perennaſſet: ante mortem tamen ducentos florenos eò deſtinauit, veſtem ſacram & apparatum varium adiecit. Conuentus prouinciales ipſa maximam partem aluit. Dramatum & actionum publicarum ſumptus propè ſola fecit. Sodalitatis ædiculam argenteo ſigno ſeu vexillo illuſtrauit. Iuſtè ergo huic iuſta funebria ſunt per nos in funebri quoque concione perſoluta, preceſq́ue à Collegio & Sodalitate factæ. A teneris ad innocentiam per confeſſionem à noſtris eſt inſtituta, ſupremumq́ue ſpiritum in noſtri Patris præſentia & comprecatione fudit. Defuncta eſt etiam Domina Iſabella Fuggera, Octauiani ſecundi Fuggeri germana ſoror, eodẽ die quo præterito anno frater deceſſerat. Femina in primis religioſa, & latinè docta Patrum ſcripta nonnulla in patrium ſermonem vertit. Ex quo tempore cœpit B. M. Patri Caniſio conſcientiam credere, à Societatis ſtudio & amore numquam defecit, nec alium extra Socios vnquam ad confeſſionem adhibuit, pietati vitæ mors ex more pia reſpondit. Ex Mahometana ſuperſtitione feminæ duæ cæleſti fonte luſtratæ. Excurſum in vicina loca, opida, pagos, & longæ peregrinationes ſuſceptæ. Fridbergæ bene geſta res Chriſtiana. Reditum eſt ex Monte ſancto in vrbem cum feſta pompa.

Peregrini

Peregrini à R.P. Prouinciali in campo Liciano ad ædem tutelaris Afræ concione excepti, magnaq; voluptate affecti, cùm præter spem veterẽ suum Ecclesiasten, & Catholici gregis patrem ac pastorem viderent, audirẽt & consalutarent. Drama ad studiorum instaurationem datum est pium & affectibus plenum immolatio Isaac. Examen, vt ratio studiorum quàm fieri posset optimè seruaretur, fuit acerrimum, paucique ad Rhetoricam & Humanitatem admissi. Varias Religiosorum familias inierunt quinideni. Supplicatio ad reliquias S. Montis illustrior fuit quàm hactenus, signa clypeata Virginis matris penulis affixa magno precio comparata. In cœtu Sodalium repertus est, qui intra nonum mensem mille sexcenta octogintaduo rosaria per omnes dies pari diuiso numero recitaret. fuit, qui cilicium aut nunquam aut rarissimè deponeret. fuit, qui toto anno paucis noctibus exceptis,, remoto lecto asseribus incubaret. Ieiunia sic celebrata, vt vesperi nihil gustaretur. Ad sepulcrum Christi non ipsi tantùm, sed & patricij quidam flagris se conciderunt. Prętereo Sodalium benignitatem in pauperes, opem & humanitatem in egentes, vsum hebdomadarium Sacramentorum: quibus rebus Sodalitas hoc anno magnum sibi nomen peperit, hominumque in se & in ipsum Sodalitium liberalitatem inuitauit, vt præter expensas in montanam peregrinationem factas, supra triginta philippęos dono acceperit.

Collegium Oenipontanum.

AD binas lectiones catechisticas, quas in distinctis huius vrbis locis habemus, accessit tertia intra priuatos scholarum parietes, in gratiam puero-

puerorum Italorum, quorum hîc non exiguus eſt numerus. Totius vitæ noxas expiarunt ſexagintaſeptem, eiurarunt hæreſim duo. Nonnulli peccatorum apud nos exomologeſi inſtituta, à nefario conſilio mortem ſibimet conſciſcendi receſſerunt. Inſignis eſt laus cuiuſdam nobilis, qui ampliſſimam ſibi à maioribus relictam hereditatem aditurus, nos priùs de modo quo illæ opes acquiſitæ conſuluit. Cumque intellexiſſet aliquot centenos minùs iuſtè acceptos, eos quantociùs reſtituendos curauit, collata inſuper non mediocri pecunia eccleſiis pro dubiis cõtractibus. Illuſtris quædam matrona BB. PP. NN Ignatij & Xauerij imagines magna pietate & religione ceteris ſacris iconibus inſertas, domeſtico in ſacello colebat ac venerabatur. Quadam die cùm ante eas ex more preces funderet, cereolis in ſpiram contortis, vt mos eſt feminis piis, accenſis iuxta ſe ſuper altare tapete coopertũ poſitis, accidit, vt negotij cuiuſdam cauſſa foras euocaretur. Illa ſeu properans, ſeu (quod credibilius) propediem reuerſura candelulas non extinguit. Tertiam poſt horam, nihil minus de lumine cogitans, reuertit vota factura: dumque ſacelli reſerat oſtium, ecce tibi plurimus vndam fumus agit, nebulaque locus ſacer æſtuat atra. Illa ſubitò exclamare, actumque de ſacello omnique altaris ornatu putare. demum diſpulſa fumi caligine videt ſaluis tapete, imaginibus ornamentiſque ceteris ſpiram ceream inflammatam longiùs in terram abiectam, in cinereſque redactã, aduſtionis dumtaxat veſtigium pauimento impreſſiſſe. quod eadem matrona in perpetuam rei memoriam, & ſingularem BB. PP. venerationem, quibus totam domum conſeruatam in acceptis refert, extare vult perpetuò. Et quia de B. P. N. Ignatio mentionem fecimus, alia

ſubne-

ſubnectemus, quæ magis miraculum referunt. Illuſtris vir quidam, Collegiique benefactor inſignis, magno B.P. tenebatur chirographi deſiderio, quod multis mederi audierat morbis. Ei per litteras id petenti gratificari non potuimus. dedimus tamen aliquid de corporis pulueribus & puluino, quod mortuo ſuppoſitum fuerat. Ille tanto theſauro lætus, non multò pòſt eo vti coactus fuit. Coniunx namque eius ita copioſum patiebatur ſanguinis fluxum, vt grumos ſanguinis concreti ad inſtar pugni eiiciens, ad meridiem non victura crederetur. Suſpendit è collo crucis ſanctæ particulam, dat oſculanda P. N. lipſana capitique eius admouet, mox ſenſit ſiſti fluxum, morbique vim remitti. Cuius rei teſtes extant apud nos eius litteræ. Alia quædam femina, tertium iam diem parturiens parere non poterat, infante tranſuerſim acto, præter brachiolum nihil oſtendente. Tentata omnia, quæ eam ad rem vſui fore putabantur; ſed omnia fruſtra, omnibus de ſalute & matris & infantis deſperantibus. tandem conſilio cuiuſdam curſum ad noſtros, petitæque B.P.N. reliquiæ. Subminiſtrauimus veſtis particulam, ex cuius attactu, poſt aliquas preces mater ſoſpes & incolumis fœtũ effudit mortuum. Expertum eſt Collegium noſtrum hoc anno plurium munificam manum: quos inter meritò priùs commemorandus venit Auguſtiſſimus Imperator Rudolphus, qui de rationibus anni 1600. remitti à Camera voluit Collegio 700 aureos, & plauſtrum vini 125. aureis æſtimatum: tandem etiam ad annuum vectigal 300. aureos adiici, dum alia ratione Collegio de ampliori penſione ſtabili & firma proſpiciatur. Quam liberalitatem æmulatus illuſtris quidam vir 350. aureos Collegio adiecit, quos valetudinario conſtruendo adhibui-

hibuimus. Etiam ad ornatum templi, ſacramque ſupellectilem facta eſt non exigua acceſſio. Scholæ florent quà numero, quà nobilitate, quà diligentia diſcipulorum. Magno cum applauſu Curioſitatem in ſcenam produxerunt, & in ſtudiorum renouatione hiſtoriam de filio vitriarij Conſtantinopolitani, quem pater propter Euchariſtię reliquias, quas puer ille cum pueris Chriſtianis pro more illius Eccleſiæ comederat, in ardentem fornacem coniecit, & eum B. Virgo incolumem ſeruauit. Sodales Parthenij tribus ſtatis anni ſupplicationibus quartam adiecerũt, die paraſceues. Sanctos ſuos menſtruos ieiuniis, communione, eleëmoſynis honorant. Non obſcurus eſt Illuſtriſſimi Principis Caroli Burgouiæ Marchionis erga nos amor & beneuolentia. Voti ac religionis cauſſa apud B. Virginem in eremo apud Heluetios, tribus dumtaxat ex aula ſociis pedes profecturus, vnum ex noſtris ſibi à confeſſionibus futurum expetiit. Toto itinere ſacrificanti noſtro inſeruiuit. Itinerarium cum eodem recitauit: in pauperes omnes miſericors, liberalior in eos qui petere erubeſcebant plerumque extitit. Quodque magis mirandum, catechiſtam egit in via ſæpius, iuniores de crucis formandæ ratione, oratione Dominica, & ceteris Chriſtiani hominis officijs interrogauit, eorum peritos publicè commendauit, ignaros vt diſcerent eſt adhortatus. Vbi paulò rudiorem reperit plebem, ad Patrem ſubinde cõuerſus, Hìc, aiebat, Societatis veſtræ opera deſideratur. Viam roſarium, Litaniæ, de rebus piis ſermocinationes leuabant, non currus vel equi, quos oblatos à ſubditis modeſtè recuſauit, dicens, ſe iter hoc ſuſcepiſſe, vt corpus affligat ſuum, Deumque ſibi reddat propitium. Ter hoc anno in pagum celebrem, rogatu Parochi, miſſus

ſacer-

ſacerdos noſter. Erat eo loci tanta rerum diuinarum ignorantia, vt nec adulti quidem crucem formare noſſent. Nullus vſus confeſſionis extra tempus ab Eccleſia definitum, & tum nonniſi generali contenti accuſatione, nullam peccatorum faciebãt enumerationem. Verùm vbi Patrem pro concione aliud dicentem audiiſſent, tantus eis incuſſus eſt metus, vt certatim ad confeſſionem accurrentibus ægrè ſatisfieri potuerit. Exceptæ mille circiter cõfeſſiones, quarum ampliùs quingentæ vniuerſæ vitæ erant. Vir quidam ſeptuagenarius abiectis Lutheri bibliis, aliiſque infectis & infeſtis libris, vbi animam per confeſſionem purgaſſet, identidem Simeonis vtebatur verbis: *Nunc dimittis ſeruum tuum*, &c. iam totus nouus homo ſum. idque beneficij cùm domi, tum foris prædicare non ceſſabat. Difficiles aliqui peregrinationes, vitæq; & victus aſperitatem ſuſceperant, vt rodentem compeſcerent conſcientiæ vermem: non priùs voti ſunt facti cõpotes, quàm confeſſione pectus exonerarent. Hæreſi contaminati libri, amuleta è collo geſtata, carmina ſuperſtitioſa & magica ablata: diffidentes reconciliati. Inter hos vnus audito B. Stephani exemplo permotus, grandæuum, quicum illi veteratæ intercesserant inimicitię, ſupplex accedit parentem, & amicis deprecantibus veniam impetrat, ac poſtridie per confeſſionem cum Deo etiam in gratiam rediit. Graues etiã ſimultates Curionem inter & ruſticos quoſdam exarſerant, quas ſacerdos noſter, cùm nec Decanus ruralis, neque loci Præfectus poſſent, ita reſtinxit, vt ne ſcintilla quidem remãſerit. Porrò illud his in locis erat monſtro ſimile (quippe ab hominum memoria numquam viſum) quòd in feriis Natalitiis 130. Aſſumptæ verò Virginis ſexaginta ad ſacrum acceſſerint

rint epulum. Falsa quoque sublata opinio, qua putabant sibi sanguinem ex calice ab æditu porrecto propinari. Christiana doctrina quotidie ibidem loci per sacrum Quadragesimæ tempus tradita. Dominicis verò diebus binæ conciones ab eodem Patre diuersis in pagis habitæ. Subinde quoque vbi parum ocij relictum erat, dispersa in montibus mapalia idem sacerdos adiit, rudesque nostræ religionis capita edocuit.

Collegium Halense.

PRÆTER statam in nostro templo concionem, ferè toto anno binæ in pagis habitæ, sæpè ternæ, & quotiescumque publica supplicatio indicta est, quod hoc anno frequenter vsuuenit. Ad confessionem sacramque mensam accesserunt circa Pascha 887. & quatuor in pagis 330. Paschalibus feriis in Taurensi parœcia, cui iam tribus retro annis nostram operam impendimus, confessiones exceptæ 223. Adiacent Oeno versus Orientem pagi duo insignes, in quorum culturam spiritualem hoc primùm anno nostra se extendit industria. Et sanè labori messis concepta spe vberior respondit, quod cum lacrymis obitæ confessiones omnes testatæ sunt. Totius vitæ exomologeses exceptæ triginta. Cuidam noctibus singulis dæmon ignea & terribili forma spectandum se offerebat, eumque ad nuncium Deo Diuisque omnibus mittendum vehementer impellebat. Adductus ad vnum de nostris, confessione lustratur, agno Dei cereo similibusque modis munitur. Aliquot pecuniariæ restitutiones impetratæ: vna florenorum 50. Ad confessionem nostris faciendam multorum milliariorum itinere nonnulli veniunt. Catechismus vrbanus toto anno suum

cursum tenuit. Aduentus & Quadragesimæ tempore etiam in altera vrbis æde, & quinque pagis est celebratus. In pagis effectũ est vt etiam paruuli ante nati Christi ferias ad confessionem accesserint. Priuatis congressibus à nostris multi rectiùs in fide & pietate instituti, coronisque precariis, & sacris in cera agnis, quorum mira tenentur cupiditate, donati. Pusillanimes & captiui soluti permulti. Ægri visi & reuisi, & ad patientiam animati, & ad sacram vnctionem, a qua multi abhorrebant, vsurpandam adducti. Adierunt nostri etiam ptochodochia, & iam ad pauperes & hospites, iam ad famulitium exhortationes & catecheses habuerunt. Nonnullis egentibus emendicata pecunia. Inter nonnullos odiis & iurgiis dissidentes pax stabilita: inter duo paria coniugum præsertim, quorum alterum diuortium iam facturum, supellectilem in diuersa loca distraxerat. alterius ex acri verborum certamine funestus exitus timebatur. Duæ personæ a cõcubinatu auulsæ: vna à superstitiosa curandi ratione, à vaga libidine altera. Ereptus vni è crystallo lapis, quo ariolari consueuerat. Detracti aliis libri falsorum dogmatum. ludicrę imagines piis, vel superstitiosæ cælestis agni icunculis permutatæ. Datus in studiorum instauratione Naaman Syrus. Plebeiis ante ieiunium magnum licentiùs bacchantibus, Sodales ad diuersa loca supplicationes instituerunt, Deoque pro salute peccantium preces adhibuerunt; ad eundem etiam finem flagellis in sua corpora sæuierunt. Non paucos ad frequentiorem Sacramentorum vsum induxerunt, ab esu carnium, & superstitionibus abduxerunt. Pro tuenda castitate super humum, scamnum, stramen sua sponte dormierunt, vnus quatuor menses continuos. Donati nobis duo calices argentei, vestis

sacrifi-

ſacrificantis aurea, & alia quædam pretioſa, diuino cultui neceſſaria.

Collegium Lucernenſe.

LVCERNÆ confeſſiones auditæ totius vitæ quingentæ, multæ plurium annorum. Euchariſtia data 18000. trigintaſeptẽ. Conciones & catecheſes curſum ſuum cum fructu tenuerunt. Quadragintanouem ex hæreſi cum Catholica Eccleſia reconciliati. In his egregius iuuenis, & aliquanto pertinacior, cùm ab nuncio ab hæreticis ſubmiſſo reuocaretur in vrbem vbi venenum hauſerat; etiam antequam abſolueretur, oſtenſo roſario, Faceſſe, inquit, & à quibus miſſus es dicito, ſignũ iſtuc nec in morte me relicturum. Baſileæ opifici Catholico minis & blanditiis hæretici inſtabant vehementer: cui cùm tandem coronatum promiſiſſent, ſi vel vnico die Salutationem Angelicam prætermitteret, Egóne, inquit, vt matrem Dei cum exigua pecuniola vendam? Pollicentibus nouam veſtem, ſi Caluinum profiteretur, Quomodo poſſum, inquit, falſa veris anteponere? Cui cùm & pij libelli auferrentur, Lucernam migrauit. Tres perſonæ odiis inter ſe diſſidentes, à noſtris in concordiam reſtitutæ ſunt. Redierunt etiam in gratiam per noſtros pater & filius, & minimùm quina coniugum paria. Curatum vt ſex coniugum paria ſublatis impedimentis matrimonium legitimum inirent. Vir opulentus pro filio iam quartumdecimum diem oculorum ſenſu carente auxiliare Sacrum in honorem S. Leodegarij petiit. ſacrificio à noſtro Patre facto, puero aſpectus reſtituitur. Conſilio ſubuentum carceri incluſis. Tres capite damnati ad ſpem vitæ æternæ confirmati. Pauperes & ægroti in noſocomiis &

xenodochiis, ægroti similiter per opidum adiuti. Missiones in vrbes & pagos susceptæ. Vnus mille confessiones excepit: alius generales quinquaginta. Alicubi pane cælesti recreati mille quadringenti. In monasteriis complures omnem retroactam vitam per confessionem retexerunt. Iubileum sub extremum anni à Pontifice Max. Heluetiis cōcessum supplicationibus ad diuersa templa, precibus, confessionibus pietate & frequentia maxima celebratum est. Scholas & vtramque Parthenianam Sodalitatem numero, pietate, diligentia auctiores habemus. Accessit Casuum conscientiæ explicatio. B. Iodoci regis & eremitæ historia cum spectantium approbatione in scenam deducta est. Tres discipuli in Capucinos cooptati. Clerici ferè omnes nobis peccata cōfitentur Idem & vicorum Parochi præstant permulti: iidem nostra consilia exquirunt, & curiales suos hortantur pro concione, vt nostris conscientiam detegant. De monasteriis feminarum intra & extra vrbem hoc tantùm dicam, nostrorum operam vehementer ab illis expeti, & seruitur earum desideriis, quantum per institutum nostrum licet. Multi suam in nos beneuolentiam & liberalitatem variis muneribus testati sunt, supellectile item domestica, quæ aureis penè ducentis æstimatur. Honorario Christi monumento varia ornamenta accesserunt.

Collegium Friburgense.

DVo in Societatem admissi, quorum alter Rhetoricæ auditor, familiæ suæ in hac vrbe vltimus & vnicus, quem mater ad Collegij Rectorem adductum, nobis donauit. Duo in Coadiutores formatos relati, qui per vrbem mendicantes,

tes, clara voce eleëmosynam petebant, & quod de fenestris tam pauperum quàm diuitum proiiciebatur, in saccos suos recondebant, quos per diem sæpiùs domi exonerabant: tanta fuit largientium benignitas. Cùm esset ad Collegium, scholas & sacellum perdifficilis & arduus ascensus, sumptu & iussu senatus scalis comparatis, ei rei prouisum est. Ciuis opulentus & senex ad solandam senectutem suam à R. P. Prouinciali petiuit, vt hîc in patria filium primis Sacris operantem videret: quem vt vidit cum grandæua coniuge illacrymās gaudere se dixit, quòd esset eum diem visurus, quo ille primam Deo hostiam immolaturus foret. Quod quidem pompa & splendore maximo factum est, datumque epulum conuiuis centum quadraginta apparatissimum. Eidem parentes munera obtulerunt calicem cum vrceolis, & patina argenteis, & reliquo instrumento sacerdotali, omnia magni pretij. Multa etiam egregia dona in templum nostrum collata. E concione collecti fructus memorabiles. Expiati per confessionem 9264 è quibus complures à prima vsque pueritia peccata repetiuerunt. Qui cælesti conuiuio sunt excepti præ multitudine numerari non potuerũt. Populo linguæ Germanicæ ignaro diebus festis habita exhortatio gallicè. A Caluinismo auulsi vnus & quinquaginta. Multi in Catholicismo vacillantes confirmati. Adolescens Caluinista desperatione salutis ex recordatione peccatorum sibi cultro in guttur adacto vitam eripere cùm pararet, insueto clamore (iuerat autem in syluam opacam) absterritus est. Plenus terroris domum redit, Friburgum abit, concionatorem nostrum audit, alteri de nostris se erudiendum committit, & cum peccatis hæresim euomuit. Alius à patre hæretico sæpiùs domum reuocatus ei respondit,

non tantùm patriam, parentes, fortunas omnes, ſed etiam vitam priùs relicturum pro auita religione, quam vt doceretur à noſtro Patre aſsiduè contendit. Virgo Lauſannæ in medio nationis prauæ diuitibus nata parentibus, diuino monitu Friburgum ſe contulit, & à noſtris Catholicæ Eccleſiæ aggregata, poſtmodumque à pluribus Prædicantibus acerrimè oppugnata inuicta ſtetit, & ad cognatos ſuos Friburgum rediit. Alia quamuis ſtricto enſe ad pectus admoto, vt capitale proderet adduci non potuit. Ad tuendam pudicitiam virgines & matronæ voluntarias verberationes, ieiunia, cilicia ſuſceperunt. Permulti milites in Sabaudiam militatum profecturi, non antè id facere voluerunt, quàm à nobis expiati & Chriſti corpore refecti eſſent Superſtitioſis feminis ab errore auocandis vtiliter laboratum. Inter coniuges capitali odio diſſidentes cõciliata pax & concordia. A peierandi & potandi conſuetudine abducti non pauci. Ad ægrotos ſalutis cauſſa itum die noctuque frequentiſſimè Ex his qui ſupplicio capitis ſunt affecti, & à noſtris confirmati, fuit qui nulli ſectæ addictus nunc Catholicum, nunc Lutheranum, num Caluiniſtam profiteretur. Is conuictus à noſtris, hęreſim cum flagitiis in omni vita commiſſis abiecit. Sodalitas Parthenia bipartita eſt, vna ciuium, altera ſcholaſticorum. Illa prior acceſſione ciuium creuit hoc anno, creuit etiam virtutibus. In aula gymnaſij altare in honorem Deiparæ excitandum ſumptu ſuo curauit, artificio ſplendido. Hoc pium munus Sodalitatis maioris auxit ſuis donariis minor. Ex eo cœtu duo ad Carthuſianos, totidem ad noſtros tranſierunt. Scholæ numero diſcipulorum vehementer creuerunt, maiorem partem Sabaudi & Valleſij ſunt, modeſti atque dociles. Diebus Bacchanalio-

rum

rum ad oblectãdos eruditiores, Rhetoricæ alumni in ſua ſchola veterem conuiuandi morem eleganter, & cum approbatione multorum exhibuerunt. Humanitatis auditores populo in aula gymnaſij feriis Paſchalibus corruptelam Iudæorum de Chriſto ſurgente venuſto dramate dederunt. Taceo dialogos in ſcholis inferioribus frequenter actos: item emblemata & poëmata, quibus celebrioribus diebus parietes gymnaſij aulæque ſcholarum cum voluptate legentium fuerunt conueſtiti. Præcipiti Nouembri Reuerendiſſimus Epiſcopus Ioannes Dorotheus Epiſcopatũ Lauſannenſem ingreſſus, à clero & magiſtratibus in D. Nicolai deductus eſt. Die S. Andreæ dicato vnà cum principibus viris in triclinio noſtro prandium ſumpſit, & ab vno de Patribus latina oratione exceptus eſt: ad quam latinè viciſſim promptè & diſertè cum magnæ erga nos beneuolentiæ ſignificatione reſpondit Poſt prandium carmine græco & latino ſalutatus eſt, & in aula gymnaſij drama elegans ſpectauit.

GRVERIA opidum eſt ditionis Friburgenſium: eò iam triennio miſſi rogatu D. Decani duo hebdomade maiore. Horum alter concionibus habendis & confeſſionibus excipiendis, alter catechiſmo tradendo laborauit. Ad communicantes habita ſemper exhortatio. Qui ad hæreticos deſciuerant in gremium Eccleſiæ reſtituti. Parocho non procul Grueria data in concionibus & confeſſionibus opera vicaria. Quàm denique vtilis & gratus noſtrorum labor illis hominibus acciderit, ex eo liquet, quòd eorum diſceſſu indoluerunt vehementer, & longo ſpatio abeuntes proſecuti ſunt.

STAVIACVM, quod item opidum eſt Friburgenſium, orante Vicario generali, bis hoc anno excur-

ſum eſt, expiatæ & inſtitutæ ſacræ virgines, & ciuibus per conciones allatum ad vitam moreſque emendandos ſubſidium. Sanè vrbis Prætor & viri graues fructum illarum concionum conſtitiſſe teſtati ſunt. Alias excurſiones ad loca Gallicana omitto, in quibus vulgo & ſacerdotibus etiam conſultum eſt. Docuerant noſtri quo loco habendi ſint ſacerdotes, qui antea contemnebantur: quis cultus ſacrificio exhibendus, & effectum vt ſacra ſynaxis crebriùs in anno vſurpetur.

Collegium Ratiſponenſe.

CONCIO in æde ſumma diebus feſtis & Dominicis à noſtro habetur. Pars altera Chriſtianos mores informat, altera hæreticorum deliramenta confutat. Dominicis in noſtro templo Catholicæ ſcholæ ſunt, ad quas tirones amplius ducenti ventitant. Alius ſacerdos quotquothebdomadibus Irlenbachij, quod eſt prędium noſtrum, Sacrum facit, Sacramenta adminiſtrat, & concionatur, quò ad rem ſacram ex pago quodam Palatinatus incolæ ferè omnes conueniunt: eſt enim noſtri iuris. In his ad hæreſin traducendis laboratur ab aduerſariis, ſed fruſtra. Vnus certè libera voce dixit, exilium pati ſe poſſe, veræ religionis iacturam facere nullo modo poſſe. Diuerſis in locis ſæpiùs impenſa opera vicaria Parochis vel abſentibus, vel alia ratione in functione ſua impeditis. Ab hæreſi abducti quinquagintatres. Nutantes confirmati plurimi, quorum quidam libros Lutheranos igni exurendos tradiderunt. Tubingenſis ſtudioſus hic à noſtris ſana doctrina imbutus, in religioſam familiam trāſiuit. Perſuaſum famulis vt hæreticos dominos Catholicis permutarent. Tantum apud multos potuit amor auitæ

reli-

religionis, vt alij hæreticis opificibus operam locantes pane & aqua diebus esurialibus libenter victitarent, ne carnibus vesci cogerentur. alij quantumuis pauperes, maluerunt deteriore conditione, minorique mercede seruire Catholicis patribusfamilias. alij minis & blanditiis suorum magistrorum spretis ad nostrum templum & sacram confessionem bene manè ventitarunt, heris adhuc altùm dormientibus, Sacrumque audierũt, & Eucharistiam acceperunt, & quibus potuerunt modis, ad cœtus nostros diebus festis se aggregarunt. Cuidam pauperi ægroto cibus à nostris est missus eo ipso die quo decessit. Promisit se cùm obiisset Deum pro nobis oraturum, & sanè postridie templo nostro aurei quingenti liberaliter sunt donati. Femina parturiens misso à nobis agno Dei, & ad collum appenso, cum admiratione præsentium mox feliciter partu leuata est. Aliis item in pariendo laborantibus, nostrorum precibus & sacrificiis succursum. Trienne dissidium inter coniuges ita operâ vnius de nostris compressum est, vt coniunx vterque cum odio totius vitæ peccata apud eundem deposuerit. Mitto aliorum odia in charitatem commutata. Confessiones generales centum auditæ. Complures è locis hæreticis ad nos confessionis caussa aduolarunt à multis millibus passuum. Vir magnæ dignitatis ipso die Conuersionis S. Pauli patroni nostri eundem Apostolum ad saniora consilia conuersum repræsentauit. Cùm enim ingens quoddam scelus meditaretur, occulta quadã vi seu turbine humi afflictus procubuit. Externã vocem nullam audiuit, intus autẽ Deum vocantem ita sensit, vt è terra simul ac peruerso consilio surgens, ad sacerdotis nostri pedes se abiecerit, & rem totam confessus, promiserit, deinceps quotannis hoc die

ſanctiſſimis Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentis aduerſus ſimiles nefarij hoſtis inſultus vſurum. Mater mortua filium interdiu perpetuis animi terroribus, noctu etiam apertis ſpectris diuexabat. res diuina ter à ſacerdote noſtro facta hominem omnibus terriculamentis expediuit. Communicantium totius anni numerus fuit amplius 5000 Inter Sodales B.Virginis cingulorum & thoracum cilicinorũ & verberationum frequẽs vſus. Vnus toto menſe quotidie flagello ictus ſibi octo inflixit, & diebus ſabbatinis alios tres addidit pro animabus in Purgatorio. Mitto preces & alia pia opera, quæ ad ſemet vincendos præſtiterunt. Sunt etiam de aliorum ſalute ſolliciti. Multos ſalutaribus colloquiis a praua iurandi & blaſphemandi conſuetudine, ab impudicis chartis & ebrietate, à mutuis odiis, obſcœnis cantibus, & detractionibus abduxerunt. Quidam clericorum vitia inter ſcyphos grauiùs inſectanti & exaggeranti tantam detracti honoris pœnitudinem inieciт præſentibus aliis, vt is mox in vindictam admiſsi peccati largiſsimam pauperi eleẽmoſynam dederit. Complures magiſtris Sodalibus modum examinandi conſcientiam, ritè confitendi, lethalis peccati pericula & damna didicerunt. Liberalibus horis pomeridianis ſolemni pompa ſupplicatum eſt à noſtro templo ad D. Magni trans pontem, vbi cantatæ Veſperæ. Inter eundum ac redeundum per ciuitatis compita Litaniæ ac Deiparæ laudes lingua patria ſunt auditæ ab hæreticis. Die Paraſceues per vrbem ſupplicatio inſtituta eſt, maxima Canonicorum Catholicorumque frequentia. Itum ad quinque templa, in quibus ſingulis ſtatio fuit habita. In templo noſtro populus rediens pio dialogo de Chriſto patiente exceptus eſt. Abijt è vita R. D. Ambroſius Strauſs Canonicus ad D.Ioan-

D.Ioannis, & Parochus ad D.Pauli, de nobis optimè meritus Sodalitium multis & pretiosis muneribus ornauit, nobis profuit quibuſcunque modis potuit; potuit autem multis. Moriens duo aureorum millia teſtamento reliquit, ex quorum cenſu pauperes ſcholaſtici alerentur. Viuens adhuc aliquot in Academiis ære ſuo ſuſtentauit. Domus eius quibuſcunque pauperibus ſemper patebat. Edendis piis libellis, & in omnis ætatis homines diſtribuendis ipſe ſumptum faciebat. Nemo vel leuiſsimè ſe ab eo offenſum meminerat, nemo eius vitium aliquod proferre poterat. Cùm haberet domi ſcyphos argenteos & inauratos complures forma & pondere præſtantes, aliquando præſente quodam de noſtris, inſigniores afflixit humi, & pedibus conculcauit; cùm dixiſſet antè, non ampliùs ſeruum ſed dominum ipſorum ſe fore. Mox vocat aurificem, iubet ſex calices inde efficiat. Duobus ante obitum diebus generalem confeſsionem edidit. De eius laudibus multas omiſi, & eas, vt decuit, concionator noſter pro ſuggeſtu diſertè explicauit. Summum altare, opus auguſtum tandem perfectum & erectum. Templum etiam variis & pretioſis donariis auctum. Duo ſacerdotes ad ſyluam in confinibus Bauariæ & Boëmiæ poſitam miſsi, ſex hebdomadibus vtilem operam poſuerunt. Octingentæ viginti ſex confeſsiones auditæ, in his triginta generales. Hęreſi nuncium miſerunt vigintiduo. Tres vltimo ſupplicio afficiendi, ad mortem æquo animo perferendam animati, & ab vniuerſis vitæ maculis purgati. Viſitati carceribus perpetuis damnati, eorumque confeſsiones exceptæ: docti ſunt etiam modum bene tempus collocandi. Nobiles duo capitalibus odiis diſsidentes recõciliati ſunt, & cum totis familiis nobis confeſsi. Mulier quæ à dæmo-

dæmone occupata credebatur, instituta confessione de tota vita, dæmonem ac morbum simul depulit. Eadem via quidam agricola à nocturnis laruis se liberauit. In variis opidis diebus festis & Dominicis habitæ conciones. A prandio elementa doctrinæ Christianæ explanata. Etiam diebus profestis exhortationes institutæ. Discedenti Patri currus cum equis oblatus: quos cùm recusasset, rogatus est à Parocho & à senatu vsque ad primum lapidem comitantibus, vt per occasionem sæpiùs illos interuiseret. Persuasum Curionibus, vt librorum vtilium copiam sibi compararent. Ludimagistro tradita ratio rectè informãdi commissam sibi pueritiam. Parentes instructi ad liberos piè educandos.

Collegium Bruntrutanum.

HÆRESIN exuerunt duodecim. Natalibus Christi feriis plures 800. diuinis epulis refecti. Qui vel omnium vel plurium annorum peccata aperuerunt, quadragintaquinque numerati sunt. Deterritus quidem ne syngrapha data, diabolo se addiceret. Libri hæretici flammis iniecti. Ægrotis & carcere detentis præstitum auxilium. In animum cuiusdã propter vim morbi nec verbis nec signis patebat aditus. Mirum dictu, vbi noster pro eo rem diuinam fecit, derepentè sensus & rationis plenus piacularem confessionem obit, Eucharistiæ fit particeps, & paulò pòst conualescit. Alteri hydrops ad præcordia iam veniebat, nec multùm iam mors abesse videbatur. Ille caussam morbi peccata, peccandique voluntatem abiicit, & se ad Christum ex animo conuertit, eius Corpus sacrosanctum sumit, oleo extremo inungitur, & se mox animo & corpore conualuisse obstupescit. Cura-

tum

tum ne pauperes ſub dio pernoctarent, ſed in ptochodochium cogerentur. De concionibus in arce ad Epiſcopum, & in opido ad ciues, in pagis ad ruſticos, item de catecheſibus nihil dicam, cum pari fructu, quo ceteris annis poſita ſit in his opera. Supplicatio Corporis Chriſti maiore cum apparatu & ſplendore hoc anno peracta eſt. Noſtris auctoribus preces quadraginta horarum per totam diœceſin Baſileenſem inſtitutæ, in quibus ceteris ipſemet Reuerendiſſimus exemplo præluxit. In Chriſti Domini die Natali data à ſcholaſticis noſtris Ecloga, in Bacchanalibus conuiuium Platonis, in ſtudiorum inſtauratione ſenatusconſultum de litteris Congregatio Partheniana feſto Epiphaniæ dedit Edmundum Anglum IESV pueri conſpectu dignatum. E Sodalibus vnus ad Capucinos tranſiit, alius Societati ſe aggregauit. Extremo maioris hebdomadis die Sodales comprecationem duodecim horarum inſtituerunt, ſub cuius initium & finem flagellis in ſemet vndecim ſæuierunt. Excurſum in Heluetiam ac cœnobium Benedictinorum, quò Heluetiæ proceres conuenerant, vt cuiuſdam cœnobitæ primo Sacro intereſſent. Habita ibidem concio, auditi confitentes, & cæleſti pane recreati. Feriis Paſchæ duo in Alſatiam euocati à viro nobiliſſimo, eiuſdem & aliorum confeſſiones exceperũt, conciones ſeptenas habuerunt, orationem item funebrem. Rurſus feriis Pentecoſtes & omnium Sanctorum, itum eſt ad Parochos ſubleuandos. In opido vicino Pontarlerij, hoc anno in Aduentu & Quadrageſima ſimiles noſtrorum labores fuerunt. Piæ mulieri exempti ſcrupuli, quibus pænè ad inſaniam redigebatur. Plurimæ viduæ adoleſcentes ciliciis & flagellis ſe affligunt, & vitam exemplis plenam actitant. A criminibus, hæreſi quos poſſunt deducunt,

cunt, & vt animorum saluti consulant, suis facultatibus non parcunt. Vir primarius precibus socrus, vt creditur, ex flagitiosa vita reuocatus in morbum incidēs tria petebat à Deo, quæ illi concessa sunt; morbo lento laborauit, in manibus nostrorum decessit, & cum iubileo, cuius diploma Pontifex Max. eò miserat, condonationem peccatorum accepit. Odia magnum excitatura incendium, restincta. Blasphemiæ, ebrietates sublatæ. Nutantes in fide confirmati, pauperibus consultū & peregrinis, qui Roma redeuntes insolitis niuibus in montium transitu morbos contraxerant. Excursum Pontarlerio ad pagos, eademq; ibi prç stita. Quā verò grati Pontarliacensibus fuerimus, ostendit morbus Parris, in quem incidit circa Natalitia. omnia fomēta procurata, euocatus aliunde medicus, gratis omnia præstita Quin discedētes nostros post Pascha cum lacrymis prosecuti sunt. Magistratus etiam primarium virum adiunxit, qui ciuitatis nomine Rectori gratias ageret. Ab iisdem calix argenteus ædi nostræ donatus.

Domus Probationis Landspergēsis.

TIROCINIO finem optatum posuerunt vndeuiginti. Ad nostram militiam quindecim se aggregarunt. Alium mater & cognati diutissimè à suscepto consilio depellere conati sunt. finis tandem is fuit, si voti compos esse vellet, certis conditionibus hereditati renunciaret. Iuuenis cùm eos in sententia obfirmatos animaduerteret, libēs eis, suasu cuiusdā nostri accedēte, gratificatus est. Abeunti mater ad aram exornandā materiam elegantem attribuit. Tres vicini Parochi, & horum impulsu duo litterarū studiosi aliquot dies in exercitiis posuere. Hospitalia, carceres, nosocomia,

ægro-

ægrorũ ac moribundorum priuatas ædes ſtrenuè percurſando, & vbi grauius vrgeret periculũ, aut beneficiorũ merita poſtularent, noctes peruigiles diebus iungendo vberiorẽ quoque fructũ collegimus. Multis perſuaſum, vt ſacro oleo ad extremam luctã vngerentur: quod alioquin neglectui habuiſſent. Pleriq; ægrotorũ vt ad eandẽ expeditiores venirent, in omnẽ vitam præteritã confeſſione inquiſierunt. multis valentibus eadẽ occaſione confitendi mens iniecta. Vrbani à pueritia peccata repetiuerunt, & nonnulli cum largo fletu. Quidã ſe graui ſcelere obſtrinxerat, & cùm nocturnis terroribus & inſomniis maximopere angeretur, & à dæmone ad vitã ſibimet abrumpendam ſollicitaretur, quoniã in tam arctis rebus perfugium non reſtabat, Deo attentè ſupplicat. nocte ſequenti vocem audit, ſi ſaluus eſſe velit, alicui de Societate noxas patefaceret. Ille quãuis non aliud genus hominũ magis exoſum haberet, tamen diuinæ voci ad calamitatem euadendam parendum cenſuit, aditoq; ſacerdote noſtro, omnibuſq; integrè expoſitis, quæſitam animi tranquillitatẽ inuenit. Hæreſin apud nos eiurarunt duodeni. Vir primarius bibliothecã nobis luſtrandã, & à ſuſpectis libris perpurgandã tradidit. Æs fœnebre aureorũ quinquaginta ad legitimũ poſſeſſorẽ reductum. Tribus datæ formulæ rectè contrahendi, ſecundùm quas caſtigatæ aliæ, ſimplicibus ac imperitis periculum creare deſierunt. Quidam caput ſuum dæmoni deuouerat, ſi vnquã poſthac perpotaret. Sed tam diræ execrationis oblitus breui ad ingenium rediit. Die quodam ad cauponam iturus, ab infeſto dæmone interceptus eſt, nulla quidem aſpectabili ſpecie, verùm ita horrifico fragore domum concutiente, vt ruere dixiſſes. Porrò hominem medium complexus, iam per ſcalas plateam

versus efferebat, simul crepitantes alapas liberaliter ingeminans, simul vniuersam faciem fœdissimè vnguibus exarans Demum naribus tam valido ictu signum impressit, vt copiosum cruorem eliceret, nec vulnus vlla arte à quoquam curari posset. Sic pessimè multatum, & penè exanimem, accurrente præsertim vicino dæmon reliquit. Continuò noster vocatus, confessionem & alia quæ in rem præsentem videbantur imperat. Ceterùm quoad liuida vulnera curarentur mens sana homini constitit : ast vbi in publicum prodire licuit, ad pristina per summam leuitatem relapsus est. Sed nec istud impunè diu. Fortè à magistratu in ius vocatus, carcere damnatur. Solitudine opportunè vsus dæmon ad necem sibi inferendam exstimulat. Paxillus in pariete altior erat, quàm vt eum attingere posset. Non aduertentem sensim eousque attollit mali consilij auctor, vt eum manu prehendere facilè posset. Cõtinuò laqueum nectit sibi miser, & pendulus hæret. Verùm casu ingressa eôdem custodis filia, ad terrificum spectaculum vociferans parentes elicit, accurrunt, spirantem adhuc è faucibus Orci eripiunt. Noster denuò vocatus, iam meliori successu quidquid vellet, persuasit: nec is vllum finem facit Dei erga se misericordiam prædicandi. Prætor vrbis & agri Landspergensis in confessione hausta nostrorum monita & consilia (sæpenumerò autem de peccatis confitebatur) scripto annotarat, ne vnquam excideret, & statis anni temporibus rerum agendarũ pensum atque ordinem accuratè sibi ipse præscripserat. Et erant nonnulla huiusmodi, quæ etiam Religioso ruborem incuterent. In mensa parcissimus vini, in siti puram aquam biberet. Pauperum præcipuam curam susciperet. Qualibet feria sexta & sabbato ieiunaret.

Exami-

Examinandæ conſcientiæ, & precibus quotidie horam antequam cubitum iret, impenderet. nullo die non Sacro intereſſet. Quæ tantò admirabiliora, quòd is à puero in ſcholis noſtris & in aula enutritus, & aulicis honoribus clariſſimiſq; functionibus ornatus extiterat. Tandem quod a Deo petierat, poſt ſacram communionem placidiſſimè obdormiuit. Catecheſes duobus in templis toto anno habitæ: ſacratioribus diebus etiam in tertio. In peregrinationibus noſtrorum præter multa incommoda quæ ſubierant, interdum confeſsiones exceptæ tum Parochorum, tum nobilium: & nobilis matronæ rogatu arx piacularibus aquis luſtrata, quam omnibus harpyiis atque lemuribus diriores hæretici crudelitate & rapinis turpiſſimè fœdaſſent. Celeberrimo loco, ſed Lutheranæ perfidiæ impensè addicto nata femina Prædicanti nupſerat: quem cùm pro concione dicentem audiſſet, Papicolas non hodie primùm de Purgatorio fabulari, ſed vel ante 700. annos idem conſtanter aſſeueraſſe; eo telo tranſuerberata, ſic ſecum ratiocinata eſt: Si ante tot ſæcula maiores noſtri de igne purgatorio minimè dubitarunt, qua fronte nos hodie illum negamus? Ex hoc familiariùs cum Catholicis de religione diſſerere, & eorum religionē velle amplecti. mox à cœna Lutherana abhorrere, luſtralia Sacra orthodoxorum vndique conquirere. Non id diu latere maritum, quin ipſa rogata ingenuè fateri. quid poſtea? mulierem hanc furioſus ſæpiùs onerat plagis, nec grauidæ quidem parcit. Cùm illa ſe clanculum ad Catholicos proriperet, vt àb hæreſi abſolueretur; Curio loci nec talem poteſtatem habebat, nec eam (mirum dictu) per litteras à Vicario Epiſcopi impetrare poterat. Ita dolentem & gementem domū remiſerunt, illud vnum

pro solatio addentes, vt captata occasione aliquem de Societate accerseret. Sed ecce vltro nostri in eam vrbem veniunt ab obedientia missi: nam inter alia loca peregrinationis etiam hic extabat in schedula. De tota igitur re sacerdos ab amicis factus certior, per fidos homines matronam acciuit, & illius constantia probè perspecta ad Catholicos eam aggregauit. Octo pagis sacratioribus ieiunii diebus catechesis habita, non sine magno fructu etiam in adultis: partim enim concionibus, partim confessionibus aditum patefecit. Simultates inter magistratus sublatæ, duę à cõcubinatu abstractæ Libri malæ notæ collecti. Itum de more à binis sacerdotibus ad S. Montem, quibus plures quingentis cõfessi sunt. Reuerẽdissimus Episcopus Augustanus & maximæ ædis Canonici, postquam multos ad vastissimum Lyci campum adiacẽtes pagos, vtcumque incultos, & operariorum incuria siluescentes, comperissent; pro flagranti in Catholicam religionẽ studio, nequaquam amplius dissimulandum, sed nostros in id muneris facilè paratos immittendos putauerunt. Et ne quid ad commoditatem rei bene gerendæ deesset, de habitatione victuque sanè paternè nobis prouiderunt, & magnam imaginum rosariorumque copiam comparandam curarunt. Quare tres è sacerdotibus, cum totidem sociis tironibus, appetente vernoieiunio destinato operi se accinxęre, atque in varios pagos tributi, quà sanis, quà ægris adiuuandis, vtilem haud dubiè operam nauauerunt. Et vnus quidem in loco illius tractus præcipuo, præter Dominicas sexta qualibet feria verba ad populum frequẽtissimum fecit, & pomeridianis horis fidei rudimenta non tam infantes, quàm adultos edocuit: adeò nec minori populi accursu (mille enim capita censebantur)

bantur)ea doctrina celebrata est. Discendi verò tantus ardor in tantilla ætate eluxit, vt qui nec litteram nossent, nihilominus breuissimo temporis decursu catechismũ memoriæ cõmendatum, populo audacter recitarent. Alter laborioso magis circuitu sæpè spatio integri diei quaternas conciones instituit, initio capto à salutatione vespertina Deiparæ Virginis in sabbato: tum sequẽti manè ad vicinum pagum excurrit, alio ad meridiem, denique in alio à vespertinis precibus suggestum conscendit; hebdomadã diceres ad vnum diem contraxisse. Atque in primis memoratu dignum videtur, quàm promptè vbique multi nostratibus conscientię latebras aperuerint, vt quodam in pago ad quinas horas accessum præstolando perseuerauerint: quorum exemplo permoti alij sunt, vt nostros timere desuescerent. Alibi verò, qui primi ad genua nostri sacerdotis accidere ausi fuerant, humanitate Patris mirificè recreati, ceteris auctores & impulsores facti, vti liberrimè apud nostrum animi maculas eluerent. Ita effectum, vt vnus quadringentos, & reliquorum quisque quinquaginta ampliùs audierint: quorum plerique maximam vitæ partem vel errore vel inconsulto pudore occultauerant; nunc autem eo dolore ac sensu animi detexerunt, vt lacrymis vbertim manantibus, videantur priorem impietatis notam egregiè deleuisse. Superest vt de Missione Rauenspurgensi, multis piorum votis iam dudum expetita, & nunc demùm cælitus oblata, nonnihil perstringam. Plura si quisquam fortassis desideraret, vel scriptorum inopiam accuset, vel meminerit hoc sementis iaciendę tempus esse, non messis colligẽdæ Rauenspurgum Imperij libera ciuitas est, ter mille non ãmpliùs passus à Weingartensi florentissimo Bene-

dictinæ familiæ cœnobio dissita. supremi fasces tribus Consulibus cessere, reliqui in senatores & plebeios diuisi sunt. Hos similiter Lutherana pestis fœdo animorum ac religionis dissidio separauit, vt maxima plebeiorum & senatorij ordinis pars Lutherum peruersè sectentur; Consules autem cum pauculis quos cæleste Numen afflauit, orthodoxam rem quoquo modo tueantur. Quo fit, vt vtriusque religionis libertas hactenus viguerit, magis tamen ad politiam ac lentitudinem inclinarint Catholici: vt hoc etiam nomine longè superiores hæretici, & in sua perfidia efferati, metu atque terrore in iis quæ religionem spectabãt, propè magistratui leges ipsi sancirent. Accedebant quorumdam clericorum parum laudati mores, sacrorum neglectus, & in colenda religione insignis inscitia. Ita bonis cultoribus destituta ciuitas hactenus iacuit, & squalore suo quid secuturis annis polliceretur, satis superq; condocefecit. Verùm enim vero qui metas rerum ac temporum statuit, hoc demum anno laboranti ciuitati beneficam manum porrexit. Etenim quando ex hac domo sacerdos sub ingressum Aduentus, ad Weingartensem vineam annuo more profectus est, alter ex Rauenspurgensium Parochis annis & morbis confectus, humana deseruit. Eapropter memorati cœnobij Abbas (ad quem alioquin desertæ parochiæ cura integrè pertinebat) vt est vir tum salutis aliorũ cupidissimus, tum nostri Ordinis amantissimus, quasi de cælo missum nostrũ gratulabundus excepit, eique Rauenspurgense nouale Societatis more colẽdum extemplò commendauit: & noster haud minori cum alacritate insperatam bene merendi occasionem acceptauit. Primis statim concionibus & catechesi animos auditorum occupauit, vt dolerent tam serò salutis

viam

viam à nostro sibi sterni cœptam : tum illud magis gemerēt, quòd breuior opinione Patris commoratio futura esset. Tanto attentiores à concionantis ore pendebant, & subitò reuixisse Catholici visi; quinimò filios, vt ipsi quoque Patris doctrinam auidiùs capesserent, præmiolis solerter incitarunt. Sexaginta omnino in Natalitiis Christi ritè exomologesi facta, sacro epulo accubuerunt. numerus tum pro temporis angustiis, tum pro desuetudine istorum locorum, vel cum maximo conferendus. Deinde Missione vsque ad Paschatis ferias perducta, Catholicam rem quà firmando nostra, quà exturbādo peregrina dogmata, strenuò prosecutus noster iam non tantùm Catholicos, sed hæreticos quoq; pellexit, vti certatim confertique in templum & subsellia irruerent Hinc maiorem in modum Catholicis creuere animi, tenebrasque suas tametsi nondum discusserit, torpore lento pigrescens hæreticus, acerbè tamen persensit, præque pudore ac dolore sibimet plurimum inuidere didicit. Nostro autem concionatori, quod raræ in dicendo dexteritatis argumentum est, neque calumnia, neque inuidia ab hæreticis adhæsit. Consules præcipuè nostrum adamarunt, illiq; vnus conscientiam emaculandam sæpiùs commisit, ceteri familiam ad id muneris impulerunt. Quantum deniq; omnium ordinum animos sibi noster deuinxerit, sub discessum prçclarè patuit. Valedicenti pro concio͞ne, non iam inani verborum crepitu, sed suspiriis lacrymisque, non minùs viri quàm mollis sexus applauserunt. Et maior in teneriori iuuenta comploratio oborta, quæ turmatim Patrem suum insecuta domum est. Iam verò Consules eòdem ingressi cum oratore, amplissimis verbis gratias egerunt, illud apprimè extollentes: quòd non

modò Catholicis omnibus, atque præsertim iuuentuti gratissimus fuerit, sed neque ipsis aduersariis in minimo molestus. Pari verborum honore postea Reuerendissimo Abbati gratias retulerunt, pro tanto in rem Catholicam subsidio, atque vt omnino pergeret huius viri reditum apud Superiores Societatis impetrare, etiam atq; etiam obsecrarunt. quin idem apud R.P. Prouincialem coràm egerunt, vbi fortè illac transire contigerat. Serenissima Renata veterem in nos beneficētiam centum aureorum dono cumulauit. Illustris verò Comitissa vidua quaternos annulos, nobilissimum quondam nuptiarum honorem templo nostro consecrauit: quorum vnus triplici gemma inclytus nunc sanctam crucem argenteo pegmate inclusam, coronæ in morē cingit; reliqui idem pegma alieno ære, quo hactenus grauabatur, exuerunt. Ad hæc trecentos illa aureos partim templo, partim domui attribuit, præter lignorum & supellectilis copiosam farraginē, qua in dies hanc & suburbanam domum, in nostri gratiam locupletat; maternumque in filios animum, vel hoc indicio prodit clarissimè, quòd numquam cesset sibi subtrahendo nobis apponere. Alia vidua nobilis, quòd ex annua consuetudine centum aureos in pium vsum expenderet, hoc anno nos quoque in piorum numero censuit.

Sedes Constantiensis.

ANNO 1600. cùm ex more veteri à Clemente VIII. promulgatum esset iubileum, in vrbem profectus est etiam Illustrissimus Cardinalis Andreas de Austria, Episcopus Constantiensis, præclaro exemplo, quo & Catholici accendantur, & hæretici confundantur. Ei à Domino de statione

vitæ ibidem euocato nos tanquam bene merito in ſacello noſtro parentauimus,& complures orationes funebres diximus. In eius locum ſuffectus eſt Ioannes Georgius ab Halvveil, antea Decanus, nobili & antiqua familia oriundus, apud noſtros ſtudiis humanioribus, Philoſophicis & Theologicis eruditus, virtutis cultor magnus, & Societati noſtræ in primis deditus. Epiſcopus Curienſis cum Canonicorum Collegio præclarum os tibiæ S. Lucij regis, Apoſtoli & Patroni Curienſium ad nos miſit, cum litteris doni teſtibus,& amoris in Societatem indicibus. Aliorum item liberalitate pretioſa donaria templo noſtro obtigerunt. Bibliothecæ oblati libri magno vſui, præſertim hebraicæ linguæ ſtudioſis futuri. Alia item donata nobis, quæ 600. florenis æſtimantur. Nuncius Apoſtolicus in nos peculiariter ſe beneuolum præſtitit, in ſacello noſtro ipſo die Circumciſionis ſacris operatus, plurimos epulo cæleſti pauit. Eius rogatu Pontifex Max. dedit ad Canonicos & ciuitatis Protectorem litteras ſuper negotio Collegij in hác vrbe excitandi. Epiſcopus pridie quàm conſecraretur, more ſuo ſacellum noſtrum adiit, animumque confeſſione expiauit, comitante & domum reducente plurimorum nobilium turba. Initiatus etiamnum noſtris conſcientiam credit, noſtramq; ſibi operam in enodandis Canonum controuerſiis, ac diœceſi luſtranda depoſcit. Principes viri plures liberrimum nobis aperuerunt acceſſum ad excolendos ſubditos ipſorum, conſuetis Societatis exercitationibus. Monachus ſenex & ægrotus cœnobij ſui Prior, cùm noſtrum Patrem concionaturum intellexiſſet, templum acceſſit, tantumque ex ea concione gaudium percepit, vt affirmarit, ſe nunc æquo animo è vita diſceſſurum, poſtquam

Deus vel ſemel accedendi noſtri copiam ſibi feciſſet. Collegij & ſcholarum ædificatio in votis eſt maximè: creberrimi de ea ſermones deſideriis pleni, & ſpondent ſuam operam plurimi. In ſummo templo non minori fructu, quàm annis ſuperioribus, maiore etiam concurſu conciones habitæ. Adeò autem excurſum eſt ad concionandum foris, vt vel vnus id ſe hoc anno centies & tredecies feciſſe meminerit. Hebræus baptiſmo perfuſus eſt, ſuſcipiente Illuſtriſſimo Epiſcopo. Miniſter quidam Zvvinglianus cum Eccleſia reconciliatus eſt. Hæreſin nouemdecim abiecerunt. Libri hæretici aliquot traditi, complures promiſſi: ſuperſtitioſi partim ablati, partim emendati. Vitæ maculas abſterſerunt 12880. omnes totius vitæ ſordes vna confeſſione 120. Ægris die noctuque affuimus. Noſtrorum conſilio inſtituta quadraginta horarum comprecatio, tributa in quatuor Dominicas Quadrageſimę. Inuenti ſunt, qui cùm manè cœpiſſent orare, obliti corporis reficiendi, vſque ad veſperam perdurarent. Die Paraſceues habita ſupplicatio ad Chriſti cenotaphia. Induerunt ſe domi noſtræ ſaccis vigintiocto, omnes penè primarij, de Eccleſiaſticis, Senatoribus, patriciis, & flagellis armati ſub noctem ad diuerſa templa proceſſerunt, in quibus ſingulis excepti muſica, tribus vicibus ſe diuerberarũt. Varij erant animorum motus. Quidam ad rem nouam & inuſitatam ſtupere: alij tanquam ad piam rem ſuſpirare, multi lacrymari, plerique orare, omnes ſilere altiſſimè. Itum in opida tredecim, in pagos vigintiquatuor, in monaſteria viginti & vnũ, in arces octo, ad priuatas familias plurimas. In his confeſſionibus audiendis, concionibus habendis & exhortationibus non malè opera poſita. Mõrſpurgi noſter ſexdecim hebdomadibus Parochi
munere

munere functus eſt. quo in loco Natalibus Domini mille centum ſacro epulo refecti. Cantiones ſacræ ita ibidẽ iam vſitatæ, vt profanis omiſſis, eas in vineis cantillent aliiſque laboribus ruſticis. Quidam poſt dies aliquot peccata ſua expiare ſtatuerat. ſed vbi è cathedra audiit dicentem de timore Dei, quo meritò debeat peccator corripi; vix horam expectare potuit, ſtatimque vt noſter è ſuggeſtu deſcendit, vt ſibi confeſſuro aures daret, petiuit. Quod alius quoque multis cum lacrymis fecit. Mynſterlingæ ſacratæ virgines vtiliter inſtructæ ſunt ferè quot hebdomadis ſemel, partim de rebellibus animi corporiſque motibus coërcendis, partim de orationis quà mente, quà voce exercitiis. Augiæ die S. Marci, quem ſolenniſſimum agit, hoc anno ad ſeptem millia conuenerunt. Habita ibi à noſtro Patre concio: quam placuiſſe reſpondit omnium attentio, multorum etiam lacrymæ.

Sedes Oetingenſis.

CONFESSIONES peccatorum longè plures numerauimus quàm anno ſuperiore, nimirum plures 9417. de omni vita recenſitas 520. Hæreſum nodis euoluti triginta, aliis prauis opinionibus & ſuperſtitioſis non pauci. Fide nutantes ſtabiliti complures: infando tori commercio quatuor expeditæ. Libri pij dono perquam multi paſſim & cum fructu collocati. Sollenne iam eſt & ſcriptum ſæpiùs, annorum quinquaginta pauciorum pluriúmve exomologeſes à plurimis, itinere nonnumquam milliarium triginta demenſo redintegrari. Curiales noſtri circiter 1200. natalitio Chriſti epulo accepti ad aram, quod numquam antehac, per dies aliquot ferè continenter. At cum

peregrinis & exteris præcipuè constitit operæ sementis & seges. Paupercula ex morbo dimidium annum impos loquendi, vbi votum ad B.Virginem hìc, quatuor ceræ pondo, linteique pro ara concepit; rediit vox, adeò vt iam disertè loquatur, emendicata postmodum voti explendi stipe. Similis gratia precibus eiusdem Virginis alteri cuidam facta, quæ triennium muta, sed peregrinatione huc instituta, muta esse desiit. Fuit qui peracta ritè confessione, serenatus animum fidenter exclamaret: O felicem hanc diem, qua feliciorem equidem non sum expertus, dum viuo, neq; tantis vnquam gaudiis completus exilij. Quidam ob grauissima scelera diuturnis vexatus intemperiis, nullam omnino quietem capere, nec somnum oculis videre cùm posset, sensit instinctum, Oetingæ se tranquillandi, Patrum Societatis interuentu; certusque illi designatus: qui aduentum hominis prior occupans casu, nempe aliud acturus eo loco, statim fuit agnitus ab illo. isque sociis palàm enunciauit, vt antea generoso cuidam domino visum secretò, eum ipsum esse, quo vti secundùm Deum liberatore deberet. Huic ergo se intimè aperuit, & pacato deinceps animo fuit. Mulier quædam copiosa prole cincta, iuxtà verò graui rerum inopia pressa, quò se verteret, nesciebat. creditores nomina contracta exigebant, filij panem, auxilium maritus ægrotus: supellectilem vendiderat omnem dimidio minoris, vt pecuniolam corraderet ad soluendum æs alienum, & emendum panem. Sed neutra parte satisfactum: pueri fame stimulati importunè flagitant panem. His calamitatibus acta miserrima concipit facinus animo, conscribit schedam, deuouet se dæmoni, ad omnia flagitiorum genera patranda, modò adsit ille, pecuniamque suppeditet. Chirographum

graphum reponit in lancem, hinc in culinam, vaditque cubitum mœsta: nam sic faciendum aliquoties didicerat ab anu. Exacta catechismi hora, sacerdos è nostris mulierem salutat; eccur tantam præ se ferat tristitiam scitatus, verbis consolatur: Ecquando confiteberis? inquit. (consueuerat enim antea sæpiùs) hoc quasi telo icta vim lacrymarum profundit. tandem expiata sceleribus, adiuta fuit externo subsidio, & in maiorem spem vocata, edoctaque fidere Deo, & quibus hominibus suam deinceps necessitatem commendaret. Miles hac iter habẽs, sed languore corporis in nosocomio retentus, & affixus lecto, cùm aduerteret imminere periculum ; petit Eucharistiam sibi dari sub vtraque. Negatum est, quia contra morem & religionem loci; suasum potiùs accederet Iesuitam, à quo meliorem in mentem induceretur. Ille furibundus contrà: nihil sibi cum Iesuita, aduentantem pugnis probè salutaturum. Vocatus nihilominus Pater, illo clam, & præmonitus, hominem alloqui suauiter & prudenter adortus sese insinuare breui cœpit: assidere iussus lectulo, assedit. Verbis vltro citroque factis quamuis emolliisset animum præfractum, non tamen euicit prorsus illo congressu. Perstitit enim miser in sententia, & abeunti Patri dixit, ita se moriturum in hæresi, escamq; futuram auibus. Pater nequidquam desperans, & tanquam verba Thrasonis interpretatus, monuit ptochocomij præfectũ, vt se vocaret, simul vt peteretur ab ægro: eum namque certò futurum Catholicum. Nec fefellit exspectatio; quippe obtrusa illi sermone religio, non permisit esse quieto, solitoque frui sopore. Itaque hora noctis vndecima, precibus ad Deum fusis, certoque fidei lumine contentiùs efflagitato; visa pedibus eius astare mulier albata, & orantem his verbis

verbis affari: Tu, inquit, cincinnate, (cirros nempe capilli militares aluerat, qui pone aures dependebant) resipisce, & Catholicus efficere Christianus, maioremque credentium partem sequere (dixerat enim illi Pater de amplissima Ecclesia, lógè lateque per orbem terrarū diffusa) propediem sum reditura, tu verò comitaberis. His dictis per ianuam digreditur. ille consequi festinans, affligitur lithostroto, & brachium fermè luxatum eo casu. Idem postmodum accito sacerdote nostro, magis instructus & confirmatus, coramque senatoribus duobus contestatis illis actis, ceterisque confectis, quæ ad hoc institutum necessaria sunt; in album Catholicorum relatus est, pœnitens vitæ sectæq; prioris, execrabatur his verbis se tamdiu scilicet Lutheranum canem extitisse. Non ita multò pòst omnino persanatus Hungariam repetiit. Adiectum hoc anno Christi sepulti monumento collegium angelicum, adeò mouit audientes, vt lacrymas elicuerit Nec minùs dixerim de Dominici præsepis effigie, quod antro desuper adumbrato concinnauimus, pro aræ summæ dextera, donatis eo beneficio matronæ Landishutanæ sculptilibus omnium personarum, quas historia moraque Bethlemitica nati cælitus infantis complectitur, & habuit præsentes. Res in speciem humilis quidem, sed hoc ipso magis ad verum gesti olim euentus accommodata. Hæc intra fines Oetinganos; extra verò excursum quoque. Multi nobiles aditi, eorumque de peccatis confessiones exceptæ. Burghusij sacerdos noster integro propè anno diebus Dominicis & festis populum instituit catechesi: missa schola plerumque præbuit aures suas noxas reuelantibus. Labor in vtroque genere gratus fuit ciuibus, iuuentuti etiam vtilis. Eadem occasione morbidi homines & affecti

affecti ſermone de rebus piis erigebãtur in ſpem melioris vitæ, ſi æquo animo dolores & ærumnas ferrent, pectoraque fœdata piaculis diligenter expurgarent: quod multi fecerunt perlibenter. Mulier vna diebus aliquot ſollicitè Patris aduentum opperiebatur, inclamãdo ſæpiùs, Mi Pater quando venies, vt ritè confitear, tibique committam quæ nemini mortalium alteri? Die ſolenni Pater venit in opidum, cõfeſtim euocatur ad ægrotam: accedit luto etiamnum conſperſus & madore; confitentem audit, curat muniri ceteris Eccleſiæ Sacramentis, integra mente ac ſenſibus; poſtridie moribunda ſuauiter obdormit in Domino. Puerorum ætas eiuſmodi cepit vtilitatem ex doctrina Catholica, vt eam non ſolùm perfectè comprehenderit, verùm & alia multa piis ex libellis memoriæ tradita promptè recitaret, doceretque vulgus circumfuſum, quod mirabatur in puſillis corpuſculis tam magnam ineſſe rerum ad ſalutem ſpectantium peritiam. Extrema hebdomade, quæ Chriſti naſcentis commemorationem præcurrit, & diebus conſequentibus fuit alius ſacerdos cum Coadiutore Brunouij. Conciones habuit intra duodecim dies, nouem maximo concurſu. Obiere ſacrum myſterium 250. cùm antehac vix ſeptem id temporis fuiſſent. Reditum paranti obtulerunt liberale viaticum; ſed omnia recuſata. Ibidem fuit cum altero ſacerdote quadraginta diebus verni ieiunij totis, & hebdomade prima Chriſti reuerſi ab inferis. Vterque ſuum ſtrenuè fecit officium, & communiter & ſigillatim. alter enim de rebus diuinis ad populum dixit ordinariè confertum ſemper & conſtipatum in capaciſſimo templo, idque vicies & quinquies: alter excoluit pueritiam Chriſtianæ vitæ præceptionibus trigeſies, Dominicis & feſtis diebus omni-

omnibus, ac per hebdomadam quotferiis secunda, quarta & sexta ludimagistris opidi paratissimis & sedulis admodum ad suos discipulos eò comitandos & deducendos. Adierũt nostri ægrotos ferè quotidie, quamuis non vocati & ignoti, quoscumque, eosdemque consolationis ope leuarunt, rectè confitendi tutiusque moriendi præsidiis instruxerunt, lectione pia recrearunt, & libellis donarunt. Xenotrophium & leprodochium non raro sunt ingressi, miseros ad tolerantiam firmitatemque animando, sacris institutionibus erudiendo. Pacem inter dissidentes & litigiosos composuerunt. Cùm aliquãdo fecisset Pater concionem de ebrietate vitanda, multi seriò proposuerunt ab improba se ingurgitandi cõsuetudine abstinere. Conscientię maculas absterserunt apud nostros vniuersim 900. plus minúsve: nec absque summo compunctionis affectu & lacrymis aliqui confessi. In catechismi scholis & exercitationibus pueri sæpè varias quæstiunculas de Pœnitentiæ Sacramento pronuntiarunt, necessarias inprimis & fructuosas auditoribus. Mira alacritate studioque prouolarunt vltro, seque ingesserunt, certatim auentes quod retinuissent ex auditis recitare. Prodeuntes in medium pusilli cubitales tam promptè sua balbutiebant, vt stupore defigerent grandiores. Apud ægros plerosque cùm iaceret vsus piacularis vndæ, persuasum vt emerent perirranteria, & ad ianuas suspenderent. Eius vires & effecta pro catechesi diligenter explicata, monitique omnes vt recentem quot Dominicis è templo domum asportarent, religiosè vterentur & assiduè. Perinde negligebatur olei sacri delibutio, nec cuiquam obtingebat nisi petita. Peruersa nimirum superstitione vulgò erant imbuti, si acciperent id Sacramentum, eò citiùs moriendum

sibi.

ſibi. Conſilium datum vt animæ ſalutē non negligerent, ob periculum mortis imminentis. nec incaſſum: æditũus affirmauit, quamdiu nos iſthic fuimus, adeò frequentatum eiuſmodi myſterium, vt cùm antea maximè & longinquè non meminerit. Maleficæ artes & carmina nimium quantum inualuerant apud morboſos paſſim. illorum vanitas & piaculum ipſis priuatim & ſanis publicè demonſtrata, probatumque remediis in hunc vſum ab Eccleſia conſecratis vtendū eſſe; id quod recepere facturos. Æger vnus cùm ab aliis nulla ratione poſſet induci, à noſtro ſeriò monitus aſſenſit, integrè ſe ipſum manifeſtare ſua ſponte accerſito iudici, quem habet loco Chriſti, & quem priùs noluerat vel in conſpectum admittere, pane inſuper cæleſti munitus; vt alij pariter omnes ægroti egerunt, quo tempore alioquin ex Eccleſiæ præſcripto aſtringebantur. In gratiam operarum & negotioſorum hominum, alter ſacerdos noſter prima luce Sacrum faciebat, idque facturum publicè ante promulgarat, & vix vnquam pauciores habuit quinquaginta. Ciuis cuiuſdam ita rogantis bibliotheca diſcuſſa, reiecti ſpurij qui occurrebant libri. Alius quidam egregius ſacerdoti noſtro caſu obuiàm factus in plateis percontatus eſt, ecqua ratione poſſet tandem iurandi leuitatem & temeritatem quam aſſiduitate obfirmaſſet, aliquando deponere. Ad ſummam hiſce ſtudiis, laboribus, humanitate ſimul & charitate totam ciuitatem ita ſibi noſtri Societatique deuinxerūt, vt Senatores aliquot orarent illos, diutiùs adeoque ſemper manere ſecum; libenter alteram propterea Quadrageſimam acturos ſeſe. Alij certum reditum annuum ſtipendiumque decreturos ſuo ære pollicebantur Eccleſiaſtæ noſtro, & ab onere alio prorſus habituros immunem. Alij alios ſumptus

ptus deferebāt in victum commoraturis ibidem. Alij præ lætitia gestiebant palàm, gratias agentes discessuris pro fideli paternaque cura, informatione, doctrina. Denique voluntatem suam declararunt aliquoties donando vino, piscibus & aliis prolixè satis & liberaliter. Adhæc senatus Brunouicensis dedit ornatum sacrificalem ex veste alba damascena, aurea cruce lata distinctum. Alterum sacerdotis amictum contulit eiusdem opidi grammateus argenteum, simili vtrimq; cruce, segmentis aureis & argenteis illustrem. Tertium obtulit virgo quædam nobilis ex serico aurei coloris, argenteis fimbriis vndique septum. Serenissima Græcensis Archiducissa coniunx Maria Anna misit aræ sacrificique vestitum argento solido & denso ponderosum, opere phrygio, rosis aureis & liliis diuersi coloris intertextis. Pallia, quibus altare prætexitur, accepimus, vnum quidem Salisburgo viride, laneum heteromallum; alterum holosericum, rubeum ab Archiepiscopi Salisburgensis fratria, vtrumq; media cruce alba nigraq; diuisum. Sacra lintea & varia alia ad sacrum ornatum pertinētia aliunde. Beauit nos Serenissimus Princeps Albertus gemino cranio de Sodalitate B. Vrsulæ: ita virgo nobilis quædam, eademque Monacensis altero pari craniorum, ossiumque de legione Thebæorum Martyrum: addidit & crucem auream, quæ continet particulam de vera cruce Domini. Serenissimus Dux Maximilianus dari nobis iussit ceruum, quē suæ manus iaculo strauisse currentem dicebatur, dum hìc per otium intenderet venationi. Ad monasterium vnus è nostris euocatus quindecim eius Religiosæ familiæ exercitiis B.P. Nostri Ignatij excoluit. Hisce operam dedit toto ferè mense, edocuit finem instituti sui, & religiosi status rationem, ad

amorem

amorem & constantiam eiusdem animauit; ad feruorem & studium perfectionis excitare conatus ceteros omnes exhortationibus ad totum Monachorum conuentum habitis, præsente semper R. D. Abbate: qui primæ de spiritualibus exercitationibus factæ, suis verbis quasi hoc epiphonema subiunxit: eiusmodi meditationes vltimum esse remedium & efficacissimum ad correctionem vitæ, sanioremque frugem. Nec profanam cœnobij turbam neglexit noster; quin & vniuersam hanc & exteros alios plures centum diuinis mysteriis lustrauit. Inter hos quadragintaocto confessionem a primis annis, quibus peccasse meminerant, recoluerunt; alij à multis antecedentibus: vnus vindicatus ab erroribus fidei Vt serui omnes monasterij quotidiano sacrificio interessent ante laborem diurnum, & sæpiùs in anno confiterentur obtinuit, decreto Præsulis facto.

PROVINCIA RHENANA.



ISTRIBVTI per domicilia septemdecim, Socij vnus supra trecentos octoginta; quorum sunt centum septuagintaquatuor sacris Ordinibus initiati, non initiati litteraturæ politioris doctores quadraginta duo, studiosi sexagintatres, Coadiutores duo supra centum. Coloniæ degunt trigintaseptem, sacerdotes vigintitres, magistri terni, rei domesticæ administri vndecim. Treuiris vigintiseptem, sacerdotes octodecim, scholæ magistri bini, Adiutores septeni: in Domo Probationis habitarunt quinquageni seni, sacerdotes qua-

terni, ſcholaſticis annumerandi trigintaſex, re domeſtica occupandi ſexdecim. Moguntia complexa eſt Socios quinquagintatres, initiatos vicenos binos, humaniorum litterarum doctores quaternos, Theologiæ auditores quaternos denos, binos Philoſophiæ, in re familiari miniſtros vndecim. Herbipolis quadragenos, ſacerdotes decem & ſeptem, magiſtros quinos, Philoſophiæ ſtudioſos nouem, totidem Coadiutores. Spira vicenos; pars media ſunt ſacerdotes; magiſtri quarta altera, & altera Coadiutores. Fuldam habuerunt quinque & viginti, ſacerdotes tredecim, iuuentutem inſtituunt quatuor, duo ſtudia repetunt, rem domeſticam procurant ſeni Heiligenſtadij fuerunt deniterni, ſacerdotes octo, vnus rei litterariæ doctor, Adiutores quatuor. Molſhemij vigintiduo, ſacerdotes decem, dimidio pauciores magiſtri, miniſterio domus quotidiano diſtenti ſeptem. Confluentiæ octonideni, quorum octo ſacerdotes, magiſtri quatuor, ſex Coadiutores. Paderbornæ ſeptem ſupra decē, ſacerdotes deni, magiſtri bini, reliqui miniſtrarunt rem familiarem. Monaſterij octodecim, ſacerdotes vndecim, vnus magiſter; Coadiutores ſex. Recenſuit Hildeſium Socios vndecim, ſacerdotes quinos, binos magiſtros, quatuor Adiutores. Totidem numerauit Embrica, ſacerdotes ſeptem, tam rei ſcholaſticæ magiſtros, quàm domeſticæ adminiſtros binos. Aquiſgranum effloreſcit Sociis octo, magiſtri duo, totidemque Coadiutores æquant numerum ſacerdotum. Reſtant Miſſiones duæ: altera Erfurti, binos ſacerdotes; altera Altenæ Coadiutorem ampliùs complectitur. emigrarunt octo, immigrarunt viginti octo.

Colle-

Collegium Coloniense.

IN Societatem nostram adscripti septem: beneuolentiam experti sumus singularem, tum Reuerendissimi atque Illustrissimi Nuntij Apostolici, tum Serenissimi Coadiutoris, sed & Senatus & populi Coloniensis. Angustiæ rei familiaris subleuatæ sunt ex ipsa Dania eleëmosyna centum dalerorum Imperialium. transmissa & munera haud exigua: ad magnificentiam cultus diuini collata in templum; casula trecentorum dalerorum Imperialium a Serenissimo Coadiutore: duo Angeli argentei egregio artificio elaborati, sacras reliquias crystallo inclusas tenentes (quilibet septem libras cum semisse pensat) alter nobilis cuiusdam, alter senatoris est munus. Conflantur & aliæ duæ statuæ in similem vsum ex argento, quarum pretium erit quadringẽtorum Imperialium. Omitto plura bene merendi certamina, Conciones Dominicis festisque diebus habitæ quatuor. vna latina in aula scholarum, quam Reuerendissimus & Illustrissimus Nuncius Apostolicus, & multi viri honorati frequentant, reliquæ tres idiomate vernaculo. omnibus nec frequentes auditores, nec operæpretium defuit. Catecheses totidem institutæ aut continuatæ in celebribus locis. Qui scholas nostras frequentant, abfuerunt non ita multùm à nongentis. duo in illis illustres Comites, & nobilium adolescentum bonus numerus. A studio litteratum pietatisque, & in suos præceptores obseruationẽ nihil remissum. Variis Religiosorum virorum familiis adiunxerunt sese circiter sedecim, præter quatuor, qui se nobis addixerũt. Quidam in ordinem sacerdotum cooptatus & adhibitus in subsidium ab opidi cuiusdã Pastore, præ-

ter reliquam operam, quam nauat vtiliter admodum, multos etiam ipsius Parochi alienos & hæreticos ritus circa diuinorum mysteriorum aliarumque rerum sacrarum administrationem correxit. Claruit virtus quorundam contra parentes non Catholicos, quorum minis verberibusque, vt contra Ecclesiæ ritum carnibus vescerentur, minimè sunt inducti. Qui flagellis, ciliciis atque aliis id genus pœnis secum ipsi pugnarent, præcipui fuerunt, qui nomina dederũt Sodalitio B. Virginis: à quibus postridie Dominicæ Quinquagesimæ supplicandi caussa præcipuæ sunt obitæ huius vrbis ecclesiæ, atque in vna Sacrum decantatum. Præter studiosos nostros, qui templum nostrum adire consueuerũt, sunt Parochi, Canonici, Vicarij cõplures & honorati ciues, atque aliorum etiã gymnasiorũ professores. Nobilis Canonicus ex partibus Saxoniæ apud nos excultus exercitiis spiritualibus, tantũ fructũ percepisse sibi visus est, vt dicere solitum acceperimus, Venite, & narrabo vobis, quanta Dominus Coloniæ fecerit animæ meæ. In egenos & ægros liberalitas piarum feminarũ, quæ templũ nostrũ frequentant, insignis extitit. Animabus curandis etiam ab iis data opera, tum rudiũ instructione & perductione ad sacram confessionẽ, tum etiam abducendis quibusdã ab hæresi aut vita impudica. Huc se cõtulerat femina profligatæ vitę, nõ ignobili ciuitate Germaniæ, ex iis quæ Lutheranam sequuntur hæresim, honesto loco nata: quam insidias struentem aliis cùm animaduertissent, non antè destitum, quã ad sacrã cõfessionẽ, & honestioris vitæ cõsilia perduxissẽt. Puella graues admodum oppugnationes integro anno sustinere coacta est à cacodæmone; nec modò aliàs humano habitu, alias admodũ monstroso & terribili cõspicere, sed etiã illatis verberibus atq; liuo-

liuoribus,& sollicitatione ad flagitia improbũ atq; iniuriosũ experiri: tãdẽ acceptis litteris a suo confessario quas B P.N. Ignatius manu sua subscripserat, aliquẽ huius molestiæ finẽ inuenit. Nã cùm summo manè illius diei, qui D Dionysio Areopagitæ sacer est, flãmis cinctus, magno eiulatu ante lectũ eius se stitisset; illa litteras manu tenẽs, quarũ præsentẽ vim aliquoties erat experta, eas inuocato B.P. Ignatio, in ipsam flammã coniecit. mirum dictu, hostis tanquã fatali percussus telo, effringẽs fenestrã inde proripit sese, litteris nulla cõbustione læsis: nec ampliùs in conspectũ dat se inimicus; sed quod antea minatus erat, interno bello vehemẽter illã affligit, cui hactenus piis exercitationibus insistẽs, implorata diuina ope, & B.P N. intercessione, fortiter se opponit, felicemq; sperat æquè ac prioris pugnæ victoriam. Cubiculum spectris & nocturnis infestum tumultibus, affixa imagine, quam subscriptio B. P N. Ignatij contigerat, tranquillitati redditum est. Adhæc sacram agni cerei effigiem, non solùm parturientes salutarem expertæ sunt, sed alij etiam sibiipsis propter angores animi spontaneam necem meditantes. Data fuit opera, vt pecuniæ vsuris extortæ vel redirent ad suos dominos, vel cõdonarentur precibus corũ, qui soluẽdo non erãt. Mater recõciliata filio filiæque, quos ædibus excluserat: & cõiunx marito, à quo discessionẽ meditabatur. Idem præstitũ duabus sororibus, quæ vt animis habitationeque essent cõiunctæ non parũ habebat ad earũ existimationẽ studiũq; pietatis, in quod consenserãt. Ex hæresi emerserunt circiter 18. Horum de numero fuit iuuenis, viri nobilis & copiosi filius, qui Lugduni apud Batauos incubuerat in studium humaniorum litterarum atque Iuris ciuilis. E Caluini Theologia inciderat in graues admodum & bla-

ſphemos errores, Dei prouidentia res humanas gubernari, vix vt crederet: de Chriſto Domino, verúſne mundi Saluator exſtitiſſet, impiè dubitabat. tandem naualem Belgarum hæreticorum expeditionē in Flandros anno ſuperiore ſecutus, magnum vitæ diſcrimen adiit. periculum pereunti ac penè deſperato ſaluti fuit, vota Deo nuncupat, hęreſi atque impietati nuncium ſe miſſurum, ſi mortem euaderet: euaſit, Coloniam aduolat, poſita hæreſi, parentum iram minaſque nihil veritus, publicè Catholicum profitetur. Sacerdos è noſtris Noueſium miſſus: concionibus & catechiſmis per Quadrageſimam ſuus conſtitit fructus. cōfeſſiones auditæ, non tantùm incolarum, ſed etiam Parochorū, qui locis è vicinis adibant. Ipſo Dominicæ Reſurrectionis die totus Senatus vna cum ducentis aliis honoratioribus, noſtro ſacerdote rem diuinam peragente, incruentam victimam Paſchalem è manibus ipſius piè ſuſceperunt. Ab eodem eſt Pœnitentiæ Sacramento expiata, ſuoque loco & Ordini reſtituta quæ bello Noueſiano è monaſtica vita in flagitioſam delapſa, turpiter aliquot annos vixerat: eadem ſentina liberauit aliam non religioſam. Morbo laborantes & allocutione & eleēmoſyna ſubleuati. Demum in iuuentute rebus fidei imbuenda, etſi minimè incaſſum opera fuerit collocata, maior tamen fructus exſtitit in adultioribus, præſertim nobilibus feminis, quibus ignorantia ambiguitaſque de rebus ad religionem ſpectantibus erepta eſt. A Sereniſſimo Coadiutore extrema Quadrageſima petitus eſt ſacerdos, quem in opidum ad ripam Rheni, Obervvintern ablegaret. itum ab illo priùs eſt ad virgines non procul Bonna. Moniales accepta ab ipſo ſacra Euchariſtia, Abbatiſſa ceteræque vigintiduæ, vel omnem
vitam

vitam ſuam illi aperuerunt, vel ſalubria cum illo tractarunt cōſilia; itaque pullulantia diſſidiorum ſemina exſtirparūnt, & quod antea recuſauerant pertinaciter, facilè ſe paſſuras oſtenderunt, vt ab iis, ad quorum munus hoc ſpectat, in vitam rerumque adminiſtrationem inquireretur. Hinc ventum in Obervvintern opidum trigintatres annos & eo ampliùs omnibus ſacris deſtitutum: qua re multum hauſerant ciues inſolentiæ in Catholicos. Noſter ingreſſus templum quoddam iuris adhuc Catholici, dato æris campani ſigno, cereum Paſchalem & ſacrum fontem conſecrat pænè ſolus: veſperi paucis, qui reſtabant, Catholicis facta eſt confitendi copia, quibuſcum de nocte ſacræ gratulationes cantatæ ſunt Chriſto reſurgenti. Concionem ipſo Paſchate & die ſequēti habitam extra templum auſcultarunt non inuitis animis quidam hæretici, neglecto ſuo Parocho, qui eadem hora in æde præcipua extra opidum verba faciebat ad ſuos, quorum animos concitabat in noſtrum ſacerdotem: temperatum tamen ab iniuriis. Et cùm difficile eſſet, quidquam ſperare de ſalute incolarum, niſi amoto hæretico buccinatore; Sereniſſimus Coadiutor omnia obnixè fecit apud Illuſtriſſimū Ducem Iuliacēſem, vt inde pelleretur. quod & obtinuit: illo tamen latitante & clàm moliente inſidias, noſter ſacerdos rurſus eò miſſus eſt: qui ipſo Venerabilis Sacramēti die ſollemni, ſacrā Euchariſtiam publicè deportauit per ciuitatem ad eccleſiam parochialem priùs ritè expiatam, exportauitque in opidum, concinentibus, qui erant in comitatu Catholicis: ad quos tunc nonnullorum, qui antè latuerant, facta eſt acceſſio. & quidem ſpes affulget, vbi de idoneo Paſtore prouiſum illis fuerit, numerum in dies fore auctiorem.

TVLPETI, quod huius diœcesis opidum est, è latebris extractus disseminator quidam hęreseos: disputandi certamen à sacerdote nostro oblatum planè subterfugit, nihil aliud, quo se tueretur, proferens, quam extremum mundi diem, quis verus falsusque Dei cultus esset, patefacturum. Itaque hominem pertinaciæ condemnatum & proscriptum apparitor ciuitate eduxit expulitque. Apud quosdam incolas eiusdẽ pœnæ metus tantum valuit, vt ab errore resipiscerent: pertinaces exilio mulctati, quo in Catabaptistas aliis quibusdam locis animaduersum etiam est. Quatuor facinorosi, qui inter hæreticos vixerant more prorsus hæretico, edita publicè fidei Catholicæ professione, & peccatis Sacramento Pœnitentiæ ritè expiatis, supplicium capitis patienter subierunt. In duobus virginum monasteriis cõfessiones auditas, habitas conciones & salubria consilia euidens omnino fructus est consecutus. In altero eorum nequam spiritus vmbras quorundam vita functorum vni de monialibus sæpiùs obiiciens, & multa persuadens specie pietatis à disciplina monastica illam retrahebat: verùm fraudibus deprehensis obuiàm itum est, & tranquillitas reddita. Ea hebdomade, quæ Christo patienti sacra est, ad sepulcrum Domini cura Serenissimi Principis Coadiutoris erectum Bonnæ egregia quorundam aulicorum eluxit pietas, acriter sese verberantium. quæ res animos spectantium multùm erexit & confirmauit, præsertim adhibita etiam ad populum oportuna exhortatione. Ipse Serenissimus Princeps iisdem diebus familia sua comitatus ædes sacras per ciuitatem supplicandi gratia inuisens, multùm valuit exemplo suo, vt ciuium animi commiseratione sui Seruatoris & dolore peccatorum mouerentur.

Celle-

Collegium Treuirense.

ANTONIVS Circurienſis exilium cum patria commutauit, annos natus 37. quorum 12. in Societate Deo dicauit. antequam ingrederetur, Rhetoricæ operam dabat,& nihilominus, vt inter domeſticos adminiſtros cenſeretur impetrauit. ſortē Marthæ ita impleuit, vt pietate & obedientia percarus omnibus quadriēnij phthiſi ęger ipſe infirmarij officium magna charitate & induſtria obiret: nam & pridie quàm migraret, rationem cuiuſdam medicamenti conficiendi, atque in domeſtica pharmacopolia aſſeruandi docuit. in album Sodalitatis Angelorum primus olim relatus, primuſque Præfectus fuit, ideoque pridie B Michaëlis ab Angelis oblatus eſt in conſpectu Altiſſimi. in huius locum admiſſi tres. Concionum & catechiſticæ lectionis tum in vrbe,tum in opidis etiam remotioribus fructus conſtitit. Ad fidem conuerſi minimùm nouem: ex his adoleſcens pertinaciam zelo expiauit. nam primò primum ſocium adduxit,cum hoc tertium,cum tertio quartum vſque ad ſextum. Virgo nobilis parentibus Catholicis orbata, à conſanguineis hæreſi infecta, non priùs conceſſa eſt Heroinæ cuidam petenti ad obſequia, quàm promitteret non laboraturam, vt à perfidia ad fidem reduceretur. Aliis ergo Catholico ritu ſacrum Domini Corpus percipientibus,ipſa panem & vinum de execrabili Lutheri menſa ſumebat. pertinaciam ſeductæ firmabat Satanas ludibrio, quod ipſa miraculū credebat, quo ad vtramque ſpeciem ſumendam diuinitus moueretur. nam cùm naturâ tam abſtemia eſſet, vt guttulam vini guſtare non ſuſtineret; quando ad præclaram illam cœnam accede-

bat, profani vini hauſtus nihil moleſtiæ inferebat:noſtrorum operâ trigeſimo demum anno, perfidia publicè eiurata, ritè communicauit. Aurifex poſt congreſſus aliquot Catholicam fidem ſe amplexurum oſtendebat, modò neſcio quid expediiſſet. profectus hinc in vrbe hæretica ex iurgio primùm, deinde pugna, ipſe priùs lethale vulnus accepit, & vulnerantem confodit: ſocius horrendo contubernalis exitu audito, ne differendo conuerſionem ſimiles pœnas lueret, cæleſtem lucem reſpexit perlubenter. Vulcano traditi libri hæretici, & incantationibus, veneficiis & aliis ſuperſtitionibus contaminati. A dæmone occupata ſuperioris vitæ noxas confeſſa, corpore valentiore domum rediit, inſtructionem acceptam, ne in agone quidem, qui poſt menſes incidit paucos, neglexit. Alia conſcientiæ aculeis deſperabunda & amens conſolationem non admittebat. interrogata, quidnā mali diſcruciaret, Dicam, inquit. & ſtatim, Ah, dicere non poſſum. ad cetera verbum extorqueri non potuit. multo tandem labore & patientia noſtri ſacerdotis, cœpit cooperante Domino, rectè loqui. Extra vrbem ſacerdoti noſtro nunciatur in via ex mendicorum turba quendam animā agere. accurrit, rogat num confiteri velit. confeſſus eſt articulatè, & ſtatim obiit, qui teſte vxore, annis quatuordecim fuerat mutus. A quindecim millibus paſſuum Treuiros commeant, hanc vnā ob rem, vt de peccatis confiteantur, quòd compererunt noſtros in tranquillandis conſcientiis valere: nec fefellit ſpes. Tam qui hinc ad ædem B. Mariæ Virginis tribus millibus paſſuum diſtantem, miraculis inſignem, peregrinantur, quàm qui opificij diſcendi aut exercendi cauſſa vrbes exteras viſere ſtatuerunt, priùs ſe Sacramentis communiunt. Quidam relicta

vxore cum pellice diu profugus vixit: quædam maritum exosa, extorris. vtriq; à magistratu immunitate impetrata, ille vxori, hæc marito sunt restituti. Coniuges nonnulli inter se diffidentes, in gratiam redierunt. A turpi quæstu reuocatæ nonnullæ: fœda consuetudo quorundam dissoluta: superstitiones sublatæ: peccatorum pericula incautis detecta: improuidis consultum bene. Huius exemplum non est vulgare. Quidam in flagitiis, igne ferroque vindicandis perdiu hæserat, nec ea suo Curioni detexerat vnquam. Conscientiæ tandem immani verbere adactus est, sibi non aliter ad vitam æternam aditum esse, nisi ex iudicis sententia per ignem. vxore igitur liberísque relictis in exilium remotissimum abire constituerat, vbi in manus incideret magistratus, cui, quæ designauerat, fateretur, vt in igne Deum propitium habere mereretur. fecisset, nisi priùs Treuiros isset, de suo proposito aliquem de nostra Societate consulturus: vbi confessus de tota vita, saniora cepit consilia, magnaque animi lætitia, pro virili satisfacturus, domum rediit. Quidam concionem in ebrietatis vitium sibi dictam arbitratus, non priùs de templo recessit, quàm generalem confessionem fecisset. Est qui ad vindicandum in potu excessum, vini vsum in annum sibi interdixerit. Miles, pro damnis quæ rusticis intulerat, de ducentis coronatis soluturum recepit annuam pensionem, donec facultas sit summam numerandi. In virginum monasteriis exhortationibus & confessionibus effectum, vt nihil aliud quàm vitam religiosam spirent. His non dissimilia in opidis, ad quæ excursum, præstita. Abbas à nostro sacerdote permotus Treuiros venit, in Collegio confessus est, & ex suis, qui spiritualibus meditationibus exercerentur, misit. hoc

pietatis

pietatis genere in Collegio adiuti viginti & vnus, inter quos Religiosi nonnulli, & Abbas alius: qui rogatus, vt cuidam exercitia permitteret, Quin & ego prius, inquit, experiar. Huius exercitationem (quòd virorum ac mulierum aliquot monasteria commissa illi sint) multis profuturam speramus. Inter amicos non defuit, qui nostram tenuitatem miseratus, Collegio amplius trecentos florenos donauerit. Ad iuuentutem scholasticam veniamus. Eius hoc anno capita 750 censuimus. omnibus præstant vtriusque Partheniacæ Sodalitatis alumni. Ad Christi natalem vt sese præpararent, octiduo antè, ad Sodales de humilitate nostri Saluatoris agẽs Præfectus, sacræ Theologię Doctor, corã omnibus in genua prouolutus, aliquod sibi pietatis opus iniungi, in magni Dei & humilis Saluatoris honorem petiit. Præfecti exemplum sequuntur Assistentes, qui aut sacerdotes aut magistri S. Theologiæ candidati. de ceteris æstimare sat est. Die D. Thomæ sacro Sodales ad triginta obeunt hospitalia duo: nam in vno minor de paupere Christo merendi materies. vnus inuentus, & tanto pleniùs recreatus est: in altero sexaginta reperti, fidei mysteria incredibili feruore edocti, albis panibus, haustu vini, & pecunia donati sunt: permulti ea re moti, nostris, qui spectaculo pio aderant, confessi sunt. Maiore feruore placuit repetere ad festiuitatẽ Dominicæ Resurrectionis. Ad relegendam Domini passionem per Quadragesimam, semel in hebdomada frequentes in oratorio conuenerunt. In cœna Domini pauperes delecti, quorũ pedes loti a Sodalium primis, iisdemque epulum datum sacra lectione conditum: denique dimissi sunt liberali eleẽmosyna. Parasceuen totam meditationi passionis impenderunt: sub vesperam flagellis à seipsis pœnam exegerunt.

quod

quod pridie festorum B. Virginis & aliorum celebrioribus Sodalibus solenne est, inter quos semper aliqui sacerdotes numerantur. Sodalis, qui ob eruditionem & pietatem studiosis & ciuibus in pretio erat, magna rerum inopia premebatur: decumbenti Sodales dies noctesque adsistunt. Sacerdos Sodalis de infirmitate certior factus, à viginti millia ribus pharmaca destinat: non deerat, qui proprium lectum subministraret. denique nihil intermiserunt, quod ad infirmi refectionem sanitatemque pertinere arbitrarētur. Quid commemorem, qua patientia æger circumstantes recrearit? qua cupiditate piam lectionē & animæ solatio exceperit? quibus verbis matri lacrymas absterserit? quibus votis cælitum, Virginisque patrociniū expetiuerit? Sentiens se viribus destitui, Christi effigiem exosculatus, Citò, citò, exclamat, Beatissimæ Virginis Litanias legite: ad quas ipse intermortuis vocibus, *Ora pro nobis*, cum responderet, citiùs spiritum reddidit, quàm Sodales Litanias absoluerent. Funus ita curatum, vt primarij ciues dicerent, extremum istud caritatis munus, abunde incitare, ad nomen Sodalitati dandum.

Domus Probationis.

MORS nobis eripuit Ioannem Fos: cuius quæ fuerit pietas, patientia ac resignatio, inualescente morbo maximè enituit: vix dedisse notatus est doloris significationem, desiderij nullum indicium. hoc identidem vsurpabat, Dei voluntas ac Superiorum fiat. Demortui è collo capsa pendebat, variis Sanctorum patrociniis inscripta & votis, cum primis, vt in Societate mori liceret: exauditus est. Sacramentis ægrorum munitus, votisque

que Deo nuncupatis decessit. Ceteri quotidie viui moriuntur. tantum dixisse de consuetis tironum exercitiis, ad vitandam satietatem, abunde est. In externis istud numeretur: in puerorum grege, qui catechesi Dominicis festisque diebus imbuuntur, quà intra, quà extra vrbem, sexagenarius, & haud multò minoris ætatis femina, signum crucis tum primùm efformare ad ducentis manum pueruli planè, id est summa contentione, didicerunt. In mendicorum agmen (duûm id millium est aliquando pro foribus Carthusiæ) nouitij sese insinuant, docent Christianam catechesin, hortantur ad Confessionis & Eucharistiæ Sacramenta, & quæ locus postulat. Videas nostrorum exemplo mendicos alios aliis instare, arguere, nomina ad nostros deferre, ipsos adducere. Nonnumquam milites, & qui alij peregrè veniunt, dum illac fortè iter habent, quid rerũ agatur inquirunt; & quamuis principio rideant, mox eadem exsequuntur, quæ alios præstare vident. Quæ nouitiorum industria iam pridem ita in vulgus probata abiit, vt dum per vrbem aliquando proficiscerentur, puer balbutiens, Pater, acclamarit, Pater doce me orare. In peregrinationibus obseruatum, cum demum mendicantibus abundè esse omnia, quando corporis posthabita cura, ad animum intendebant, & diuina pro institutionum ratione procurabant, quando ipsi aliis priùs quoad poterãt, benignè faciebant, aut certè ab hæreticis, ad quos non raro diuertendum, antea ludibrio habiti fuissent. Cœnobij Prior bene acceptos ab se dimittens ad circumfusos, nostrorum habitu attonitos conuersus; Ecquis, inquit collacrymans, isthoc habitu emissus ad monasterium referret pedem? Paschæ ac Pentecostes feriis duobus in locis, ad millia viginti trigintaque distantibus, qui pagis

vicis-

vicisque censentur vndeuiginti, duorum Parochorum rogatu, quatuordecim diebus, subinde noctibus additis indefesso labore sudatum concionibus habendis, Christianæ fidei rudimentis tradendis, sacrosanctis Eucharistiæ & confessionis mysteriis administrandis: eo animarum fructu, si pœnitentium numero metiendus sit, vt vno in loco alter è nostris sacerdos confessiones ampliùs quingentas exceperit, plerasque à teneris vnguiculis repetitas. Virus animorum faciliùs euomuerunt, quòd de Patrum Societatis fide facultateque pro concione monuisset Pastor. Vniuersi ergo ad confessionis locum se effundunt, sedem obstinati occupant, nullum cibi sumendi tempus reliquum faciunt: quin domum comitantur, pro foribus excubant, per scalarum gradus in ipsum conclaue euadunt, confitentibus vt operam det, instāt. verùm quòd rudes & imparati essent, nulli priùs Patris ad aures adire permissum, quàm à comite fuisset de confitendi communicandique ratione instructus, quo compendio sacerdos vnus pluribus impendit sese. Errores erepti. odia sopita. concubinæ legitimo matrimonio copulatæ: effectum, vt blasphemandi licentia edicto satrapæ & pœna publica coërceretur. Crebra communio inducta: quæ ita placuit, vt vulgus diceret, iam pridem cupiisse videre diem, qua liceat, quoties velis in anno communicare: hactenus qui id fecisset, continuò digito monstratum, quasi vel enormis flagitij reum, vel de magia suspectum (quòd insideat opinio, sagas diabolicæ vexationis redimendæ caussa, in templum itare, Sacramenta sumendo profanare.) Reconciliationes aliquot factæ eorum, qui animis dissidebant hostilibus, tanta pertinacia, vt dictitarent, non, si Christus de cælo interueniat, pacem constituturum.

Reue-

Reuerendiſsimus Dominus Suffraganeus totus noſter, hoc eodem in loco Confirmationis Sacramentum adminiſtraturus, vti noſtrorum opera voluit: labore perfunctus, ſibi noſtriſque gratulabatur, & perpetua eiuſmodi optabat auxilia. Societatis commentationibus non omnes exculti qui expetebant, ſed quibus per anguſtias domus licuit. Die S. Michaëli ſolemni inſtituta eſt quadraginta horarum in domeſtico ſacello a domeſticis oratio pro communibus neceſsitatibus Eccleſiæ, expoſito ad orandum noctu diuque ſacro Chriſti Corpore, intermicantibus (nam tenebræ erant arte inductæ) Sanctorum reliquiis, reliquoque ſacelli ornatu. quæ ſupplicatio quantum aliis profuerit, ex eo æſtimari poteſt, quòd noſtra domus cæleſti ſpiritu viſa eſt renouari. Res domeſtica, ſui ſimilis, anguſta: ſacelli tamen ſupellex thecis reliquiarum, ſignis, tabulis illuſtrior reddita eſt, potiſsimùm hierotheca, ſacro Chriſti Corpori exponendo, ex argento auro inducto affabrè elaborata ac pondere viſenda.

Collegium Moguntinum.

HVIC vitæ poſt annum pænè quadrageſimum in Societate actum exemptus R. P. Iacobus Ernfelderus, primus olim Societatis in vrbe Moguntina, poſt R. P. Petrum Caniſium nouitius, duorum Collegiorum rectoratu, ac vniuerſæ prouinciæ Rhenanæ gubernatione, eximia cum prudentiæ indefeſsique ſtudij & amoris laude perfunctus. hoc anno ſexagenarius, ab omni functione remotus, quòd morbo ita confectus eſſet, vt priſtinis laboribus par futurus non videretur: animam Deo poſt diutinum agonem, omnibus Sacramentis communitus reddidit, relicto præ-

clare

claro patientiæ, humilitatis & lætitiæ ſpiritalis in cruciatibus morborum tolerandis exemplo Eius deceſſum ſex nouorum tironum compenſauit prouentus. Eorum, qui ad Catholicæ Eccleſiæ gremium noſtrorum induſtria commigrarunt, numerus fuit capitum tredecim ſupra centum. Sacerdos apoſtata, qui vigintiocto annos vxore per ſacrilegium ducta Miniſtrum verbi egit, cùm religionem Lutheranam cum Caluiniana (quod crebrò fit in noſtra vicinia) commutare cogeretur, ne alteram perfidiæ & inconſtantiæ notam apud Deum & homines ſibi inureret, maluit in rectam viam redire; curſum flectit ad nos; miſerè ſuperioris vitæ ſtatum deplorantẽ benignè ſuſcipimus, exercitiis ſpiritualibus excolimus, ſolutum ſuperioris vitæ noxis & cenſuris, non dubitamus tot annorum iacturam compenſaturum. Prutenus in ſectariorum Academiis Lutherana Theologia egregiè imbutus, cùm iam libellos duos typis procudendos in Ieſuitarum dogmata pænè paraſſet, eaque de cauſſa P. Gregorij de Valentia; veterumque Patrum commentarios ſedulò peruolueret, quò fortiùs premeret hoſtem; nutu diuino, quo longiùs legendo prouehitur, hoc liquidiùs haud alienum, ſed ſuum errorem cernit: itaque deſperata victoria, deſertis Theologiæ caſtris, ad medicinæ ſtudium ſe applicuit, in quo & doctoratus gradum eſt conſecutus; ſed quoniam veteres de fide controuerſiæ nullam menti quietem indulgebant, Saxonia relicta huc peruenit, & poſt aliquot familiaria de fide cum noſtris Doctoribus certamina, manus victrici omnium monſtrorum veritati dedit, excuſſaque intra domeſticos Collegij parietes ad aliquot dies cõſcientia, profeſſione fidei & exomologeſi peccatorum facta, omnium errorum & erratorum

virus eiecit, & coniugio cum Catholica coniuge in hac vrbe inito, quasi pessulum, ne fluctuationi animi amplius locum daret, obiecit. De Heidelbergensi Professore, cuius conuersionem plenius describent Spirenses, id tantùm habeo, nos postquam Moguntiam transfugit, omnem lapidem mouisse, vt stabilem sedem hîc securus figeret: effecimusque bonorum virorum ope, primùm, vt vxorem cum liberis, quæ iniquè à Caluinistis detinebatur, reciperet, deinde, vt in Academiæ album referretur, ac postremò, vt domicilium ad habitandum, vectigalq; annuum ad familiam sustentandam liberalitate Illustrissimi Principis nostri attribueretur, quò cōmodiùs ac validiùs pestilentem hæresim, quam cum materno lacte, à patre verbi buccinatore imbiberat, quod facere cœpit, conficere pergat: cuius viri idcirco mentionem faciendam putaui, quòd non dubiis sermonibus, ac re ipsa cognouerimus, vniuersam illam Academiam hoc exemplo vehementer commotā. Vnus certè Theologiæ eorum auditor, qui iam bis in Prædicantium consistorio, eloquentiæ non vulgaris specimen ediderat, & breui publico verbi ministerio cohonestandus erat, clanculum huc transfugit: quem & aliud quiddam permouerat. Delata ei fuerat prouincia theses Theologicas oppugnandi in scholis. De argumento sollicito obtruditur P. Costeri de controuersiis Enchiridion; ex eo optima quæque argumenta iaculatur in Præsidem: cui vt vidit in dissoluendo scrupo hærere aquam, totum Enchiridion studiosè peruolutare, ac de toto Caluinismo dubitare cœpit, nec quiescere priùs, quàm crebris congressibus Theologi vnius adductus est, vt cum magno gaudio erroribus pristinis, professione fidei, & confessione peracta palàm renunciarit,

rit, ac partim testificandæ, partim confirmandæ fidei caussa, ad omnium Ecclesiarum matrem Romam sese contulerit. Huic nuper ex eadem Heidelberga successit vir grandæuus, ab annis viginti Prædicantis munere in aulis hæreticorum Principum functus: qui lectione Cardinalis Bellarmini, exemploque Professoris Heidelbergensis vicini sui commotus, non dubitauit prætextu vini quo abundabat, distrahendi, huc venire, & cum Professore quodam de nostris ad Collegium se conferre, vt mores vitamque nostram nunquam antè exploratam cognosceret: quam vt paucarum horarum interuallo cognouit, omnes animi sinus candidè patefacere, & affirmare se prorsus cogitare de deserenda Caluini synagoga, detestari ex animo suorum doctrinam, vitam & mores. Iam totus in eam curam incumbit, quemadmodum distractis vineis & agris, quos in solo hæretico habet, ad nos, vbi ædes ad habitationem iam ei assignatæ sunt, cum familia tota commigrare tutò possit. Adiungam de Marspurgensis Academiæ Doctore celebri, qui cuidā huius Collegij Theologo post perlectam Apologiam, in qua prædictus Professor Heidelbergensis suæ conuersionis caussas pertexuerat, & theses de fide hinc ei missas, respondit in hæc verba, Ex disputatione de fide ad me transmissa, sicut etiam ex Apologia Iusti Caluini, dedecora nostra agnosco, ita distrahimur dissidiis, tantaque grassatur inter nos impietas, vt mirum non sit subinde aliquos à nobis ad vos transire, Deus misereatur, psalm. 67. Thesium lectio mihi gratissima fuit. Exercitia vestra scholastica ob summam fidem & diligentiam, summam etiam apud hostes merentur laudem: & si per sumptus saluaq; existimatione mea liceret, nullibi, quàm apud vos filios meos liberalibus

ſtudiis operam nauare vellem: ſed iſto beneficio mihi frui non licet, qui vix etiam abſque calumniis cum viris doctis per litteras colloqui poſſum. Hucuſque ille: ex quibus verbis apparet, quàm parum abfuturus ille eſſet à regno Dei, ſi exemplo Iuſti veritatem & gloriam Dei magis diligeret, quàm hominum. In monaſterio quodam ſuburbano non leuis perturbatio inter ſanctimoniales oborta erat ob electionẽ Abbatiſſæ: Reuerendiſſimus Archiepiſcopus vt curã adhiberet, nulli ad cœnobium aditum patere voluit, prçterquam noſtris. Hi auctores illis fuere, vt Deo per confeſſionem conciliarentur: ſic omnes virgines ad purioris vitæ normam traductæ ſunt: in eamque rem, cùm antè bina tantùm in monaſterio extarent, publicè proponi Abbatiſſa curauit plura regularum exempla, earumque intelligentiam & praxim aliquam tradi, vt conſtaret quid cuique ad perfectionẽ vitæ religioſæ conſequendam faciendum incumberet. iamque calentibus animis eò progreſſæ ſunt, vt non ſatis eis ſit, omnem proprietatem abdicare, & pretioſa quæque vel ad aram in templo offerre, vel in manus Antiſtitæ tradere; ſed etiam his maximè contraria flagitare, vt cilicia aliaque pœnitentiæ religioſæ inſtrumenta, quæ & Abbatiſſa, licet antè minùs vſitata, coëmi iuſſit. Confeſsiones quàm plurimorùm de toto vitæ curſu inauditæ. Earundem beneficio haud parui ponderis æs alienum legitimis dominis reſtitutum: capitales inimicitiæ, & quædam inter coniuges, in annum vſque trigeſimum altæ & nutritæ, funditus reſciſſæ. Adoleſcentes à præſenti naufragio caſtitatis, in quod impellebantur, abſtracti. Curatum, vt vagorum hominum connubia ſanctè inirentur. Animati opifices, ſi quando hæreticos nacti eſſent magiſtros, vt

nullis

nullis verberibus ſe abduci à ciborum delectu paterentur. Libri, vel hæreticorum peſte, vel ſordidiore ſermone reſperſi, magno numero ad nos delati, vel flammis abſumpti. Excurſum crebriùs eſt in pagos opidaque vicina & multis millibus diſiuncta. Ex concionibus, confeſsionibus, doctrinæ Chriſtianæ explicatione fructus conſtitit eò vberior, quò paupertatis & patientiæ exercendæ materia ſe obtulit maior, dum inter magnos ſcilicet ſudores atro tamen pane, & malè conditis oleribus vita toleratur: dum in intempeſtã vſque noctem, ob multitudinem pœnitentium exomologeſes extrahuntur: dum inueterata ab hominum memoria conſuetudo, generatim tantùm enunciandi crimina ægerrimè animis ſimplicium eximitur. Nobilis Italus, pro Sereniſsimo Archiduce Alberto ad Cæſarem legatus, dum repeteret Belgium, noctis tenebris inter aſperrimos montes deſertaque ab hominum habitatione & vera religione loca rhedæ euerſæ lapſu crus perfregerat: a quo, tardiùs ruſticorum è proximo pago aduocatorum humeris in tectum agreſte, rigentibus præ frigore membris omnibus illatus eſt. vbi prima ei famuliſque cura fuit, vt & animæ & corporis medicus Catholicus Moguntia, quæ triginta ampliùs paſſuum millibus aberat, euocaretur: miſſus eſt confeſtim Pater Italici idiomatis gnarus, habitu, ne agnoſceretur, immutato. is remotis è conclaui arbitris, atque ſi ſecretò quædam de teſtamento cõferenda haberet, confeſsionem de tota vita audiuit: die ſequenti, quando incolis ad concionem & cœnam profanam eundum erát, ſacram Euchariſtiam clanculũ delatam porrexit; & ne cui ſuboleret ſacer dolus, inde necdum ſoluto incolarum conuentu, ſe ſubduxit: quod ni feciſſet, impunitum Præfecti non tuliſſent. nam

ſimul atque res emanauit, vehementer excanduere, palamque dictitauere, ſe Ieſuitæ audaciam, ſi in manus incidiſſet, egregiè caſtigaturos fuiſſe: corpus defuncti ad Catholicum locum transferri non permiſerunt, ſed ſuo more, quod meritò Catholicis riſum excitet, honorificè, comitante toto populo elatum; ac precationibus communibus, concioneque, quæ tota ferè in vellicanda Ieſuitarum doctrina conſumpta eſt, ſepulcro in medio templi effoſſo, publicè honorarunt. Ægris aliiſq; pauperibus noſtri nulla, ſiue humana, ſiue diuina ſolatia deeſſe paſsi ſunt: ſed effecerunt, ſeu concionibus, ſeu mendicando, vt à piis hominibus veſtes, calcei, ligna, ſtramina, cibi, aliaque neceſſaria ſuppeditarētur, in primis, qui animam cibo cæleſti ſæpiùs recreaſſent. Eadem miniſteria noſtrorum conſtitere in frequentatione carcerum. Venio ad ſcholas, quæ vt lecta prænobiliq; ex variis remotiſque regionibus, ita tam numeroſa iuuentute nunc ſunt, vt de laxandis ſpatiis cogitare debeamus. Proxima ſtudiorum inſtauratione numerus Philoſophiæ tironum numerum octogeſimum attigit. Nullus in tanta auditorum multitudine, vel genere, vel ingenij dotibus præſtans eſt, qui non ad Partheniam vel Angelicam Sodalitates ſeſe aggregarit. Quæ de iis plura ſcribi poterant, ſimilia ſunt iis, quæ alia Collegia notarunt. Vnum hîc commemorabo exemplum huius anni proprium. Bacchanalium feriis conuictorum Sodales, qui ſeptuaginta eoque plures numerantur, Sodalitates omnes, quæ 300. minimùm complectuntur alumnos, inuitarūt ad triduanam comprecationem pro ſalute reip. inſtituendam. Oratorium pereleganti & venuſto ornatu, luminibus quàm pluribus toto die collucebat. Initium comprecandi factum die Dominico, ab exhortatione

tione ſpiritali & Litaniarum concentu. ſingulis Sodalibus ſtata ad comprecandum hora præſtituta, dies ſinguli concluſi ſub noctem lugubri cantu pſalmi 50. cui aliquot adoleſcentes prælata cruce & tædis interueniebant, & ante aram abiecti in ſua terga deſæuiebant. iiſdem diebus collatitia pecunia ſexaginta ægris in hoſpitali domo epulum appoſuere, omniaque miniſteria quæ ad menſam adhiberi ſolent, vltro ipſi alacriter & humiliter ſunt exſecuti, atque etiam cibos quibuſdam, qui per imbecillitatem id non poterant, in os ingeſſere. Conuictores etiam ſingulare hebdomade ſancta humilitatis caritatiſque exemplum adiunxere, vt duodecim pauperibus pedes alij abluerint, alij exterſerint, plurimis magna contentione vrgentibus, vt vel vnius pedes abluendi extergendíve poteſtas fieret. Deinde perlautum epulum benedictione ſolenni per ſacerdotem antegreſſa, & manibus ſingulorum in pelui aqua perfuſis, prælectioneque pia illis præbuere, omniaque ſeruitia detulere, ac tandem bene pranſos, & pecunia inſuper donatos, dimiſere. Vt ditioni, ita nobis funeſtus accidiſſet obitus Reuerendiſſimi atque Illuſtriſsimi Principis Archiepiſcopi Wolfgangi, propter eximiam prudentiam moderationemque animi, qua ſemper in adminiſtratione huius prouinciæ vſus fuit, ſingularemque amorem & beneficentiam qua Collegium hoc re ipſa eſt proſecutus; niſi paulò pôſt, hunc dolorem leniſſet electio noui Præſulis, quæ hoc carior nobis fuit, quò magis omnium bonorum ac Principum virorum votis reſpondit. 300. aureos perficiendo ædificio à deceſſore pænè abſoluto, ſtatim attribuit. In Collegij noſtri æde ſacra, Sacro Miſſæ, concioni, prandio ſuis ſumptibus inſtructo, in area D. Ambroſij cum Cæſare Theodoſio con-

certationi interfuit; abiit maiore amore, quàm venerat. Subiiciam dirum cuiusdam decessum, qui olim turpi a Societate diuortio se auulserat: sartor à puero fuerat in sæculo; in Societate verò simul ac diuturna nostrorum consuetudine, & naturali solertia aliquem latinè loquendi vsum, rerumque ad concionandi munus pertinentium peritiam comprehendit, non dubiis signis ostendit, se in vocatione nutare, & ingenti cupiditate sacerdotij teneri. quid plura? importunitate improbisque moribus dimissionem à Superioribus extorsit, & omnibus dolis vsus est, vt Ordinibus sacris alicubi initiaretur: mox & parœciæ curam suscepit, sed exemplo vitæ deterrimo, vt necesse fuerit non semel ex vno loco in alium commigrare. Cùm verò in vicinum huic vrbi pagum peruenisset, in membrorum paralysim incidit, cui medelam allaturus, curauit se rusticano cisio deportari ad acidulas Suualbacenses. At dum auriga ægrum per asperos montes trahit, rotam infelici casu frangit, æger in terrã ruit, rota impetu in pectus miseri adigitur, ferroque præacuto, quod ex fractione prominebat, tempora transuerberat, dictoque citiùs animam è corpusculo exturbat. hæc est sartoris Prædicantis catastrophe.

Collegium Herbipolense.

ANNVS hic tres dedit Societati, duos abstulit: horum prior Antonius Finæus Bruxellensis, adolescens vnius & viginti annorum. Posterior P. Petrus Thyræus, professor Theologiæ, qui 27. annis in huius prouinciæ tribus Academiis Treuirensi, Moguntina & Herbipolensi, ordinarius confessarius, conuictorum & scholarũ Pręfectus, ac templi metropolitani Treuirẽsis & Moguntini cõcionator, pręterea variis disputationibus contra

hæreticos laudē cōsecutus est, P. Hermanno Thyræo dignus, vt corpore sic etiam virtute animoq; frater: extinctus anno ætatis suæ quinto & quinquagesimo, initæ Societatis quadragesimo. magnum sui desiderium apud multos reliquit, in quibus Reuerendissimus Princeps, aliique primores Ecclesiæ Cathedralis, qui cōscientias apud illum exonerare soliti, ad sepulcrum in angustissima nostra æde funus prosequi, atque in primariis templis honorificentissimè per id tempus sonare campanas, & deinde parentare defuncto voluerunt. Alius graui febri correptus, in eo spem sanitatis habebat, si ægro sibi manum Superior (vt Christus olim socrui Simonis) applicuisset. quod quidem indicare non ausus, dolo bono caput, quàm caleret, explorandum exhibebat, statimq; fidei, deque Superiore bonæ existimationis fructum tulit. Initio sacræ Quadragesimæ, peropportuna erat nostri concionatoris admonitio, secundùm quam multi & carnibus & mensa frequentiore, præter morem abstinuerūt, asseruntq; confessarij, sua memoria numquam religiosiùs magnum illud ieiunium obseruatum, quando & ad solis occasum statis quauis hebdomada diebus, & à Christi captiuitate ad Resurrectionis vsque lucem ieiuni aliqui permanserunt: hinc & in tempus reliquum sabbati abstinentia plerisque restituta, & inter medios hæreticos, toto anno castissimè obseruata ieiunia renitentibus frustra hæreticis. vbi illud commemorabile: ciuis cum hospitibus abs se inuitatis accubiturus, vt mensam vetitis dapibus oneratam adspexit, tolli quæcunque fuerant apposita, mandauit, permissosque apparari cibos priùs quàm assidere cum suis conuiuis, tarda licet hora vellet. Quædam de nonnullis adolescentulis tacenda hoc loco non sunt,

licet ad ſcholas magis pertineant, vt quòd menſam bene inſtructam relinquere, & deinceps mendicato panem quærere maluerint, quàm vetitis epulis ſe contaminare. Interrogatus eorum quidam, cuius lege abſtinendum eſſe putaret, Chriſti, inquit, quē is audit, qui Eccleſiam audit. Quin tu potiùs, infert impius, Ieſuitarum dicis, quos contemnas licet, & nobiſcum appoſitis liberè veſcaris: recuſantem malè mulctant, inque os iurulentæ carnis fruſta petulanter ingerunt, quæ ille ne ſorberet ſumma vi reluctatus, è manibus improborum plorans vt euaſit, ſubitò ad Collegium aduolat, magiſtrū interrogaturus, graue ne peccatū ex carnis cōtactu admiſerit. exulat nunc domo, & corrogata ſtipe viuit, vt talia hæreticorum conſortia vitet. Neglecta per annos plures Sacramenta quidam auditis concionibus repetierunt: alij religioſiùs vſurpare didicerunt, quando tacitis in confeſſione non grauibus erratis, lapidis inſtar allabi ad cor viſum, quo tempore ſacram ſynaxim inierunt. E grauiſſimis animæ periculis erepti complures, & in tentationibus conſtantiam edocti. Ex hæreticis Eccleſiæ reſtitutis numerus proditus eſt capitum ſupra triginta: Miniſtri duo, Lutheranus alter, alter Caluiniſta multorum annorum. Quidam, vt concioni adfuerant noſtri ſacerdotis, quietem capere, niſi Eccleſiæ reſtituti, non potuerunt. Nec omittenda, quę poſt proclamationes ab hæretico Prædicāte factas, & conuiuij nuptialis apparatum ad communionem profanam Lutheranorum (praua forſan æmulatione Concilij Tridentini) vrgebatur, potiuſque nuptiis remiſit nuncium, quàm execrabili ſe ſynaxi polluit. Confeſſionis cauſſa cùm aliò euocati ſunt noſtri, (vtpote ad Sereniſſimum Principem Maximilianum, ſæpiùs & ad pagos varios

Nata-

Natalitiis & Paſchæ diebus, vbi multos centenos expiarunt) tum etiam ad nos longè quidam, vel ab ipſa Norimberga trium dierum itinere venerunt. Nobilis femina cùm nullis precibus à marito, vt confeſſarium ſibi adire daretur, impetraret, fracto is crure, diuinæ plagæ caſum adſcripſit, voluitque tandem, ſed non alij quàm noſtris, licet itinere longo petendi eſſent, confiteretur. Catechesis & continuata vbi erat, & in alium quoque pagum, quod optabamus, inducta eſt. Catechiſtam agmine facto, in mediis campis excipere, eundem ſimiliter abeuntem proſequi, menſam apparatam relinquere, ſaltationes publicas ad plures horas catechiſmi cauſſa ſuſpendere, de proceſſionibus Catholicorum rectiùs ſentire & loqui, roſariis aliiſque precibus mirificè iam vulgò affici, ceteraque ſimilia ſigna ſunt non inutiliter collocari laboris. Poſita etiam lex à Patribus Carthuſianis, vt ſub pœna ſtata è ſubditis ipſorum domibus ſinguli minimùm adeſſe Chriſtianæ doctrinæ quotvicibus teneantur. Exercitia ſpiritalia ſolito plures vſurparunt, qui vel in rebus afflictis erecti, vel ad religioſæ vitæ ſtatum complectendum diuinitus animati prodierunt. Ex incarceratis ille potiſſimùm commemorandus, qui propter vxorias lites & moleſtias, vitam ſibi eripere meditatus fuerat; noſtri tamen ſacerdotis ſtudio, tum vinculis eſt abſolutus, tum integram deinceps coniugalis vitæ percoluit caritatē. Officia varia infirmis præſertim in noſocomio præſtita: tum etiam odia reſtincta, & reſtitutiones factas dicere omittimus, vt ad ſcholas veniamus. Diſcipulorum numerus ferè nongentorum eſt, maior alicubi, quàm vt ſcholæ ſpatiis contineantur, multa nobilitate, magis etiam virtute & modeſtia conſpicui. Viris nobilibus & hæreticis admi-

admirationem excitarunt pueri cognati, quos paucis mensibus ita domitos & mutatos viderunt, vt cùm antè garriendi & obstrependi nullum finem facerent, à nostra institutione vix interrogati quàm paucissima loquerentur. Sodalium Partheniorum feruor egregiè constitit; è quibus vnus Societati, plures partim Carthusiæ, partim Religionibus aliis sese dedicarunt. Superfluum est, eorum in visitandis ægris, & frequentandis per Quadragesimam publicis pœnitentiis alacritatem commemorare, licet ante hoc numquam in hoc genere tam multa petita sint à confessariis, atque hoc anno. nec loco consueto contenti, multas vrbis ecclesias nudis pedibus & operti saccis, vt se diuerberarent, obierunt: nec aliis per annum festis diebus ardor hic defuit, vna interdum vice numeratis quinquagenis & centum, qui in se publicè sæuirent. Ad Pentecosten ornato præclarè oratorio, & multis facibus collucente per triduũ diurnis horis 40. cõprecati sunt, octonis ad horarũ initia verberationẽ præmittẽtibus: quod priuatim in suo cõtubernio, per vacationes autumnales quidã imitati, quinas per diẽ horas in orationẽ suo quiuis ordine posuerũt. Spectata tamen in primis Dettelbacensis ad B. Virginẽ peregrinatio, qua ducenti simul ad octo circiter passuũ millia progressi, octauã Adsumptionis celebrarũt, primo manè facto initio ad seram vesperam domum reuertebantur. In hoc supplicãtium agmine præter musicorũ choros & flagellantium ordines (qui nudis pedibus, vt alij nonnulli erant) reliqui etiam ad pietatem quàm maximè compositi, sonantibus, quà trãscundum in vrbe & opidis, templorum campanis, ingentique hominum multitudine, ad religiosum spectaculum concurrente, continenter precando procedebant, quoad in sacello

cello Deiparæ, vbi Reuerendissimus Episcopus Suffraganeus Sodalitatis caussa ritu Pontificali faciebat, interquiescerent. Iucundum erat videre Dettelbacenses, non ita pridem è Lutheranis Catholicos, publicè prælata cruce & vexillis obuiàm prodire venientibus, atque ad sacellum deducere: qui & in domo ciuica prandium omnibus de publico obtulerunt. cumque id recusaretur, voti religionem interpretati, mensis sub dio collocatis, vinum sitientibus cum pane candido libentissimè præbuerunt, vulgato priùs mandato, ne quid horum venale proponeretur vsquam, vt omnes accipere cogerentur. Mirabilis in eo loco Præfecti (qui pro Principe ciuitati præest) eluxit ardor. Nam loculos pecunia distentos flagellantibus, vt inter se partirentur, obtrudebat, & repulsus plena manu nummos obiectabat; cùm diceret, nescire se, quid optimis rependi adolescẽtibus posset, qui ad exemplum pœnitẽtium tantam pœnam suscepissent: insuper etiã impransi tam longa via domũ regredi pergerẽt. Conuicit ea res nobiles quosdã hæreticos, qui de castigatione corporis & asperitate pœnitentię Catholicorũ tantummodo verba & voces esse crediderãt. Porrò de constanti in nostrum Ordinẽ huius ciuitatis & Franconię totius beneuolẽtia nihil attinet dicere. eam enim quauis occasione multis officiis, quidã etiã largitionibus pro suo modo testãtur. Reuerẽdissimus Princeps cùm donis aliis, tum candelabris argẽteis, insigni artificio elaboratis nos donauit; & festo die Visitationis B. Virginis Congregationi Sodalitatis interesse, & alio die in triclinio nobiscum prandere voluit: quo die Hungarico milite per ditionem transeunte, propter accipienda in rebus subitis responsa, multam nobilitatẽ & senatum ciuicum (qui Principem à nobis alieniorem putauerant)

tant)ad Collegium attraxit. Nuperrimè post obitum P. Thyræi humiliter à Rectore Collegij Patrem spiritalem(vt vocabat)siue confessarium petiit: cui deinde, Ita, inquit, Pater conscientiam meam tractes, velim, ne lædas tuam, quin nec mea caussa subditis meis operam tuam subtrahas eligam enim, cùm admonebis, horas, minùs aliorum confessionibus occupatas.

Collegium Spirense.

QVÆ ad Dei gloriam nostri gesserint, quoniam pleraque ab iis, quæ proximè superiori anno narrauimus diuersa non sunt, breuiter expedientur. Conciones nostrorum variis in locis expertæ & auidè exceptæ sunt, magna audientium delectatione & fructu. Catechismo rudes diligenter pro more imbuti. estque hoc negotium adeò nobis proprium, vt, sicubi catechistica disciplina vel omnino collapsa sit, vel negligentiùs discāt pueri, vel ludendi cupiditate capti rariores accedant; ad incitandos pueriles animos, nos subinde euocemur, notatumque si inaudierint, vnum aliquē de nostris adesse, magno numero accurrere lubentesque discere. Mendicis vagabundis, qui ad Collegij portam stipis petendæ caussa accedere solent, fames priùs mentis, quàm ventris exempta. nam doctrina Christiana illis explicata fuit, & rectè viuendi præcepta tradita: illorum plurimi, vt de peccatis apud sacerdotem ritè confiterentur inducti: nonnulli ab hæresi ad religionem Catholicam conuersi. vnus virtute nostrorum adeò permotus fuit, vt in Societatem nostram adscribi auidè exoptarit Sacris B. P. N. Ignatij meditationibus ad virtutem instituti quatuordecim: in his Cæsareæ Maiestatis Legatus, & summæ ædis Reueren-

uerendus ac nobilis Dominus Scholaſticus, qui ſub eas meditationes ſacrificandi fecit initium, nouoque exemplo tribus continentibus diebus epulum, non, vt moris eſt, magnatibus, ſed centum & viginti ſtudioſis pauperibus impertiit, multiſque aliis egentibus ſolito largius benignè ſubuenit. Hunc paulò pòſt imitatus eſt Reuerendus & nobilis Decanus, cùm iubileum celebraret; illud prędictæ magnificentiæ adiiciens, vt in eleëmoſynam Collegio medium vini plauſtrum, & decem frumenti modios largiretur. Ad gratiam Reuerendis Dominis referendam ſtudioſi noſtri pio dramate, exemplo Theodoſij Imperatoris, ſacerdotium celebrarunt. Viri alij duo ex his, quos piis Societatis commentationibus excultos dixi, cilicium quidem eſſe audierant, viderant numquam, quid rei eſſet ſummopere experiri deſiderarunt. cùm finem petendi non facerent, datum quod domi reperiri potuit, aſperrimum: faſſi deinde ſunt, varias ſe quidem aliàs variis è rebus voluptates cepiſſe, hoc tamen aſperitatis genere ſeſe ſingulari quadam cæleſtique lætitia perfuſos. Qui ob flagitia in carceres coniecti fuerunt, vtilem noſtrorum operam ſenſerunt: duo maximè, inter quos cùm grauis & acerba exarſiſſet diſcordia, nobis hortantibus, & odia, ſtupentibus iis, qui ad ſpectandum venerant, quibus pertinacia vtriuſque ſatis cognita fuerat, poſuere, & offenſæ alter ab altero veniam cùm petiuiſſet, magna conſtantia veraque pœnitudinis ſignificatione ſupplicium ſubiere. In villam haud ita longè ab vrbe ſitam diebus Dominicis feſtiſque itum, duplici cum fructu. nam & familia Chriſtiana doctrina fuit inſtituta, & nautis in traiectu Rheni lectum Euangelium explicatumque, qua ex re duri alioquin & difficiles homines, vtpote hæreſi contaminati,

minati, mitiores facti sunt, nostrósque in honore habere cœperunt; & vna mulier, arrepta ex ea lectione occasione, ex hæretica facta est Catholica. Ægris sæpè adfuimus, tam in vrbe quàm foris, magno ipsorum solatio & nostra laude: vehementer enim mirari sunt, cùm animaduerterent, ea de caussa, aut fœdo cælo viáque difficili, longiùs nostros ab vrbe proficisci, vt infima condirione hominibus præstò essent, aut adsumpto peregrino habitu non sine periculo in pagos hæreticos sese insinuare, vt Sacramentis iuuarent moribundos, aut denique corrogata pecunia morbidis afflictisque ferre subsidium. Ab hæresi expediti centum sexaginta: in his Iustus Caluinus, Ioannis Caluini infamis hæresiarchæ in religione sectator, & Heidelbergæ bonarum artium Doctor: qui salutari formidine tactus Reuerendi P. Roberti Bellarmini controuersias curiosiùs legere cùm institisset, diuinæ gratiæ vim diu celare non potuit: videri ceteris Caluinianis modestior solito. suspicantur, quod res erat, captum veritatis luce: ergo calumniari, Papistam esse, minis & maledictis hominem à proposito deterrere conari, probris conuiciísque miserum onerare. Ille ad nos huc aduolat, vni è nostris rem aperit, consilium capit, a quo in pia sententia est confirmatus: viam quoque & rationem ab illis hominibus se expediendi edoctus, non ita multò pòst hæresim apud nos abiecit, peccata per confessionem abstersit, fidem Catholicam publicè, edita sui facti apologia defendere cœpit. quod cùm Heidelbergæ innotuisset impietatis Ministris, denuò clamorum, execrationum, inuectiuarum nullus extitit pro concione modus, vxoris ad diuortium pelliciendę extremus conatus (licet constātior opinione cum prolibus maritum secuta, spem magnam conuersio-

nis

nis præbeat) bibliothecæ ſub abitum familiæ raptus: quæ omnia multaque alia, quàm fortiter prò fide Catholica Chriſti tiro ſuſtinuerit, duobus libellis proximè in lucem edendis vulgatum fiet. Adoleſcens Lutheranam hæreſim ab infantia edoctus, cùm è media Saxonia Spiram veniſſet, pertinaci propoſito animum obfirmarat, ne à patrio errore vnquam diſcederet; verùm, cùm ad audiendum concionatorem noſtrum frequenter accederet, quæque dicebantur curioſiùs adnotaret, Dei benignitate lucem veritatis admiſit. Hæreticorū libri exuſti. Hebręus in Chriſti fide à noſtris inſtitutus, ſolemni cæremonia baptizatus eſt Lites exortæ inter coniuges ſedatæ ſunt. Inter diſcipulos Angelorum Sodalitas inſtituta, & pro felici auſpicio Tobias cum Angelo Raphaële in theatrum adductus, magno adoleſcentulorum & gaudio & commodo. Nam vt quiſque ingenio, probitate, diligentia præſtat, ad hanc ſeſe aggregat: & fit ſanè, vt ſemina virtutis à natura inſita crebris monitionibus ſacriſque exercitiis iucundos honeſtatis ferāt fructus. Porrò in erudienda iuuentute, magna noſtrorum eſt etiam apud maleuolos opinio Nam & ipſi hæretici ſuos ſubinde filios in diſciplinam tradunt. Pueri duo matre nati hæretica, ſcholas inibant Lutheranas: horum vitricus vir Catholicus, matri identidem noſtrorum in inſtituenda iuuentute prædicat induſtriam, ſuorum verò magiſtrorum obiicit ruditatem & ineptias. commota mulier ſuos ab hæreticis abductos noſtris erudiendos tradit, ſed has apponit conditiones, vt Papiſtica ſacra ne audire cogantur, vt diebus Dominicis feſtiſque libera illis ſit ad Prædicantes adeundi poteſtas. omnia conceſſa ſunt: verùm pueri noſtrorū diſcipulorum & probitate & diligentia illecti ab hæreticorum mori-

bus adeò abhorrere cœperunt, persuaderi illis vt non potuerit, vt ad eos redirent: & nunc quidem mater verita, ne Papistæ fierent, à nobis abstractos longè à se ad Lutheranos ablegauit: quibus admirationi esse cognouimus, tum, quòd maiores in litteris, quàm pro tempore, quo apud nos fuere, habeant processus; tum, quòd in religione virilem ostendant constantiam. Templi ædificatio bellè adhuc procedit, in quam multorum hoc rursum anno exstitit liberalitas: de qua anno insequente, quo manum extremam ædificio imponendam confidimus, latiùs perscribetur.

Collegium Fuldense.

HVMANA destituit Guilielmus Neuburg, spectata morum innocentia & simplicitate, qui annos circiter duos supra viginti magna animi submissione diuersa Marthæ munia impleuit, ea puritate, vt animalia ei passim obsequi viderentur. Ianitoris officio ex diutina tabe æger aliquot functus annis, ita sedulò obiuit, vt rarò stipem porrigeret, quam non spirituali eleëmosyna condiret. Hoc etiam operæ fructu, quòd paucis antè mensibus, quàm defungeretur, hæreticum opportuna monitione ad auitam vitam pellexit. In eius locum successerunt quatuor adolescentes indolis egregiæ, qui vt se Societati instructiores offerrent, biennium vltro Rhetoricam audire, Græcis Latinisque litteris erudiri voluerunt. Nec tacenda ex his duorum constantia; alterius, qui sponsam amplamq; hereditatē, denique opima ingesta sacerdotia, aliasque spes rerum fluxarum Christo postposuit; alterius, qui cùm rogaretur, ecquid hoc genus vitæ consectari luberet, quod multò doctior cognatus nō ita pridem abiecisset; confidenter,

denter, sibi decretum illud cum Deo complecti, respondit. Habitæ conciones domi forisque: catechismus rudibus explicatus: confitentium maior hoc anno numerus etiam primariorum. Dissensiones sopitæ, odiaque mutua. quæ pudicitiam prostituerant, nouem abductæ flagitio. Mirabilis conuersio mulieris, quæ ante vigintiquinque circiter annos pro litæ in his locis religionis, & iusti Principis abdicati non minima caussa fuit. Hæc propè sexagenaria in hæresi educata post summam vitę licentiam, rerumque abundantiam, filij optimi ex nostra disciplina, primùm monitis emollita, pòst sacerdotis nostri cōgressibus euicta, hæresin eiurauit: vitam nunc agit verè pœnitentis. Lustrati carceres, maleficæ sex ad rogum adductæ, duæ ad orthodoxam fidem reductæ, omnes, vt piè supplicium legibus exsoluerent, animatæ. Obita frequenter nosocomia. Hoc anno Fuldę cerebri vitio, tam multis mente captis, quot fortè numquam aliàs, opera nostrorum profuit. Et nonnulli ex his desperata iam valetudine, post Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta statim conualuerunt. Vir quadragenario maior, quicum diu multumque actum vt Catholicus esse vellet, superatus à morbo, cùm Patrem illum, quem sanus toties repudiarat, accersiri iussisset, hæresim euomuisset, vitæ maculas aperuisset, amissas vires recepit. Catholica mulier cùm longioris vitæ vsuram planè desperasset, sacerdotem euocat sui purgandi caussa, & postridie communicat: nocte secuta admirabili viso recreata, in multam noctem maritum, qui iuxtà in scamno cubabat, excitat, & quid circa se ageretur, ostendit: ille nihil oculis vsurpare; manè tamen mulier surrexit incolumis. Ab hæresi absoluti vnus & sexaginta. Filia Consulis, egregiis dotibus femina, vtroque parente

hæretico, vbi ad Catholica sacra transiit, ita matrem permouit, vt optarit moderatã coactionem, quò honestiùs imitaretur. Mulier octogenaria & locuples, morbo affixa lecto, quæ post tres menses diem suum obiit, exorata Catholicorum precibus, sacerdotem nostrum Sacramentorũ caussa domo recipi voluit. maritus Lutheranus quoquouersum dimissis nunciis Lutheranum Prædicantem euocabat, sed metu Catholici Senatus, inuentus est nemo: ergo passus est accersiri nostrũ, qui post acceptam confessionem non priùs discessit, quàm ei per Parochum sacro viatico ad meliora viam muniret: pòst maritus de religione Catholica meliùs sensit. Femina, cuius maritus per nostros auitam fidem amplexus esset, vt maritum sequeretur, aures obstruxerat: vicina partui monetur à nostro, tempori vt resipiscat, ne Deum pertinaciæ vindicem sentiat. vaticinium fuit: parturiens maximo cruciatu fœtum edidit mortuum. post duos annos rursum institit Pater: tum sibi & proli timens, manus dedit, fidem professa, prolem enixa est incolumem. Ex Hassia adolescens in hæresi educatus, ærario fabro hìc dabat operam, Patrisq; nostri colloquiis inflammatus Sacramenta apud nos suscipere parabat: herus Lutheranus à Collegio redeunti fores obiicit, cibum subtrahit, hera marito peior insigni ludibrio excipit. ille incenatus postridie magistro valere iusso, ad Collegium accurrit: dum ab exomologesi rei diuinæ attentiùs vacat, seu inedia, seu labore geniculandi linquitur animo; tamen perseuerat, corroboratus cælesti cibo. ieiunus statuerat vrbe excedere, ni a nostris prohibitus, ientaculo & viatico donatus esset, quæ initio vehementer recusabat, ne religionem pretio mutasse videretur. Indomitæ pertinaciæ quidam annum

quartum

quartum ob morbum omnium iudicio calamitoſiſsimus habebatur: ne anima periret prouidendum duxit ſacerdos noſter, ſæpiùs viſit: duos amplius annos bruta mens ad omnia ſalutaria obſurduerat, tandem monitores ſubmiſsi vermes, tum demum ſacerdotem noſtrum popoſcit vltrò, expiatuſque & hoſtia ſacra recreatus, obſtinationem vertit in religionis conſtantiam. Hoc ſterili ſolo, vbi conuentus monialium dudum aboliti, haud paucæ ad hoc bonum adductæ, apud exteros monaſteria virginum conquirunt. Seminarium Pontificium hoc anno nouis ædibus laxari cœpit. Degunt hîc modo 500. & aliquot ſupra triginta, indole præſtanti adoleſcentes. Tres inter eos Eccleſiæ primariæ præpoſiti. Modeſtię parendique laudes prætereo, itemque corporis domandi ſtudia. Fuit, qui pro pudicitia tuenda, Ioſephi exemplum nobis referret. Redituri ad ſuos priùs B.P.N. exercitationibus excoluntur; quod beneficium quoque externis ſacerdotibus impertitum. Teſtificatus eſt ſuum in Sodalitatem Fuldenſem amorem Reuerendus Rutgerus monaſterij Minſleben Abbas, qui haud procul à Magdeburgo circumdatus ab hæreſi, memor inſtitutionis, quam hîc imbibit, ſummam argenti per fratrem, quem habet in Societate, miſit. Reuerendiſſimus fundator ſæpiùs hoc anno in arcem euocauit noſtros rei diuinæ cauſſa, & de religione colloquij præſentibus Lutheranis ex prima nobilitate, quò ſuos ab erroribus ad veritatem reflectat. Vnus ampli generis & patrimonij, vt Prædicantes aleret, priùs quàm in Hungaricam militiam diſcederet, ad Eccleſiæ Catholicæ caſtra pellectus. Principis vicini ſtatum mirè cum hæreticis implicatum opera ſacerdotis noſtri eum in locum deduxit; vt is ſalutaria de ſe ipſe conſilia

suſciperet, & ſubditis conſuleret. Mauritius Cattorum Lantgrauius, cùm forte Sodales B. Virginis boni paſtoris officium proponerent, adfuit, laudauit, pueris græcè latinéque ei gratulantibus daleros ſex numerari iuſsit. Collegium cùm obiret, indicem Societatis Prouinciarum Collegiorumque admiratus eſt. Idem Haſſiæ Lantgrauius, cùm iterum Reuerendiſsimum fundatorem viſeret, ab alumnis nobilibus Haſſiæ, vario carminum genere, ab ipſo Rectore oratione exceptus eſt tanti fuit, vt ſex iterum daleros adoleſcentibus numerari vellet; Rectori quoque aſſurgens latinè reſponderet, ænigmata ab adoleſcentibus propoſita diſſolueret, multa in ſcholarum Societatis laudem diceret. Ioachimus Princeps, voluntatem, qua in Societatem ſit, declarauit, cùm centum florenos dono miſit: totidem legauit R. D. Adamus Henrici Eccleſiæ Hunsfeldenſis Decanus moriens. Sereniſſimus Archidux Maximilianus, ditionis pro Cæſare adminiſtrator, Societati fauorem conciliauit, quando in æde noſtra rem diuinam magnifico apparatu curauit, Collegiiq; ſe ſtudioſiſſimum profeſſus eſt, cùm ex fiſco notabilem in pauperes ſummam erogari iuſsiſſet monitu noſtrorum, præcipuam Catholicorum egentium, qui præteriti fuiſſent, rationem haberi voluit. Sereniſsimi vicarius, vrbis Gubernator, in commutatione horti, qui nouus inſulæ Collegij acceſsit, & emptione prędij, vbi Principis arbitrio fuit opus, Societatis cauſſam egit. nec ſegniùs rem Chriſtianã habuit, cuius ipſe ſtudio flagrat. In priſca nobilitate Fauſtini & Simplicij Romanorum martyrum apud Fuldenſes ſacrata pignora, & veneratio olim exſtitit in pretio; nobilium fraternitas, memoria Sanctorum annuã ſacras martyrum thecas feſta ſupplicatione præferebat,

toto

toto comitante cleri & monachorum choro. doluit abiectam cæremoniam Gubernator: fecit vt ſupplicatio antiqui cultus reſtauraretur, & cùm patriæ nobiles deeſſent, qui ſolitum munus implerent; concione per noſtrum ſacerdotem habita ex ſeminarij iuuentute rogauit lectiſſimos, qui ſertis redimiti ſacra pignora efferrent, & cultum martyrum more maiorum repræſentarent. Idem fortè in inſtrumentum magi incidit, qui ante ſexennium cõcurſu multitudinis interierat, accerſito in aulam ſacerdote noſtro voluit abolere. viſendum in iis vaſculum digitale cryſtallinum, cera ſignatum rubra: quam vbi noſtri detraxere, ecce tibi medio ſolidoque vitro clauſus ex ferrea lamella fictus ſatanas igniuomus exſerta lingua, caudatus, & vnguibus ferociens: quem reſponſa dediſſe ex hoc vitro interpretatio eſt. ſpecimen operis tam ſubtile ſpirare dæmonem diceres.

Collegium Heiligenſtadienſe.

FVERVNT noſtrorum ſtudia tam domi quàm foris, quæ ſolent: fructus, vt in ſterili ſolo, non omnino pœnitendus. Excurſum eſt annui ieiunij diebus, ad pagos ampliùs ſeptemdecim, & rudibus fidei elementa expoſita, nonnumquam etiam per annum. Euenit aliquando, vt noſter die quodam feſto pagũ ingreſſus offenderet iuuenes cum puellis ſaltantes: adit fidicines, ſe in templum ſequantur, monet: ſequuntur etiam reliqui, doctrinam Chriſtianam læti audiunt. Spiritalibus exercitationibus purgati tres. Duæ familiæ, quæ ob inauſpicatas nuptias graui odio diſſidebant, noſtri ſacerdotis opera reconciliatæ. perſuaſit ille ſponſis, vt infauſtas de futuro matrimonio pro-

missiones sibi mutuo remitterent: qua re multorum offensio, & quæ iam exstiterat, sublata, & quæ imminebat, impedita. Ex hæresum tenebris per nos lucem Catholicæ fidei ad trigintaquinque respexerunt Quinque inuitis & renitentibus hæreticis parētibus apud nos Sacramēta perceperunt. Excursiones ad hæreticos aliquoties tentatæ, sed quia fructus adhuc in herba est, earum historiam in aliud tempus reseruamus. Borsla pagus est duodecimo ab Heiligenstadio lapide: in hoc mulier quædam molesta diu corporis vexatione conflictabatur. & cùm malum à pedibus ortum, paulatim in reliquum corpus serperet, frustraque medicorum opem iam sæpè tentaret; piorum hortatu ad nos venit, confessionis Sacramento expiata, sacratæ ceræ antidoto communita confestim morbo liberata est, & ex eo tempore libera permansit, vt vir eius postea ad nos reuersus, & gratias agens, confessus est. Scholæ non magis in litteris, quàm in Christiana pietate incrementum susceperunt. Flagellorum nomen his in terris antè pænè incognitum, nuper Sodales Sanctissimæ Dei matris, potestatem sibi fieri petierunt in se vindicandi: vt facta est, magno numero conuenerunt in templo ad vesperam cœnæ Dominicæ iuxta sepulcrum Domini, & in quinque classes distributi acriter sua terga diuerberarunt: cùm multi magna admiratione spectassent, postridie viri feminæq; flagella postularunt, vt & ipsi Christo patienti se magis conformarent. Adolescentes duo conduxerant apud ciuem hæresi infestum habitationem. cùm cetera haud benignè faceret, die quodam per Quadragesimam, inuitat & pænè cogit ad suam mensam: verùm præter carnes nihil apponitur; operiuntur dum cibus quo vesci licet inferatur: ad extremum quando præbitorem

torem ſuum, etiamnum, vt edant, per ludum hortari vident, alter eorum conceptas de lance carnes per feneſtras proiicit, conteſtans ſe Catholicum eſſe. Scholæ diſcipulorum nobilitate creuerunt: qui equeſtris ordinis ſuos adhuc liberos à ſcholis noſtris abſtinuerunt, hoc anno commutata voluntate mittere cœperunt: itaque vno menſe quinque nobiles pueri recepti ſunt. Illud etiam acceſſit nouum, quòd in annua ſtudiorum innouatione plura ſolito victoribus diſtributa ſunt præmia, munificentia nobilis viri, qui ditioni pro Principe præeſt. Duos habuit diœceſis hoc anno Archiepiſcopos Moguntinos, quorum alter Nonis Aprilibus deceſſit, alter Idibus Maij ſucceſſit. ſed nec ille vitam antè cum morte commutauit, quàm ſuam in nos beneuolentiam declarauit: nec hic pænè priùs Eccleſiæ gubernationem ſuſcepit, quàm Collegio noſtro benefecit. Clauſerat anno ſuperiore Princeps ſecuritatis noſtræ cauſſa cœmiterij partem, qua in hortum Collegij proſpectus eſt. vnum deerat, vt noſtræ immunitati, cùm ad templum adimus, penitus conſuleretur, oſtium per chori parietem, ne quoties ingredi vellemus aut egredi, neceſſe eſſet per populum cum impedimentis incedere; hoc anno proximo exeunte apertum eſt. Momorderat ea res aduerſarios noſtros, ratique ſe nactos idoneam nos calumniandi occaſionem, rem clam nobis ad Principem deferunt. verùm ille nihil voluit decernere, quàm à noſtris facti rationem accepiſſet: quæ cùm grauis & neceſſaria eſſet allata, nobis oſtium patere iuſſit, & accuſatoribus ſilentium impoſuit. hæc prior, iſtud poſterior. Non ita pridem electus erat, cùm illi inſinuatū eſt, nobis ad claudendam religiosè domum, muro opus eſſe aureorum ferè quadringentorum; continuò fieri iuſſit. Rurſus

moriens vir quidam Ecclesiasticus intestatus, bibliothecam aureorum ampliùs trecentorum reliquerat: eam quoque nostram Archiepiscopus esse voluit. Præterea expositũ est eidem, quanta sit in his partibus bonorũ Parochorum & necessitas & penuria. itaque quàm primùm de augendo Collegij censu tractare cœpit, vt ad priores scholas duæ aliæ, Rhetoricæ vna, & altera Casuum conscientiæ adiungeretur: voluitque hoc ipso anno Rhetoricæ prælectiones inchoari, ne in proximũ annum desint, qui explicationem Casuum conscientiæ fructuosè audiant. Fuit & alius qui plaustrum vini nobis donaret, & non paucos libros hæreticis detractos, qui nobis ad eorum errores confutandos non parum vsui esse possunt, quibus antea fuerant exitio.

Missio Erfurtiensis.

DVO sacerdotes resident Erfurti, vacantque confessionibus audiendis, & Eucharistiæ porrigendæ, ex altari, cuius vsum obtinent in collegiata Ecclesia B. Mariæ Virginis Et quid? cælesti epulo pasti sunt hoc anno amplius quingenti. Cùm circa Pascha aduenisset ex Vniuersitate Lutherana, quæ bidui itinere hinc abest, adolescens Catholicus, domum reuersus, narrauit aliis, quos ibidem sciebat pauculos discipulos veteris religionis, se Erfurti sacerdotes Societatis IESV vidisse, animum apud eos purgasse: eius narratione permoti statim alij aduolant, sese hìc munituri, vt tutiùs deinde per annum inter hæreticos, vbi nulla Catholici sacerdotis copia, degant. Ab hæresi circiter duodecim absoluti. Fuit, quæ ob inquietam conscientiam multis diebus visa est audire dæmonem suadentem, vt mortẽ sibi consciscerer; tenta-

tentauit id etiam bis ſumpto pharmaco, quod putabat eſſe lethale: confeſſio leuamen conſcientiæ & inſidiarum dæmonis fuit. Vacarunt præterea concionibus in vrbe ac pago pro Parochis, exhortationibus ad ſacras virgines habendis, & catechiſmo pueros in ſchola docendo. Cùm perceпiſſet alicubi apud Catholicos eſſe Sodalitatem B. Virginis eorum, qui ter per hebdomadam roſarium precarentur, intra paucas hebdomadas inuenti plures centum ſunt Eccleſiaſtici & ſæculares, qui nomina darent. ſignum hoc eſt, quàm hic populus ad pietatem & Deiparam fuit affectus priùs quàm ſeduceretur ab hæreticis. Diſtributa etiam roſaria ſunt aliorum liberalitate & pij libelli. Scholæ ædis S. Mariæ moderatores petiuerunt modum docendi, acceptarunt grato animo, & ſeruant cum fructu. In vicina Vniuerſitate Lutherana alebatur publico ſtipendio in munus futuri Prædicantis adoleſcens natus inter hæreticos: cùm ibi neſcio quid audiſſet de Catholicis, cum vno Catholico alteróve collocutus, tanto tædio cœpit affici eorum, quæ in ſcholis ſuis audiebat & videbat, vt inuitis pauperibus parentibus, id ſtipendij dimiſerit, ad ſcholam Societatis confugerit: affirmatque nunc, non ſolùm ſe nihili facere, quòd paternas ædes ſibi ex hac cauſſa adire non liceat, ſed ſe quiduis malle pati, quàm ad priſtinos reuerti errores, & tempus otioſè in hæreticorum ſcholis perdere. Experiuntur noſtri non ſolùm Catholicorum, ſed etiam Lutheranorum multorum erga ſe reuerentiam, amicorum inſuper magnam humanitatem & beneuolentiam, & ſi quid deſit, promptum obſequium.

Colle-

Collegium Molshemiense.

SANI omnes Dei gratia fecerunt id lucri monitis, catechesibus, concionibus, vt plurimi, qui se totum confessioni decennium subduxerant, sacerdoti sese sisterent. Conceptæ Dei matris festiuitas postliminio reducta. Diuinarum rerum commentatione spiritum excitauerunt vndecim: inter quos bene doctus & honestus cetera hæreticus vna cum hæresi anteactæ vitæ ex animo tabum expectorauit. Redintegratę nonnullorũ amicitiæ. itum obuiam duorum militum discordiæ, quos ceteroquin amantes inter se verba quædam transuersos egerant, vt iam pararent rem ferro decernere. Commodè peregrè domum redibant ex sacerdotibus nostris duo, cùm in tres equites, quos ebrietas in mutuam necem furiauerat, inciderẽt: horum illi inhibẽtes impetum, partim equis aliò reflexis, partim extortis gladiis, ne tantum in se mutuo scelus auderent, vetuerunt. Nostram in adeundis carcere morbóve detentis operã expetiuerunt maximè, tam qui intra quàm extra Molshemienses muros: quare non modò dies, sed euigilatæ apud infirmos noctes, eaque quidem consolatione fructuque, vt exempli caussa femina moribunda à malo spectro ad desperationem sollicitata sæpius salutem non desperarit. Habebat Roshemium vrbs Consulem ex graui morbo decumbentẽ: apud quem nimis ad rem attentum cùm senatus nihil proficeret, noster persuasit, vt munificentia in templum & pauperes priùs boni Christiani partes, quàm diem obierit. Confessionum, quæ plus quinquies mille foris exceptæ, millenis fuit auctior hoc anno numerus, quàm superiore. qui ab vltima sua memoria,

nouem & sexaginta ; qui ab aliquanto tempore mala acta retexerint, centum & triginta : quibus impensa ab hæresi absolutio, quadraginta; quorum nutanti fidei subuentum sit, tres omnino recensuimus. Cùm Reuerendus Dominus Vicarius generalis in spiritalibus, pro officio parœcias visere vellet, in laboris partem, bono sanè euentu iussit nos succedere. Virgines duæ monasticem amplexæ, totidemque laici ex confitendi vsu & familiaritate cum nostris, Carthusiensem hic, ille Cisterciensem Ordinem, ingressi sunt. Perplexus alius admodum in electione status B P. N. Ignatij, de spirituum discretione regulis, explicitus. quartus, cùm ad aperiendos confessario animi recessus horreret, oblata sibi per somnũ Christi Domini pendentis, atque ad confessionem inuitantis, iterumque B. Virginis filium suum pro ipso deprecantis specie, vt faceret, animatus est. Quædam preces magicas, cum eo, quem inde pueris sanandis faciebat, quæstu : illegitimos item alia concubitus omittere iussæ paruerunt. Virgo, cui variis modis imponebat cacodæmon, & perpetuis agitabat scrupulis, ab exomologesi & synaxi sacra amuletum inuenit. Vrgebat adolescentem pessimus dæmon, vt proprio sanguine conscripto chirographo ei se obligaret: tunc demum fecit missum, quando nostris obtemperauit consiliis. Schola transscripsit in religiosam militiam sex. Benesentientium fauor auxit sacrum templi paratum stromatis, casula, argenteo scypho inaurato: domesticos prouentus vnius vicariatus, vt vocant, corpore, illustris summæ ædis Argentinensis Capitulum ampliauit. Sed hæc ferè domi nata. foris sic habet. Inter montis Vogesi valles tres, hæreseos cœno infectas per Aduentum & Quadragesimam, rogatu Præsidum à P. Rectore missi

Patres duo, qui mandatum sibi negotium sic gesſere gnauiter, vt ipſi hæretici affirmarint, ſi tales ſemper dicendi faciendiq; magiſtros habuiſſent, ſe numquam non Catholicos fuiſſe futuros. Chriſtiana doctrina quotidie in ſchola primùm puerili turbæ, in templo deinde, vbi magiſtratus ipſi nec fauorem ſuum, nec præſentiam, nec operam deeſſe paſſi ſunt, enucleata quibuſlibet. Confeſſionibus vniuersè mille ſeptingentis, generalibus plus minus vndeſexaginta aures datæ: quamobrem tantum profuit quinque Parochorum è diuerſis pagis exemplum apud ſuos, vt vltro libenteſque & præfecti, & maximam partem ſubditi ſequerentur, nec tanto ſcilicet ſpiritali gaudio perfuſi, lacrymas tenerent. Quidam cùm in ſermone familiari audiſſet, quæ ſacri ſigilli confeſſionis eſſent, ſibimet gratulans vix diem confeſſioni præſcriptũ præſtolari potuit, ſed identidem Patrem rogans, vt diem & horã liceret præuenire, de tota vita confeſſus, Nunc, mi Pater, ait, lætus Hungariam primo quoque tempore petam, quandoquidem nihil amplius quod metuam, ſentio: vale, & Deum pro me ora. Inauditum hactenus fuerat, Villarij frequentare ſacra myſteria ad Natalem Chriſti; nunc præſtiterunt 260. circiter: in quibus ipſemet Præfectus nobiliſſimus vir cum vxore & familia omni. Emerſerunt nouem ex hæreſi, quibus ſalutaribus cautum eſt hortatibus. Mulier nobilis odio à marito item nobili abalienata eidem reconciliata eſt. Primaria quædam alia iam olim odio in nos accenſa, mirè mutata eſt viſis auditiſque noſtris Patribus. In gratiam reducti coniuges, qui annum ferè quintũ à communione arcebantur. Catholicis famulis, qui noſtris confeſſi erant; cùm in die Palmarum quo communicarant, carnes proponebantur ab heris,

illi

illi ſicco pane contenti, de carnibus pariter & heris triumpharunt. Conſuetudines malæ & ſuperſtitioſæ abolitæ: munera, quæ pro Sacris & piis obſequiis offerebantur, repudiata, bono offerentium exemplo, atque repudiantium exiſtimatione.

Collegium Confluentinum.

VIXERE duo, P. Michaël Schilling, vir defectæ iam ætatis, & multorum ſtipendiorum in Societate, in qua annos quadraginta exegerat: & P. Tilmannus Langeberg, ſi annos ſpectes, iunior; ſi virtutes, iam maturus cælo: magnus in eo erat morum candor, ardor animi in aliorum ſalute procuranda, induſtria denique & dexteritas in tenera ætatula, quà litteris, quà pietate imbuenda: quod ille munus perpetuum ſibi à P. Prouinciali ambitioſis precibus depopoſcerat. quo factum, vt domeſticis exteriſque perinde carus eſſet. teſtati ſanè hoc ciues, quos & morbus eius ſollicitos habuit, & mors mœrore afflixit. Sani ceteri ſuis quiſque partibus non defuere. Exerciti piis commentationibus plures, quo animorum ſenſu, ex vno coniectura fiat. Confugerat is clam ſuis, ad nos, ſeſeq; in ſacrum illud armamentarium abdiderat. Factum deinde, vt incideret res grauis, quam confici cum primis ipſius intererat, neque poterat niſi à præſente. Itaq; amici ſubodorati quod res erat, aduolant ad nos, eius ſibi copiam fieri poſtulant: abnuit ille, ac vix tandem ceſſit imperio Patris, à quo exercebatur, vt in colloquium veniret, vrgetur, interrumpat tantiſper, negotio confecto ad ſanctum illud ocium rediturus. ille nihil ſe inconſulto Deo facturum ait, domum concedant, dum rei diuinæ interſit: dictum, factũ: reuerſis reſpondet,

det, decretum ſibi eſſe in poſterum, ſeu ſaluti, ſeu vtilitati animæ ſuæ omnia poſthabere, ideoque quantamuis rei familiaris iacturã citiùs facturũ, quàm cœptas cõmentationes interrũpat. Scholæ doctrinę Chriſtianæ frequẽtatæ in vrbe, in pagis, magno puerorum concurſu, pari ſedulitate. quam incenderũt munuſcula crebrò à parẽtibus ſubmiſſa acuendæ induſtriæ. fuit etiam adultis vtilis hic labor, inter ceteros mulieri, cui hac face depulſa ab animo nubes, quæ multa, nec leuia crimina diu óbtexerat. Concionum curſus idem qui aliàs fructuſque. huic augẽdo Conſul vrbis hortatu noſtro obire foras, diſturbare propalarum tabernas, auocamenta plebis. A praua conſuetudine veſcendi carnibus die ſabbati quatuor, ab hæreſi abducti ſedecim. In his adoleſcens ita iam præ noſtris doctoribus faſtidit barbatulos nugiuendos, canem vt eſſe ſe malle dicat, quàm iis dehuò deformandum dare. Errata totius vitæ multi, plurimorum alij annorum apud nos confeſſione eluerunt. Fuere, qui à quatuor aut ſex paſſuum millibus ea re huc ventitarent: quos inter nonnemo annos ipſos vigintiſex in hæreticorum luſtris gemina cum illis impietate traduxerat. Exuſſerat alter ſuperſtitioſas chartas, abhinc annis trigintaocto veſtibus inſutas, ad auertẽdos bombardarum ictus. id ſcilicet malè habere dæmonẽ fraudis illius architectũ, furere, ferocire, nullam quietis partem miſero concedere, donec à Principe vicino miſſus ad nos, noxas annorum omnium ritè aperuit: tum effigie cæleſtis agni de collo ſuſpenſa communitus, doctus item vſum luſtralis aquæ contra improbiſſimi hoſtis inſultus, ſimul iurandi potitandique conſuetudinem dedoctus, tranquillitatem mentis recuperauit. Muliercula ex earum numero, quas ſtrygas vocant, pœnitudine ducta vltro ſe tribu-

nali ſtiterat, inde ablegata ad nos, in gratiam cum Deo & Magiſtratu repoſita, atque ſalutaribus monitis obarmata perſtat etiamnum. Rediere noſtrorum operâ duo ad ſigna religioſa, qui tranſfugium minabantur. Reuocata ad ſaniorem mentem, quam delicti malè ſuppreſſi conſcientia ad voluntariam necem ſtimulabat. Non defuit, qui quam à noſtris didiciſſet rationem animum ritè expiandi, Curionem ſuum doceret, reipſa inſtituta in eum finem accurata delictorum enumeratione. Æs copioſum, quod contra ius faſque poſſidebatur, ad dominos rediit. Concordati diſſidentes: in his ſanctimonialis nobili genere, cum toto reliquarum cœtu, à quo multis iam annis ita pertinaci animo diſceſſerat, vt nec ampliſſimorum virorum conſiliis, nec Principis & Archipræſulis ipſius auctoritati cederet, euocatus ſacerdos pacem ſanciuit magna omnium gratulatione. Puerulus trimus, quem à dæmone inſideri creditum, piaculari aqua ſanitati reſtitutus. Subuentum inopiæ multorum, corrogata ſæpiùs ampla ſtipe. Interuiſa ſæpè hoſpitalis domus, & cibis & medicamentis foti languentes: auditi, qui magno agmine ſeſe huc infuderant, pauperes, & præſidiis animorum & ſubſidiis corporum inſtructi. In priuatis quoque domibus, morbidis nauata opera diurna, nocturna mirantibus ægris pertinacem noſtrorum caritatem, quam nulla morbi diuturnitas fatigaret, admurmurantibus ſanis. Firmati ad extremam luctam in lectulo, in rogo, & fuit operæ pretium. Quam fatalis ille ignis, qui iam præ oculis erat, flectere non potuit, accuſatori vt ignoſceret, Patris noſtri oratio, & intentatæ cæleſtes minæ perpulere. Excurſum ſæpiùs ad ſacrarum virginum cœnobia: aures cõfitentibus præbitæ, condocefactæ rationem vitæ ad religio-

nis præſcriptum agendæ, magna audientium vtilitate iuxtà ac voluptate. Sub Paſchales ferias ad bina opida binæ excurſiones adornatæ. Conciones habitæ penè quotidie, explicata capita doctrinæ Chriſtianæ: vno verbo, obita munia Societatis magno incolarum bono. Reuerendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps, propenſa in Societatem eſſe voluntate pergit, vti hactenus. ſed & magiſtratus vrbis: qui delinquentes non antè in gratiā recipere voluit, quàm apud nos de peccatis confeſſi eſſent: nec beneuolos tantùm experti ſumus, verùm etiam, vt diximus, beneficos, mactatis geminis bobus, altero à Reuerendiſſimo Electore, altero à Commendatore Teutonicorum Equitum. Auxit etiam libraria ſupellex libris omnibus S. Bonauenturæ, eleganti opera, à viro nobili dono datis. Venio nunc ad ſcholas, in quibus iuuentus magis æſtimanda virtute, quàm cenſenda numero; tamen, vt loci huius atque hominum ingenium eſt, ſat frequens hoc anno. Iungitur litteris pietas. in illis quem progreſſum fecerint, argumento eſſe potuerunt orationes, iudicia, dramata, quà verbis, quà rebus venuſta toto anni decurſu data, maximè ſub feſtum adſumptæ in cælum Virginis, cùm (quæ præcipua Sodalium laus) in tantæ patronæ honorem, & ſtylo & voce ſudatum: veſtiti parietes eleganti ſtromate è varij generis gręcis, latinis verſibus, ænigmatibus, emblematibus, totus denique interior ille velut mundus amœnioris litteraturæ explicatus. In pietate eximij ſunt Parthenij, ſolitum illud ſuetumque. hoc non item hoc loco. Afflictationes corpori domando clàm hactenus vſurpari ſolitæ, hoc primùm anno erupere, maiore ardore animorum, quàm pro initio. Inflammabat videlicet aliorum Sodalium exemplum, quorum pietas ſub initium

Quadra-

Quadragesimæ simul innotuit, certatim se obtulere ad pia opera, priuatim, publicè obeunda. Publicè hęc facta. Bis conuentum quothebdomadis; post decantatum psalmum Miserere, prælata de more cruce in corpora sæuitũ. Sacratiore hebdomada hoc additum. Feria quarta cõposito agmine templa primùm vrbis obita, pari dein pietate atque ordine suburbana sanctæ Crucis ædes religione celebris: inde decantatis Litaniis reditum ad oratorium, & conclusum solenni diuerberatione. Feria quinta & sexta ad honorarium Christi Domini sepulcrum aliqui semper, sortito distributis horis, excubarunt precantes. Neque parum plebem cõmouerunt tam pia exempla, maximè cùm palàm voluntaria de se supplicia, nouo his locis spectaculo exposcerent. Porrò repens hic ardor non relanguit tempore: testes celebriora per æstatem festa eodem ritu acta, adeò excrescente numero vltroneas pœnas subire cupientium, vt plus dimidia pars voto suo frustrata sit, non parua cum significatione doloris. Succrescit horum laudi Sodalitium minus collectum ex flosculis puerorum sub Angelorum tutela: & hi in sua corpuscula sancto odio exarsere, amplius viginti pia importunitate publicam diuerberationem extorsere, sanè supra ætatulam illam, cui vt nihil magis familiare, ita nihil exosum magis, quàm plagæ.

Collegium Paderbornense.

TIROCINIVM Societatis vnus Humanitatis studiosus iniit, & alius Rhetorices: D. Brunonis & S. Benedicti familiis aggregati sunt duo. Porrò domesticorum zelum crebriores cum fructu excursiones mirificè acuerunt. In his duæ extra diœ-

cesim illustriores ad duorum Comitum arces; in quarum alteram sacerdos sub Anastasim Christi euocatus præcidaneis feriis binas quotidie conciones, tam de articulis fidei, quam de plena peccatorum exomologesi & cruciamentis Christi vtiliter habuit. Ipsa enim Comitissa, quæ duodeviginti annos Caluini strophas sectata fuerat, neque vllum de Societate hominem vnquam admittebat, pio generosi mariti dolo inducta sub schemate Parochi cum nostro collocuta, Romanæ Ecclesiæ sese magno familiæ bono reddidit; ex honorariis virginibus quatuor, aliæque matronæ ac generis claritudine spectabiles viri, cæleste conuiuium ibidem iniere, vbi à memoria hominũ nullus sacrificij vsus exstiterat. Quare illustris loci Dominus ita in Deum eiusque cultum exarsit, vt sublatis oculis gratias Deo egerit, sibi in eum diem prorogatam vitam, quo inter hæreticos sacram synaxim veram Catholicorum hoc tempore tesseram familiæ suæ sub vna specie exhiberi vidisset. In alia huius diœcesis arce Satrapæ coniux partui vicina, diuersis vicibus euocato ad hoc sacerdote nostro, rem diuinam, vt feliciùs eniteretur, fieri petiit. Mirum dictu, postridie, quàm vltimum Sacrum esset persolutum, breuissimo tempore primogeniam familiæ stirpem edidit. Alia item mulier cùm multa partus difficultate ita æstuaret, vt anima ad egressum luctaretur, per Curionem nostras discipulorumque preces efflagitauit: missa cælestis agni imago, cingulumque contactu Cathedræ D. Petri Apostoli venerandum, necnon preces adhibitæ suppetias tulere. Constitit etiam suus concionibus fructus, in primis funeralibus, quæ pro re nata maiorum ciuium frequentia vulgò cohonestabantur: nimirum fenestra aperitur in iis, de inuocatione Sanctorum,

ctorum, de igne expiatorio, & huius generis controuersiis vtiliter disceptandi; quod in Canonici cuiusdam funere euentus comprobauit. Nam hæretici Catholicique iucunda æmulatione, accepta post funus è concione occasione quæstiunculas sciscitati sunt. Duo ad Romanam Ecclesiam se receperunt, alter è lustris Lutheri, è gurgustiis Caluini alter. Tres in fide nutantes, fidei professione edita confirmati. Tres etiam errones Musici nostrorum comitate capti, hæresimque dedocti superiorem omnem vitam confitendo retexuerunt. Fuit, qui ab hæretico parente in patriam reuocatus, cum naufragium religionis a suis pertimesceret, non priùs se itineri accinxit, quàm fidei professionem publicè ederet. Illud obseruatum crebrò, hæreticorum filios, qui in nostris scholis sæpè aliquamdiu simulant magis, quàm colunt religionem Catholicorum, simulatque ad fidei professionem inducti, illicò mutari, & iam seriò agere omnia. Erat in opido huius diœcesis non ignobili, vir senatorij ordinis, litteris non vulgariter tinctus, sed à puero Lutheri hæresi infectus: hic legendis Catholicorum libellis, qui per nostros submittebantur, eò tandem adductus est, vt vltro peteret è Collegio confessarium, ante cuius pedes per exomologesim pestem eiecit. Par coniugum, qui iam biennium totius ciuitatis scandalo facto diuortio, pertinaciter dissidebant, rediit in gratiam operâ nostrorum. Catholicus adolescens deposito certo pecuniæ pignore affirmarat coram hæretico, neminem Prædicantium tam fidenti animo esse, vt vel cum simplicissimo Iesuita fidei certamen inire auderet. Non abnuit ille, laboratur ab aduersario, vt doctissimum Prædicantem, quicum illi non leuis amicitiæ vsus intercedebat, ad promissum certamen traheret:

ſed ille elato ſupercilio, Dedignor, inquit, cum iſthoc hominum genere ſermonem miſcere: tu quia occepiſti, iam diaboli naſſam ingreſſus es. abiit hoc reſponſo exaſperatus ciuis recta ad Collegium, totam ſeriem cum deteſtatione inſcitiæ Prædicantium referens Vnus duriùs à magiſtratu tractatus conſtantem ſe Catholicum geſſit, roſarium Sacrumque quotidie pænè obiens. Venio ad ſcholas, in quibus præcipuum induſtriæ noſtræ curriculum. Hoc iam profecimus, vt ipſi hæretici noſtram docendi methodum ſuſpicientes, quotieſcunque contumelioſiùs aliquid intorquent, ſemper excipiant iuuentutis informationem. Sodales Deiparæ facem ceteris in omnibus præferunt. Funiculis ſe ciliciiſque affligere iam vſitatum eſt Hoc miraculo vicinum: quidam ex iis ludum ſubterfugerat, hic in contubernio moras nectere, quoad publica indiceretur remiſſio, inſtituit; cùm ecce ſtygum lamiarumque ſimulacra infeſta in hoſpitio habere, ideoque in patriam properare cœpit: verùm cùm neque in itinere ſe ab eiſdem expedire poſſet, inopinata hac plaga perculſus, victuſque conſcientia vſque adeò in furorem verſus eſt, vt fuerit vinciendus. quod mirere in hac mentis peregrinatione, ſæpè in genua deuolutus ad aliquot horas Deiparæ recitando Officio immotus inhæſit; ſi quis interpellaret, mox redibat eò, vbi antea deſierat, ac pòſt paulò ſibi integrè redditus eſt. Meliùs alteri ſcholarum effugium ceſſit: is inclinante ad militiam indole, cum perditorum nepotum turba inſciis parentibus profugit ad Belgas. parentes hæreſeos labe infecti, benigniùs rem interpretati ſunt, rati filium iam quidquid Ieſuiticum hauſiſſet, abiecturum, ſubmittunt pecunias, equum, ceteraque ad rem Inuenit inter nobiles aulicos honeſtiſſimum

locum; obstrepente tamen conscientia à Caluinismo abhorrebat, atque exauctorari desiderabat: sed omnibus carus, cùm commeatum discessus non obtineret, certis tēporibus profectionem ad parentes obtendens, expiandæ conscientiæ apud Societatem hìc & alibi vacabat. tandem honestè dimissus, parentes ad fidem traducere orthodoxam institit, ac deinde ad Serenissimi Alberti militiam commigrare: sic ritè expiatus fideique testimonio tanquam tessera munitus reclamantibus omnibus proficiscitur. Quid multis? paucis pòst mensibus tam multa de eius prospera fortuna allata, vt Iosephum in Ægypto referre visus sit, ducta in vxorem puella cuius dos 30000. millibus æstimabatur. parentes hac subita metamorphosi, cùm ipse præsertim omnem fortunam prolixis litteris fidei Catholicæ adscriberet, ita mutati sunt, vt se Catholicos professi sint. Studiosus vix primæ iuuentæ spatia ingressus, desertis scholis innuptas nuptias animo coquebat. copulandi in sequentem erant diem, tantùm consensus Officialis erat in mora; antè tamen pia fraude in Collegium pellectus, vt se colligeret, dies aliquot ibi moratus est stulto consilio abiecto. Sodalis Parthenius erat, quē impudica mulier alterius amoribus implicata, ad flagitium inuitabat: ille negat, ni deserat priùs riualem. id vbi factum, explosam ridet infamem feminam: ita se pariter à periculo, & illam ab amatore expediuit. Existimatio Societatis crescit in dies, etiam apud aduersarios. Puellam emotæ mentis ipse Consul cum honoratioribus vtriusque sexus, neglectis Prædicantibus ad nostrum sacrarium binis vicibus adduxit: deprehensa tandem insanire potiùs, quàm obsideri; peractis gratiis, laudatoque iudicio nostrorum discessum est. Auriga in itinere Francfordiano alium

lacerabat conuiciis, eò quòd Iesuitarum & Catholici typographi libros veheret; pœnas illicò dedit, à sexdecim prædonibus spoliatus, quem læserat, vidit intactum dimitti: res in speciem leuis, quæ diuulgata multos in fide cõfirmauit. Sacrum sacelli instrumentum pictis tabellis, commodiore ad sacrificandum vestitu, mundioreque in omnibus cultu creuit. Duobus quoque bobus angustiis Collegij generosi Ritbergæ Comites subuenerunt.

Collegium Monasteriense.

ADOLESCENS nobilis Friso è nostris scholis ad Ordinem Prædicatorum transiit, ad Carthusianorum alter: vnus etiam Crucigerorum, alter Franciscanorum institutum complexus est: S. Benedicti quatuor. Nostrorum opera intra mœnia potissimum constitit, quòd exire in circumiacentia opida pagosque sine manifesto periculo non licuerit. Mense Iulio quinque è nostris Patribus vota publica edituri, nouo hoc loco more per ciuitatem ad stipem ostiatim colligendam dimissi, in admirationem non minùs Prelatos, quàm plebeios coniecerunt Die professioni indicta, illud memoratu dignum accidit, nostris elatiore voce vota sua emittentibus, virgo quædam ob religionem Catholicam hîc annos aliquot exulans, ad scamnum communicantium progressa, conceptis verbis ex scheda recitatis coram Venerabili Sacramẽto votum castitatis modestè edidit. Hæresim abiurarunt nouem. Virgo Wesaliæ oriunda (ciuitas est hæreseos veneno infectissima) cùm se ad vicinam Catholicam religionis caussa transtulisset, morbis variis affligi cœpit; ac omni humana ope recuperandæ valetudinis desperata, in certissi-

tiſſimam ſpem venit ſe liberatum iri, ſi Strombergam profecta in ſacello Societati incorporato, veſtigia ſaltem miraculoſæ crucis eius, quam ante annum militum hæreticorum ſacrilegis manibus confractam diximus, ſupplex veneraretur. Itaque infirmiſſimis viribus iter primùm vehiculo, deinde extremum milliare ſuis pedibus ingreſſa, cilicio inſuper toto itinere ad nudum corpus induta, vix templum intrarat, cùm ſubitam totius corporis alterationem perſenſit: poſtero verò die oblatis donis, votiſque ritè perſolutis, tribus omnino morbis, hydrope, debilitate ſtomachi, & graui capitis vertigine liberata eſt. Virgo hæretica ita templi noſtri munditie delectata eſt, vt ſe Catholicam fore diceret, ſi hic ſedem figeret, & procinctorium eleganti opere dono dederit ſtatuæ B. Virginis. De omni vita exomologeſin fecerunt præter ſtudioſos externi 514. Iuſtus quoque fuit toto anno communicantium numerus. Die Circumciſionis Domini ſeptingenti nonaginta cæleſti ſe cibo in noſtro templo refecerunt. Concurſum ad nos ſæpiſſimè, cùm fuit ſuſpicio, nonnullos à cacodæmone malè vexari, quibus ſolatium auxiliumque pro viribus impenſum. Puer octennis ab hoc hoſte occupatus, à noſtro ſacerdote per exorciſmos adiutus eſt. Diſcordia ſororis cum fratre Eccleſiaſtico ſopitæ. Sex mulieres ad vitæ honeſtatem traductæ. Ducentorum dalerorum reſtitutio facta. Catecheſis Dominicis feſtiſque diebus magno cum fructu tradita. Sequitur gymnaſium. Habuit illud vltra ſeptingentos auditores: paucitatem hanc compenſauit alacritas, & prompta obediendi voluntas ac pietatis ſtudium. Non paucos ad Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta, & meliorem vitæ frugem induxerunt. Puer quidam circa Kal. Ianuarij domum re-

uocabatur. hic quia gratia Indulgentiarum se frustratum iri vehementer dolebat, præceptorem adiit, rogauitque suppliciter, vt sibi abeundi facultatem audiente nuncio deneget. Alij item duo à curatoribus suis ad hæreticos mercatores à scholis nostris ablegati pertinaci constantia impetrarunt, vt sibi catholicè viuere liceret. Libellus de modo examinandæ conscientiæ inter rudiores sparsus à discipulis magno cum fructu. Puer duodennis nullis blanditiis adduci potuit, vt pisculentis diebus vesceretur carnibus. Dramata duo data, alterum in Bacchanalibus de conuersione S Augustini: alterum in studiorum renouatione de S. Wenceslao martyre: vtrumque magno applausu. Est verò gymnasij huius ea apud finitimos fama, vt ex eodem sæpenumerò Parochi, Sacellani, iuuentutis rectores ac magistri in quatuor vrbibus hoc anno petiti sint: in quibus tantus ardor zelusque religionis, vt frænis magis, quàm calcaribus egere viderentur. nam primo quasi ingressu libros hæreticorum in ludum litterarium inferri vetuerunt, Catholicis in eorum locum subrogatis, quos ipsi initio quibusdam discipulis, quò minor esset parentum offensio, gratis largiebantur. Inter studiosos Parthenij potissimùm excelluerunt, qui à Dominica Quinquagesimæ ad generalia templa vrbis agminatim obierunt: & feria secunda Bacchanaliorum solemne Sacrum in æde Deiparæ sacra decantari fecerunt. Adolescens Parthenius ex superiori tabulato in stratam lapidibus aream delapsus, cerebro in terram effuso exanimis sublatus, imploratis demum sociorum precibus, non multò pòst conualuit, admirantibus medicis, qui de salute prorsus desperauerant. Alter nobili genere natus, eximius cultor B. Virginis, cùm periculosè variolo-

variolorum morbo laboraret; supremum sibi diem instare existimans, admissis à pueritia peccatis animum expedire parabat, & quia manuum beneficio vti nequibat, occurrentia delicta ne memoriam effugerent, socio dictare parabat. qua in cogitatione dum versaretur, ecce satan se offert, dira minitans, si conscientiæ secretum alteri reuelet: dum ille nihilo seciùs perstaret in proposito, denuò dæmonum globus eum circumstat, perniciem extremam intentat. Ille, vt sese ab hisce spectris expediret, confessarium è nostris accersit: initium confessioni daturus vix signum sanctæ crucis fronti impresserat, confestim auerso vultu conticuit. noster prolixius silentium vultusque auersionem faucium occlusarum angustiis adscribens, loquelæ defectum se diligenti examine compensaturum promisit: at ille conuersus ad Patrem, Non hæc, inquit, diuturni mei silentij causa exstitit. cœptam prosequitur peccatorum enumerationem: postea retulit se non per somnium, aut alienatæ mētis ludibrium, sed præsenti animo quinque cacodæmones, nigrorū Æthiopum instar, conspexisse: qui interpositu suo inter confitentis os & aures cōfessarij vocem loquentis dissiparent, per sanctissimi tamen nominis IESV & B. Virginis inuocationem cedere coactos fuisse. Aucta res domestica piorum liberalitate. Generosi Comites Ritbergæ præter par boum Collegio ducētos, pauperibus studiosis 25. daleros dono miserunt. Alter Ecclesiasticus Cathedralis Capituli eleēmosynarius 20. dalerorū supellectilē stanneam vsibus nostris culinariis attribuit. His accesserunt 200. circiter daleri à diuersis aliis amicis attributi. Collati etiā ad templi fabricā ornatumq; alij 400. præter casulas, auream vnam, damascenas ternas, antependium holosericum, aliaque munuscula minora,

minora, quæ in dies ad templi instrumentum, amicorum beneuolentia & liberalitate accedunt. Sassenbergæ præfectus quater nostros euocauit, vt rationes vitæ familiæque ex nostrorum instructione componeret; bis confessionis communionisque Sacramenta obiit cum coniuge, quamuis paucos ante annos minime Catholica. Egerunt vt vincti opidanique simul per nostros informarentur, quos sciebant multos iam annos Luthero magis, quàm Catholicis fuisse deditos: vt proinde instruendi fuerint accuratè, templumque à sordibus vindicandum: in quem finem nobiles ipsi nouum altaris sacerdotisque ornatum de suo pararunt. Inciderat autem secunda expeditio in Bacchanalia: quo tempore euocatis etiam propinquis, maiori quodam ardore repetiuerunt Sacramenta, vt sacra magis hebdomas esse videretur, quàm Hilaria in arce. Cineres nouo exemplo præeuntibus nobilibus, magno numero incolæ acceperunt. Auditæ captiuorum confessiones: inductus ad obliuionem iniuriarum, qui pertinaciter negabat. Actum vt haberentur mitiùs; laxata vincula tantisper, dum rei diuinæ vacarent. Aditi insuper in mapalibus pauperes atque ægri, exceptæque diuersorum confessiones, & eleëmosynis egentes adiuti. Reuocatus mos rosariorum, excitati permotique ditiores ad singularem pauperum amorem: in quibus fuit matrona honoratior, quæ cùm hominem accepisset putrefactis pedibus, ac fame propè enectum, alacriter purulenta vlcera lauit, tractauitque omni caritate. Curatũ, vt ne nundinas obirent priùs, quam rei diuinæ interfuissent omnes, contrà quàm fieri solitum. Inducta virgo Lutherana ad religionem Catholicam cùm diu reluctata esset, tandem intempesta nocte ex lecto se proripuit, & ad exomolo-

mologesin parauit. Valuit adeò huius Præfecti pietas, duo vt viri nobiles, duæ etiam virgines claræ stirpis, suscepto aliquot milliarium itinere, cum eodem cuperent esse Sacramentorum compotes administrante nostro: qui etiam obtinuit in his excursionibus, vt captiui rustici vndeni dimitterentur, & duo qui in pellicatu publico viuebant ad meliorem frugem redirent.

Missio Ritbergensis.

RITBERGA Comitatus est Westphaliæ, abhinc annos circiter sexaginta corruptus Lutheri erroribus. huc noster à generoso Comite euocatus, coniugem in hæresi educatam, Ecclesiæ adiunxit, sacra Catholica ab annis sexaginta intermissa restituit, ad familiam de religione quotidie concionem habuit. Illustris Comitis & neophytæ coniugis virtus spectata fuit hebdomade sanctiori, quãdo arctiori ieiunio, humiliore vestitu, precibus multiplicatis vsque in noctem recoluerunt Domini passionem exstructo etiam de more sepulcro: quò cùm inferretur efferreturque Christi corpus, præibant ipsi Comites venerabundi cum tota aula. Ad extremum confessi propalàm, cum variis familiaribus, die Paschatis in solemni Missæ Sacro communicabant. Festo Pentecostes repetitur sacerdos, confessionis communionisque Sacramenta iterantur: & vt in plures manaret conuersionis fructus, voluerunt eum diutiùs apud se manere. quapropter conciones & catecheses, quà ad aulicos, quà ad opidanos repetitæ. Lis etiam composita, ex qua non dubia cædes secutura videbatur. Hæresim detestati sunt circiter viginti, in quibus eminet Illustris Comitissa, quæ à quo tempore fidem orthodoxam complexa est, eandem insigni pietate & Christianis virtutibus exornat.

nat. Cùm etiam reipsa experiretur subditos hæreticos, si quando frequentabant domesticum sacellum, decore externo mirificè delectari, vnà cum generoso Comite coniuge, cœpit nouo & pretioso instrumento aram exornare. In Frisia præterea Orientali, in quam velut extimum Germaniæ angulum colluuies pænè omnium errorum affluxerat, in variis arcibus, annos fortè amplius sexaginta profligatum iuge sacrificium Comes reuocauit, ad suum, vxoris, familięque vsum, etsi fremeret principio Prouincialis nobilitas, perque Iurisconsultum ad Comitem sacerdotemque nostrum ablegatum vellet vsum altaris impedire. sed perdurauit tamen constans heros animoseque respondit: mirum sibi videri, quòd, cùm ab Euangelicis adeò prędicetur libertas, sibi tamē in natali solo, ac priuato in oratorio velint prohibere vsum suæ religionis: neque enim se suosque esse bestias, qui sine Dei cultu viuere possint. hoc oppressi responso tacuerunt, cursumque suum sacerdos noster per trimestre haud infeliciter tenuit: nam cùm frangi animum Comitis non posse animaduertissent, cœperunt agere pacatiùs, ac reuereri etiam passim Societatis sacerdotem Et quamuis profici propalàm non multum potuerit ob inueteratas iam hæreses, pronosque in seditiones animos subditorum; magni tamen putat faciendum Comes Ioannes, quòd in ea regione, vbi publicè Iesuita nullus adhuc appareurat, Pater tutò iam, neque ignotus versaretur, atque etiam ab religionis inimicis comiter passim haberetur, aditusq; nostris videatur omnino patefactus, si mitiora aliquando tempora dabit Deus.

Colle-

Collegium Hildesiense.

OPERA nostrorum in proximum, quà templo, quà scholis exstitit illustrior, quàm hactenus non nostro modò, sed & aliorum iudicio. Ab infami turpiter actæ vitæ licentia ad meliorem notam non pauci reducti: aliis idem periculum adeuntibus maturè occursum, aut eodem erepti, in cœpto corroborati. Ad sacras confessiones & synaxim frequentiori vsu celebrandam faces subministratæ: mille enim trecenti sex & septuaginta diuino pastu recreati. religiosæ D. Benedicti familiæ sex adolescentibus studiosis facta accessio. Duæ item virgines diuino seruitio consecratæ. Spiritales B.P.N. Ignatij exercitationes sitientibus animis ab aliquot acceptæ. Ex hæreseon tenebris emerserunt quinque & viginti: in his virgo nobilis familia in primis clara & celebri apud suos, quæ nec aliorum conuitiis, nec cognatorum ira, vexationibus, lacrymis, nec Prædicantis minis cessit: prælucet iam ea ceteris raro exemplo pietatis Libri vel eadem peste laborantes, vel obscœni ab ipsis adolescentibus vltro delati, studióve quæsiti, rogo dati. Totius vitæ exomologeses non paucæ, magno confitentium bono exceptæ. Quidam & peccatorum intempestiua memoria, & dæmonis tetro adspectu ad desperationis præcipitium impellebatur, post quæsitum sæpè frustrà apud alios antidotum, multa milliaria emensus ad nos venit, & viæ pretium tulit, optatamque tranquillioris conscientiæ sibi peperit serenitatem Agnis Dei pluribus morbi molestiores auersi. Paulò altiùs sese scholarum nostrarum caput sensim humo leuat, feritque oculos aduersariorum qui inuidia tument. id nuperis feriis

riis ſcholaſticis perſpectum fuit, cùm duo adoleſcentes in patriam reuocati. hìc cùm maior amicorum numerus in eam ſententiam abiret, vt cenſeret ad ſuæ factionis Academiam aliquam eos ablegandos eſſe, Prædicantes aliiq; saniore mente (qui fortè intererant) manibus pedibuſque repugnarunt: Vt quid enim, aiebant, tam certum ad eruditionem curſum impeditum irent? quin vel ipſis auctoribus noſtrũ gymnaſium repetere paterentur, ac vrgebant potiùs quàm eos nolentes ab inſtituto deducerent. extra controuerſiam eſſe, maiores illos adoleſcentes in noſtris, quàm ſuis ſcholis in litteris progreſſus facturos: ad hæc, ſi vlla vſpiam viros doctos alat diſciplina, certè vel Ieſuitarum eſſe, vel nullam qua re & alij non infimæ ſortis, vt & ipſi ſuos ad nos deſtinarent filios, prouocati ſunt, vltroque vni ex noſtris, illuc mutato habitu profecto moderandos duos filios ſuos ipſemet parens adduxit tradiditque. Et cùm vir nobilis honeſtum ſuæ vrbis ciuem duos nobis inſtituendos miſiſſe filios intelligeret, vehementer probauit, & ipſe ſuos ad aliud noſtrorum Collegium, paulò longiùs à patriis finibus ſubmotum ablegauit nepotes, & aliàs ſæpè id conſilij nonnullis ſuggeſſit. Adiecit deinde, admodum ſe mirari, tam furiosè in Ieſuitas ex pulpitis, & publicè barbatos illos rabulas debacchari, quando ipſimet ſuos ad eos mittant filios, aliiſq; etiam perſuadeant, necnon & Superintendentes (quendam qui id à ſe efflagitaſſet, nomine & loco ſignans) liberos ſuos Patribus Societatis petant per me commendari.. Pædagogus cum diſcipulis nobilibus in domum paternam abductus, tum contra parentes, tum contra loquacem verbi Miniſtrum, Catholicã fidem, quam in noſtris ſcholis vnà cum ipſis pueris ante paucas hebdomadas imbi-

imbiberat, egregiè defendit, ortaque vt fit, disputatione, possitne homo ab omni peccati labe se immunem præstare; negat verbosus Minister, in vllum hominem eam gratiam cadere; natu minimus, nondum decennis, id quod in scholis inaudiuerat, audacter affirmat, tanta gratiæ plenitudine beatam Virginem esse, aut si eam huic sorti non eximeret, doceret, quonam ipsa peccato deliquerit. sic & inanem tumorem pusillus fregit, ignominiamque victus à puero malus verbi præco pro laude retulit. Sodalitas Parthenia sub finem anni sæcularis sacri cœpta, læto, vt fert loci conditio, progressu prouehitur. Quidam cùm morbo infestaretur, voto clementissimæ matri facto de frequentiori communione, statim conualuit: qua re & in fide, quam recèns susceperat, non mediocriter confirmatus, & ad Congregationem Partheniam ardentiùs ambiendam fuit inflammatus. Quatuor denos alius ex Sodalibus vexatus dies arcti gutturis dolore, vt vix cibo, vix verbis daretur via, cùm tremendis reficitur epulis omnis repentè molestia pulsa est. Laborabat alter insueto morbi genere tres pænè menses totos, perpetua membrorum agitatione, linguaque ad omnem vocem distinctè edendam impedita; B. Virginem sibi noctu adstare visus est videre, redditoque linguæ vsu de peccatis se confiteri: ex illo die nullis medicamentis adhibitis, sensim sibi restituitur. Vrgebant alij Quadragesimæ diebus flagris publicè in se sæuiendi copiam fieri. quod quia pro loci ratione negatum, dolenter quidem ferebant repulsam; priuatim tamen quin concederetur, negari non poterat. Iam verò in genua prouolui, petere item flexis genibus veniam, culpas suas fateri, frequentia sunt. Tanta iuuenum animis de hoc Sodalitio incessit existimatio, vt

religiosum, non proborum solùm adolescentum cœtum ingressi videantur: nec fas esse existimant, vllo lethifero crimine obstrictos in eo viuere. Sanctiore hebdomada humilitatis Christianæ munia, exosculandis pedibus Sodalium, aliisque id genus exercitiis obita, incredibili alacritate simillima certatim exposcentibus aliis. Certant in nos beneuoli maleuolique. Canonicus Halberstadiensis, perelegans & bene magnum phylacterium, ter venerando sanctissimi Corporis Christi mysterio seruando dono dedit, totum ex argento affabrè elaboratum, puroque auro dein inductum: centum nummis vncialibus æstimatur. credas diuinum numen ita immisisse, vt quo splendidius sibi in cælis compararet ædificium, hoc in terris æterno Regi constitueret. Nam fermè eodem tempore & hoc perfectum, & ille in gremio orthodoxæ Ecclesiæ vita piè functus est. Ornauit idem supellectilem librariam Alphonsi Tostati Abulensis operibus. Ciuis Catholicus sacra veste tota sacerdotem ad rem diuinam faciendam instruxit. Cùm ex nostris duo domum reuerterentur, in duos licentioris vitæ milites æneis fistulis instructos incidunt, quorum alter bombardam in eos exonerat præsenti cum periculo. Res mira, diuina vis vim glandis infregit. nam liquata & diffluens corium inter & pedem sub calcem hæsit: verùm noster facinoris testem non priùs aduertit, quàm se calceis domum reuersus exueret.

Collegium Embricense.

MITIORIBVS iam vicinorum animis vtimur, vt, si quando vsus poscat, liberiùs foras excurramus: singularis tamen Dei prouidentia in conseruando Fratre nostro apparuit, qui habitu alie-

no missus Coloniam, in hæreticos milites aliquoties incidit, a quibus etiam pro Ecclesiastico habitus; cùm ceteros pecunia mulctarent, illum intactum dimiserunt. Inierunt Societatem tres adolescentes, quorum vnus graues & diuturnas suorum tentationes euicit. Serenissima Ducissa Antonia singularem in Societatem præstitit beneuolentiam, seu Patre Rectore pro Collegij negotiis ad suum colloquium benignè admittendo, seu caussa nostra, quæ à grauibus aduersariis premebatur, ad procerum concilium prouehenda: nauique propterea aliquoties ipsamet ex arce in senatum descendit, & summo studio pro Societate egit. Gymnasij nomen & discipulorum numerus crescit in dies, parentibus ad filios mittendos vna bonæ institutionis & disciplinæ fama excitatis. Cùm de primario vrbis hæretico nuper eius cognatus quæreret, quò filium litterarum caussa mitteret, huc vt mitteret, suasit, quòd apud nos disciplinam florere diceret: per quam occasionem, cùm aliquot non integræ fidei se nobis erudiendos tradidissent, sociorum exemplo impulsi, sponte ad Ecclesiæ gremium transierunt. Inter discipulos laudem tulerunt Parthenij, quorum virtute viri quoque graues aliquot permoti, iis se adiungi voluerunt. Præter solita mortificationis opera, de quibus aliis annis, non solùm qualibet Quadragesimæ hebdomade, sed etiam in sanctiore coëuntes in oratorium, tribus ante Anastasim diebus, flagellis acriter sæuierunt in corpora: tertio die numerus eorum ad quadragesimum accessit. Post diuerberationem certatim nostro, qui præerat, ad genua aduoluti, aliam quamlibet pœnitentiam sibi imponi postularunt. fuit; qui vltro ad Sodalis genua, quē aliquando offenderat, allapsus humiliter sibi ignosci peteret, pedibusque

osculum figeret. Selectiores ex hoc numero lautum epulum die cœnæ Domini omnibus pauperibus Sodalibus instrui curarunt: quibus cùm ipsi ad mensam ministerium exhibuissent, omnium deinde pedes abluerunt, extersosque ore presserunt, pecunia insuper aliqua singulis donata. Præter indigenas, qui cùm reliqua anni parte, tum præcipuis solemnitatibus ad nos Sacramentorum caussa ventitant, externi quàm plurimi ex hæreticorũ locis omni ferè anni tempore huc se recipiunt, & animis suis à nobis præsidia quærunt. Hinc excipiuntur sæpè confessiones primæ in omni vita, frequenter multis annis intermissæ. Restituti Ecclesiæ aliquot; in his mulier Anabaptistis, quæ grandes liberos habebat baptismi expertes: iis primùm salutari fonte tinctis, ipsa quoque ad Catholicos per Pœnitentiæ Sacramentum adiuncta est. Adolescens à procaci puella importunè sollicitatus ad flagitium, eam verbis & pugnis abegit. Alius pudore impeditus confessionem violauerat. vnde cùm sibi flammam ex ore cerneret erumpere, salutis spem velut inferno destinatus, abiecerat; cumque quietem non concederet conscientia, latens venenum apud confessarium euomuit. absolutione impetrata, illicò viso liberatus est, omnique tranquillitati redditus. Mulier vehementi carnis tentatione appetita, simul confessione se purgauit, hostem contudit: reuertentem aliàs & grauiter infestum, signo crucis depulit, concussione parietum fugæ impetum indicantem. Frequens numerus eorum, qui remedii caussa aduersus morbos & veneficia toto nos anno implorarunt, multique per eam caussam Sacramentis expiati, dum corpori medicinam quærunt, animæ vulnera persanarunt. Infantes minimùm duo statim ac precibus Ecclesiæ

sunt

ſunt luſtrati ſoſpitatem receperunt. Iiſdem remediis ſæpè beſtiis præſenti ope ſubuentum. Quadam in domo cremor lactis ſubducebatur, at vbi aquæ luſtralis adhibita adſperſio, ſtatim ſublatum veneficium. Aliquot noſtris confiteri ſolitæ monaſticen amplexæ ſunt, quarum vna famulari obſequio dedita, precibus & pœnitentiæ totã ſeſe dabat, heramq; vt Sacramẽta vſurparet, pia fraude interdum fallebat. Quædam domo exſul, cùm in patriam reuertiſſet, à parentibus cognatiſque hæreticis grauia certamina ſuſtinuit; ſed nulla ratione ad deſerendam fidem impelli potuit, quin potiùs expugnato carnis & ſanguinis amore, parentes patriamque rurſus exilio commutauit. Alia item cùm ad defectionem ſollicitaretur, & indignis modis tractaretur, morituram ſe priùs reſpondit, quàm de fide dimouendam. Duæ lites, quarum altera inter fratres germanos, altera inter duos primarios ciues ad vulnera & cædem ſpectabat, noſtri ſacerdotis interuentu compoſitæ. Denique ſeu diſcipulorum, ſeu aliorum, qui à noſtris ad pietatem informantur, virtus in proximorum etiam ſalutem deriuatur. Nam ab his nonnulli ad fidem reducti, alij in eadem confirmati, multi ad confeſſionem diu neglectam inducti, multi ad colendam magis pietatem excitati. Eleëmoſynæ, quæ vt ſemper antehac, ita nunc quoque ad noſtrorum honeſtam ſuſtentationem liberaliter ſubmiſſę. Optimatum etiam ſiue domi, ſiue foris in nos beneuolentia conſtat: quin imò & hæretici fauorem iam in nos concipiunt: vndè vir vrbis primarius antea nobis inimiciſſimus, pranſus hoc anno nobiſcum, ſingularibus verbis longè quàm vnquam meliùs erga nos affectum ſe oſtendit.

Residentia Altenensis.

TVEMVR reliquias Catholicorum Altenæ, variè toto anno exerciti, nunc in spem ingressi confirmandæ tandē aliquando Residentiæ huius, nunc contrà de omni spe pænè depulsi. Erat Comiti Adolpho filius vnicus, quo immatura morte exstincto, breui exstinguendum iactabant aduersarij religionis Catholicæ exercitium Altenæ. augebant suspicionem nonnulli ex Prædicantibus, qui ideo fata adolescenti accelerata aiebant, quòd parens in sua ditione fineret Catholicos suis legibus viuere. nec deerant, qui eiusmodi terrores in aures ingerebant; non tamen idcirco animum contraximus aut dimisimus. Vixdum erat datum ad sepulturam corpus defuncti, quando supplicationem ad Comitem decernimus pro amplificando & stabiliendo exercitio, quod triennij periodo definitum, propemodum iam defluxerat. Detulerant eam D. mercatores Superiori Collegij Hildesiensis, vtpote propinquiori: qui adhibitis variis amicis, prece pretioque primò Comitissam expugnauit, deinde Comitem multo labore eò impulit, vt non tantùm triennij angustias laxarit, verùm & decreuerit concessum à se exercitium in duodecim tredecímve sæcula Catholicis extendere, adsignato etiam loco commodiore. at cùm iam in horas tam liberalis promissionis litteras exspectamus, ecce Comes vita fungitur, resque ferè confecta, de statu quo stare videbatur, ita deiecta est, vt conclamatum iam prorsus de nobis clamarent æmuli Sed vertit omnia Deus in melius: frater enim demortui Comitis cùm hereditatem adiisset, tantum abfuit, vt Catholicos Altena excedere iusserit, vt etiam potesta-

ſtatem fecerit exteris eò cōmigrandi, emiſeritq; litteras, quibus priuilegia iuraque in Imperio concesſa iis indulgebat, qui aliunde in ditionem ſuam concederent, & Altenæ ſtabilem ſedem figerent. Cùm tam procliuem Principis animum viderent D. mercatores, non dubitarunt eundem libellum ſupplicem, quem fratri adhuc ſuperſtiti exhibuerant, & ipſi offerre, vnà cum litteris Imperialibus ad fratrem datis, quas morte eius præpediti ipſi offerre non potuerunt. Accepit ſupplices humaniſſimè, factaque ſpe poſt exactos aliquot menſes, ſe votis ipſorum facturum ſatis, ornatos muneribus à ſe dimiſit, adſignatis vni, præter magnam lignorum ſtruem, decem quernis arboribus, quas commodiori domicilio nobis collocando applicaret. magna proinde ſpe ſumus, ſummæ totius rei breui feliciter conficiendæ. Dum ita toto anno pollicitationibus terroribuſq; fluctūamus, ſpicæ aliquot hinc inde collectæ. E concionibus & priuatis colloquiis vni patefacta via, qua in orbitam veritatis Catholicæ gradum referret, quam annis aliquot obſtinatè deſeruerat. ſacrum Euchariſtiæ Sacramentum centum & quinquagintaocto adminiſtrauimus, qui ex diuerſiſſimis nationibus conflati. Erat inter illos, quem longis carceris moleſtiis in Hollandia ita exagitarant Caluiniſtæ, vt pænè è ſtatu mentis hominem deieciſſent: retulit is à menſa Dominica aliquoties adita, & tranquillitatem animi, & robur ad grauiora pro veritate toleranda. Habebat idem affinem Hamburgi, qui metu perſecutionis adeò religionem veram pectore premebat, vt nullo planè exercitio exteriore eam apud Catholicos vel Lütheranos proderet, atque eam ob cauſſam natam ſibi filiolam iam anno maiorē, nuſquam ſacra lympha tingendam retu-
 lerat:

lerat : apud quem tantum effecit hortando, vt is excusso inani metu cum tota familia, se Catholicum fieri non erubuerit, filiolamque nobis baptizandam asportarit. Idem fecit vidua, quæ inter Caluini fæces degens iam in septimum annum distulerat filij baptismum. Et virgini in Dania inter infectas Lutherana lue in nobili gynecæo commoranti, vires suffectæ dum ad confessionis & Eucharistiæ Sacramentum huc recurrit. Habet Pomerania vnicum adhuc Catholicum, quem olim Ecclesiæ peperit Colonia, & Roma aliquamdiu in fide nutriuit: est is ludibrio omnibus ob religionem, lacerant illum è suggestis Prędicantes, vellicant & mordent summi infimique. Venit ad nos itinere quadraginta milliarium, confirmatusque colloquiis vltro citroque de religione & Christiana constantia habitis, lætior ad suos rediit; hoc vnum dolens, quòd longiùs à nobis disiunctus, rariùs possit Sacramentorum vsu contra antagonistarum tela animum munire. Dissidebant duæ familiæ Catholicæ insignes triennali odio, non sine graui multorum scandalo. inueterarat illud tempore adeò, vt in eo restinguendo varij operam luderent: vertebant nobis vitio aduersarij, quòd non adhiberemus medicinam vulneri, quasi in nostra potestate esset, quocumque luberet, ingenia & voluntates inflectere. Fregit ad extremum sacerdos noster, qui duriorem se semper præbuerat, accidens ad pedes, obsecransque vt modum iræ statueret. nec irritæ fuerunt preces, itum vtrimque in amicos complexus, non sine adstantium lacrymis. Subsecuta est hanc reconciliationem alia non ignobilior. Litigabat & iudiciis conflictabatur pater cum filio naturali, trahebat miserum filius legitimus (quo procuratore vtebatur parens) à tribunali ad tribunal, iam-

que

quę lite in quadriennium continuata ferè rebus omnibus exuerat. dolebant vtriusque sortem Catholici, quòd sanguine & religione coniunctissimi tantopere inter se digladiarentur. tandem domi nostræ lis omnis precibus decisa, & quidquid iniuriarum hinc inde intercesserat, prorsus obliteratum. Accessit hinc magnum decus domui nostræ, vt quam pro concionibus contentionis & rixarum antrum rabulæ mentiri solebant, eam pacis & concordiæ aulam alij dicerent, spargerentque plus valuisse binos sacerdotes, quàm tot doctores & aduocatos, qui fratres inter se, & à patre discrepantes, tanto sumptu componere nequiuissent. Catechesis contractior adhuc est; qui tamen eam obeunt pueri, præbent quandoque aliquod profectus sui specimen. Tributum etiam aliquantulum opellæ spiritalis monasterio virginum in Archiepiscopatu Bremensi: ad quas instituta exhortatio, explicataque ratio vitæ monasticæ: exceptæ dein exomologeses aliquot totius anteactæ vitæ, variique conscientiarum nodi soluti in religiosam disciplinam incidentes. Quàm grati fuerint hi labores nostri satis testata est auditorum in nos beneuolentia, quam crebris liberalibusque eleëmosynis sæpè demonstrarunt. Auxit vnus bibliothecam varietate librorum, quos ob doctrinam Catholicam iam Vulcano destinatos à flamma vindicauit, atque ex aula Archiepiscopali infecta in domum nostram transmisit. Locupletauit alter sacrarium quinquaginta daleris, adiectisque tabulis aliquot ingeniosè pictis altari eius plus splendoris attulit.

Residentia Aquisgranensis.

AQVISGRANVM Caroli magni quondam regia, eiusdem mausolęo, nobili Canonicorum Collegio, sacris reliquiis & miraculis visenda, Iuliacensi Ducatui, Belgio, Leodiis contermina, planitiem, fontium perennium thermarumque multitudine & salubritate amœnissimam complectitur. populus cultus & humanus, sed quia eò magna è Belgio Sectariorum colluuies confluxit, bonam partem hæresi deprauatus. ingenia iuuentutis præclara. In hoc agro messi tam oportuno, sæculo præterito à nostris vtiliter est laboratum, & secundò tentatum vt in eo sedem figeret Societas; sed impeditum ob hæreticorum potentiam & proscriptionem Catholicorum. Verùm hæretico Magistratu per edictum Cæsareum profligato, Catholici pristinis honoribus restituti nostros vrgente Pontifice vocarunt, hæreticis varia arte pugnantibus: nam & Catholicorum animos à nobis abalienare, & vicinos Status Hollandiæ in nos senatumque Catholicum concitare conati sunt, ab iis etiam litteras in Societatem acerbissimas, quibus vt quàm primùm vrbe eiiceremur à senatu postulabatur, impetrarunt. Sed irritos cōnatus & constantia senatus, & caussæ bonitas fecit. Quanto opere nostros Catholici expetierint, & publicis acclamationibus & priuatis gratulationibus ostenderunt. Exasperata hoc rerum nostrarum successu Sectariorum rabies acriùs sęuiit: verùm, quia aliud non possunt, intra calumnias, execrationes, libellos famosos, quos noctu subter limen domus nostræ etiam poni curarunt, illorum iræ hactenus constitêre. Reditus huius sæculi anno primo, adnitente Serenissimo Electore


Colo-

Colonienſi, à clero & ſenatu conſtitutus, non ſatis is quidem amplus, pro reipublicæ dignitate aut noſtra neceſſitate: ſed à ſenatu alieno ære oppreſſo, recente gubernatione, nondum bene coalita concordia, viſum eſt Superioribus noſtris nihil amplius exigendum; præſertim cùm litteris ad eoſdem miſſis, de reipubl. neceſſitatibus illos edocuiſſet. Habitatio ſenatus liberalitate attributa eſt commoda, optimo vrbis loco, ſenis millibus dalerorum æſtimatur. Senatorum ciuiumque in nos beneuolentia, prima illa non modò perſeuerat, ſed magnopere etiam aucta, primariis quibuſdam viris malè de Societate ſentientibus, expoſita noſtri inſtituti ratione & fine, conciliatis. Euchariſtiæ & Confeſſionis Sacramenta obeuntium numerus pro loci anguſtia & paucitate ſacerdotum fuit magnus. Scholæ, quas ſepteni tantùm octoníve inibant, primo ſemeſtri, numero ad centenarium creuere & præcipuè profectu & pietate. In rebus grauiſsimis intra & extra mœnia nos frequenter conſuluerunt, & conſiliis paruerunt: imò vix pedem in vrbe poſuimus, cùm à Prælatis, Parochis, Religioſis, aliiſque difficillimæ quæſtiones ad nos delatæ. In his illud memorabile. Mulier veneficij accuſata, bis quæſtionibus ſubiecta, crimen pernegabat: ſtatutum vt aqua, more multis recepto, probaretur. Conſul rem ad Patrem noſtrum refert: audito quod res erat, non licere, ſenatum facilè ab ea ſententia deduxit. Concio vna diebus Dominicis feſtíſque haberi ſolita magno ciuium concurſu & fructu. Catechiſmus non in templo modò habitus, ſed in ſcholas etiam triuiales introductus. Inimicitiæ plebeios inter & primarios viros ſopitæ, carceres aditi, adiuti rei. qua in re etiam ſuum de nobis iudicium ſenatus oſtendit: etenim a reſtituta re-

publica

publica cùm multo tempore iudicia capitalia fuissent intermissa; Senatus reorum qui ducendi erant, instituendorum curam ab aliis quibus hactenus id consuetudine tributum fuit, ad nos transtulit. Inter hæc tamen non desunt qui patientiam nostram exerceant, etiam ex iis à quibus consilium auxiliúmque sperare iure debebamus: sed eorum abalienationem pensat aliorum amor erga nos, maximè qui magno animarum suarum bono, tum domi nostræ, tum foris exercitiis spiritualibus vacarunt: speramus fore diuinæ gratiæ beneficio, vt & hi in proposito persistent, & illi tempore & nostra modestia mitigentur.

PROVINCIA AVSTRIÆ.



ROVINCIA hæc constat duodecim Collegiis, vna Domo Probationis, tribus Residentiis, & quatuor Missionibus; in quibus 428 Socij viuunt. Viennæ quadragintasex, Græcij septuagintanouem, Pragæ quadraginta, Olomucij trigintavnus, Selliæ septemdecim, Crumlouiæ viginti, Commotouiæ nouēdecim, Nouodomi quindecim, Labati quatuordecim, Glacij quindecim. In Domo Brunensi octoginta & vnus, Thurocij nouem, in S. Bernardo quinque, Milstadij sex, Lyncij duo, Cassouiæ duo, ac totidem in Dociana Missione. In duplici verò Transsyluaniæ Collegio, Claudiopolitano & Albano ac vna Missione Varadinensi vigintiquinque, præter P. Prouincialem & socium. Vita functi sunt hoc anno duodecim, in quorum quidem locum quadragintaquinque admissi sunt.

Colle-

Collegium Viennense.

COLLEGIVM Viennense Socios habuit hoc anno circiter quadragintaquinque, Patres quindecim, aliquando plures, reliquos partim iuuentuti erudiendæ, partim Philosophiæ audiendæ, partim domesticis negotiis destinatos. Vitam in laboribus Societatis posuerunt quatuor. P. Ioannes Klein, quatuor votorum professus, postremùm Viennensis Vniuersitatis professor Theologicus, vir certè solidarum virtutum, magnus imprimis sui contemptor, magno æstuans zelo animarum, indefessi in confessionibus audiendis laboris. qua de causa magnam sibi ciuitatis partem deuinxerat. Extrema hora eum non imparatum, vt speramus, offendit: præsagire eam videbatur, cùm aliquot antè horis quàm decederet omnes refocillationes respueret, innueretque earum se non ampliùs indigere, licet aliàs medicorum præscriptis esset vel obsequentissimus. Hunc ad meliorem vitam præcessit Gasparus Scherer, Coadiutor formatus temporalis. tantæ vir paupertatis, vt huius exemplo multi alij excitati frequenter fuerint, ad eam virtutem exercendam. Sententias pias vbicumque auditas suis accuratè accommodabat meditationibus, & passim resonabat. Tertius fuit Donatus Cærulus Coadiutor itidē temporalis formatus, Hungarico extinctus morbo vicesimoquinto anno ab ingressu Societatis, multùm charus ciuibus ex officio ianitoris, quod impigrè exequebatur. Tempus pænè totum quod à conuersationibus superabat, piis orationibus tribuebat. Hos subsecutus est Ioannes Lautterer, domesticarum rerum Coadiutor, phthisi consumptus, anno primo post absolutū nouitiatum,

decessit in ea, quam magno inibi feruore acquisierat innocentia. Cuique horum tres hinc ad nouitiatum successerunt: quippe duodecim in vniuersum fuere. Ex his tres arcularij, magister cum duobus famulis: qui cùm triennio templum nostrum affabrè factis sedibus, quæ hoc anno erectæ sunt, exornassent; tandem seipsos in arcas & templa Spiritus sancti obtulerunt. Hi obstinata hæresi infecti, dictum opus eo animo redemerant perficiendum, vt gloriari possent, se apud Iesuitas tanto laborasse tempore, absque vel minimo religionis detrimento. Sed plus eis euenit, quàm ab eorum asseclis prædictum fuerat: non solùm enim veram amplexi sunt fidē, sed & eam Religionem in qua primam veritatis lucem conspexerant. Statæ conciones binæ semper fuerunt, altera in templo nostro, altera ad Serenissimū Archiducem Matthiam: non rarò etiam in aliis templis, cùm in vrbe, tum extra vrbem. Etiam doctrina Christiana, non absque fructu continuata. In carceribus constitutis & spirituale & corporale auxilium magna alacritate præstitum. Ab hæresi per nostros absoluti 169. horum vnus à puero hæreticus, affecta iam ætate, in morbum inciderat diuturnum. tandem per quietem monetur, fidem Catholicam vt amplectatur, peregrinationem B. Virgini Cellensi voueat, fore continuò, vt valetudinem pristinam recuperet Simul atque votum fecit, rediit sanitas expetita. ante omnia ad Collegium nostrum se contulit, petiitque vt in fide Catholica erudiretur. quod non difficulter impetrauit. Ad vnam speciem reuocati quinque. Circa Pascha in templo nostro ad sacram communionem accesserunt 3600. Generales confessiones auditæ sexagintanouem. Quidam cùm ex nostro cōcionatore publicè intellexisset, peccata in con-
fessione

fesſione detegenda eſſe omnia; ſibi dictum putauit, qui à multis annis integritati cõfeſsionis non ſatisfeciſſet. quare continuò ad confeſſarium adiit: ſed proloqui cupiens vſu linguæ deſtituitur. cùm id iterum ſæpiuſque irrito conatu aggredi conaretur, ſacerdos noſter à Deo iubet petere auxilium, & quidem ipſe conceptis præit verbis: ſubſequitur pœnitens. Nec multa: redit vox confitenti, aperit vulnera, ſanatur non ſine lacrymarum profuſione. Quadraginta horarum orationes, pro felici belli Hungarici ſucceſſu bis inſtitutæ. Mahometanus abiurata perfidia ſacrum baptiſma in templo noſtro ſuſcepit Mœrorem & triſtitiam eorum, qui extremo ſupplicio afficiendi erant, ſolatio noſtri leuarunt: errores verò de fide ex octo maleficis priùs eiecerunt, quàm vitam ipſi amitterent. vnus qui innocens faciebat, ſacerdotis noſtri rogatu à morte ereptus fuit. Studioſorum noſtrorum, quorũ magna fuit frequentia, cùm pietatis, tum eruditionis ſingulare eluxit ſpecimen. horum trinæ Congregationes magna animi deuotione & pompa feſta crebra celebrarunt: non pauci ex iis voluntariis verberibus in propria corpora ſæuierunt. Dialogos exhibuerunt hoc anno aliquot: quorum duos cohoneſtarunt Sereniſsimus Archidux Matthias & Illuſtriſſimus Dux Mercurius. Vno alio tempori accommodato & perſonæ Illuſtriſsimus Marchio Gonzaga, priuſquam in ſuperiorẽ abiret Hungariam, exceptus fuit. eodem die quadrageſimale prandium in refectorio noſtro ſumpſit. Declarauerat idem prolixè & antea pietatem ſuam, cùm in feſto Purificationis B. Virginis publicè in æde noſtra ſacra inter ſtudioſos de Congregatione eiuſdem Virginis, habitu ſui Ordinis indutus communicaſſet. Etiam Angelica iuuentus Angelorum

formam

formam imitata in Natalitiis Christi Domini, ter suas actiunculas immutauit, tanto cuiusque modi hominum accursu, vt templum nostrum satis alioqui capax omnes nequaquam admitteret. Celebritatem Corporis Christi tanta multitudine epigrammatum, emblematum, orationum studiosi adornarunt, vt locus ad hoc destinatus angustus nimiùm videretur: ad ænigmata dissoluenda, & orationes prælongas perlegendas, spectatores prouocati. Cùm Dux Mercurius grauissimo post primam expeditionem afflictaretur morbo, & iam medicorum industria non inueniret quid præscriberet amplius, & precum etiam publicè pro salute eius fusarum vis nondum appareret; tandem ad B.P.N. Ignatij asylum confugit, sacram eius nimirum subscriptionem. adfuit continuò diuina virtus, qua breui pristinæ restitutus est sanitati: dum adhuc nonnihil ex ægritudine langueret, ipse cum summa grati animi significatione nominatam subscriptionem ad Collegium nostrum referre voluit, quo die & confessione animum expiauit, & sacra communione refecit. Sub idem tempus litteræ ex Galliis perlatæ sororem eius Reginam Henrici Regis defunctam, denuntiabant. Nemo aulicorum litteras Principi monstrare audebat: communi omnium consensu post dies quatuordecim litteræ nostro sacerdoti Ducis confessario traduntur, vt eas ipsi offerat. quod ille ita præstitit, vt prius sermone sat longo de rerum humanarum instabilitate viam ad id sibi muniret. immortales egit Dux gratias Patri, quòd tanto consilio suæ vitæ periculum nouum amouisset. Si enim ex improuiso de sororis vnicè dilectæ obitu certior factus fuisset, seipsum ex nimio dolore in viuis non diu superstitem aiebat permansurum. Ad castra etiam Vngarica

rica non priùs se contulit, quàm à nostris studiosis periucundo carmine salutaretur, & apud nos pranderet. Vbi ex bello Alba regali recuperata, triumphans rediit, nihil prius habuit, quàm vt templum Collegiumque nostrum inuiseret. Ita Princeps humanissimus nostros amplectitur, vt maiori gaudio & recreatione exhilarari nequeat, nisi ipsis assiduò adhæreat. Non absimile patrocinium mercator quispiam solus propemodum in tanta frequentia Catholicus, B.P.Ignatij persensit. conclamarant iam tres præcipui medici de sanitate, de vita. Accedit noster sacerdos sub noctem hominem, suadet vt subscriptionem B.P.N. Ignatij admittat: paret consilio, statimque meliusculè habet. Postridie reuertuntur medici, mirantur tantam valetudinis emendationem. Non ita multò pòst, fine aliis medicinis mercator integras vires recepit, magnificè B. P. Ignatij virtutem commendando. Eadem inscriptione maiori è discrimine liberata fuit vna aliqua mulier, hæc partui vicina dies sex & auditu & visu, & verò etiam loquela destituta iacuit. Appensa est ei B. P.N.Ignatij subscriptio, & ecce continuò peperit feliciter, recepitque sanitatem amissam. Duo sacerdotes nostri pro solatio & auxilio spirituali in Cellensi peregrinatione à Baronibus nonnullis impetrati fuerant: dum verò in summa essent attentione concionis de pœnitentia, ecce tibi strepitus in recens erecta pergula ob frequentiam hominum excitatur. mox fuga fit è templo tanta, vt plurimi in porta conculcarētur. accurrunt nostri, & iamiam quatuor eorum qui vitam expiraturi erant confessiones subitaneas excipiunt, non citra magnam sacerdotum reliquorum admirationem. Duæ à flagitiosa ad honestam vitam traductæ. Aliquot etiam fœda contubernia in legi-

tima matrimonia commutata. Pax inter discordes nostrorum suasu coaluit. Ab esu carnium die sabbati nonnulli abducti. Virgines duæ nostrorum vsæ cōsilio Religioni sese consecrant Aduenit ex liberalitate cuiusdam vinea Collegio, non quidem adeò ampla, commodo tamen sita loco. Tandem post toties ampliatam caussam, hoc anno domus illius possessionem accepimus, quæ sola ex insula nostra, nescio quanam emptione abalienata erat.

Missio Castrensis.

VNVS è Collegio nostro cum Socio alterius Collegij fuit in castris Vngaricis ad Albam Regalem Serenissimo Archiduci Matthiæ à concionibus. Priusquam Vienna abiret Archidux, supplicationem ad princeps D. Stephani templum instituit, in qua & sacerdos noster concionem pro tempore habuit, commendans & Serenissimum Archiducem, & totum exercitum piis auditorum precibus. Diuinis officiis finitis, statim eadem hora, alacres omnes & hilares contra hostem descenderunt. Animaduersum postea illa ipsa hora qua Viennæ Deo supplicabatur, Albam Regalem quam impiè per quinquagintaocto annos possederant, per Illustrissimum Ducem Mercurium Turcis ereptam fuisse. Iaurini Archidux præuia de more confessione, sacra sese Eucharistia contra omnem vim hostilem muniuit, antequam castra ingrederetur. Et certè adfuit diuina virtus pio Principi: nam paucis pòst diebus, tanta hostium multitudine circumuallatus cùm esset, vt euadendi spes nulla affulgeret; Illustrissimo Duci Mercurio dat negotium, vt pugnæ copiam hosti omnino offerat. Quare mox instructa acies, collata

collata signa, cum tam numeroso Turcorum exercitu, vt nostri primo congressu pedibus hostium proterendi viderentur. Verùm cùm pietas ad omnia sit vtilis, tum certè in illo ad triduum continuato conflictu vel vtilissima apparuit, tum Principum, tum aliorum qui Dei sese gloriæ deuouerant. Concionator noster magnos addiderat animos militibus Christianis, minoris ducendam præsentem vitam, quàm gloriam vnius Dei. Tandem hostis magnam passus suorum cladem decedere coactus fuit. Nostri interea ægrotorum sauciorumque confessiones audierunt: iis sacram Eucharistiam quoties occasio fuit præbuerunt. Hæreticis militibus, eorumque Prædicantibus cõciones nostri sacerdotis magis quàm Turcorum tela terrori fuerunt. In Alba Regali per nostrum Patrem templum expiatum, diligenterque cautum & prospectum per Archiducem, ne qua accessio ad eam vrbem hæreticorum colluuiei pateat. Aliquorum Christianorum corpora terræ mandata fuerunt, eleëmosynis nostrorum in hunc finem collectis. Ex quo loco Archidux ad bellum profectus erat, impetrato auxilio diuino, ad eundem, nimirum diui Stephani templum, Viennam cum triumpho repetens, priusquam ad aulam reuertit, solemniter pro tanta victoria Deo egit immortali gratias & debitas & meritas.

Missio Lincensis.

GRAVIBVS hoc anno Lincij obiecta fuit periculis Societas nostra: nobilitas enim hæretica odio & inuidia inflammata, acerrimè nomen eius apud Cæsaream Maiestatem detulerat, quòd nimirum sedem in ipsa Cæsaris arce fixisset; quòd inde velut ex edita specula Austriam Superiorem

gubernaret vniuersam; quòd Præses prouinciæ, eiusque Vicarius penitus ex Iesuitarum consiliis penderent; quòd regimen introduceretur Iesuiticum, quo necesse esset perire totam regionem, nisi maturè tantis malis occurreretur. Sed cùm dudum laterem lauissent, remedium à vi & fraude petierunt, Prædicantes iniussu Imperatoris in vrbem reuocarunt. hi continuò populum vacillantem confirmare, à nostrorum & congressu & concionibus deterrere. omnia susque deque vertissent, ni edicto iterum Cæsareo exturbati fuissent. Clàm noctu per mænia dimissi multum apud suos fidei amiserunt, à quibus se, nisi morte diuellendos vanè iactauerant. Ea de caussa caternatim rursus ad nostrorum conciones adire cœpit omnis generis plebecula. Ex perfidiæ tenebris ad fidei lumen translati hoc anno 50. Hos inter fuit homo rusticus, sed prædiues, dux & concitator tumultus rustici annis superioribus. post diuturnas concertationes victas nostris dedit manus. Vnde gratia ei facta vt mortuus capite priùs amputato in quatuor secaretur partes, quod supplicium viuo aliàs debebatur. Is vulgò Papa seditiosorum rusticorum Lutheranorum appellabatur. quare abiit in prouerbium, à Iesuitis Papam Lutheranorum rusticorum Catholicum effectum. Confessiones tempore Paschali auditæ 108. In festo Pentecostes sub altera tantùm specie ad sacram communionem adierunt centum. Multi libri hæretici nobis dono venerunt. Prospectum nostrorum operâ puellis ciuitatis de Catholica vidua, magistra in arte legendi, scribendi, & acu pingendi. Spes est sensim ita eis Catholicæ fidei rudimenta instillatum iri. Serenissimus Archidux Matthias Beneficium quoddam Sanctissimæ Trinitatis Societati attribuit. est domus vna

&

& ecclesiola cum aliquantis redditibus. subditi qui eò spectant viginti & vnus, rustici iuramentum quod vocant fidelitatis Societati præstiterũt.

Collegium Selliense.

SELLIÆ fuerunt Socij quinideni, sacerdotes quinque, artium professores totidem, par Coadiutorum numerus. At ex primis in debellandis Ecclesiæ hostibus nostrorum domi forisq; enituit industria. Argumento est quòd à stipendiis hæreseos, ad signa Christi centum quinquaginta traducti sunt. Vnius eorum quoniam rara & perillustris extitit conuersio, reddam pluribus seriem facti. Is erat è Prædicantium lustro vnus, qui temulento Lutheri spiritu instructus in diuersis locis Vngariæ decennio pro exedris pestem animis auditorum inhalabat. iamq; luctuosa animorum strage edita in vicinia nostri opidi, atque adeò in familias colonorum nostrorum vnà cum auctore tanti mali contagio sese infuderat: cùm accidit aliquando vt noster à catechismo quem in pago habuerat, rediens, ille à concione quam in aula viri nobilis dixerat, diuertens, vterque sibi occurreret. quo occursu inita sunt notitiæ primordia, postmodum itum ad ipsum semel, iterum in pagum, & concertatum. ibi admotis diuini verbi facibus nonnihil eius cordis liquata est durities, atque adeò impressi conscientiæ Prædicãtis scrupuli, quibus cùm dies noctesque pungeretur, vltro in Collegium veniens manus dedit veritati: seque Romanam Ecclesiam velle amplecti testatus est. At verò constantia animi vt esset in conuersione illustrior, placuit in sextum mensem sacram exomologesim peccatorum, professionemque fidei Catholicæ proferre: interea temporis

Prædicans in ſuo pago de Lutheri ſpiritu remittere, fidei Catholicæ ſemina in vulgus iacere, à noſtris etiam fidei myſterijs imbui, mox, vt fit, ſuis ſuſpectus eſſe, tum ædem noſtram propalàm adire, ſubinde etiam cum vxore & filiolo concionibus (hæreticis licet frementibus) magno cum pietatis ſenſu intereſſe, minas Haidonum cædem ſibi minitantium floccipendere Ita ſollicitudine impiger, ſpiritu feruens, tandem feria quinta Paſchatis, in templo noſtro, in gremio Eccleſiæ repoſitus eſt, tanta ordinum vtriuſque ſexus frequentia, vt multitudinem parietes templi continere nequiuerint: quibus ipſe, omnium attentis auribus & animis, ita ſuſceptæ à ſe fidei rationem ſpatio vnius horæ & mediæ patrio ſermone concionabundus reddidit, vt cunctis & hæreticis præ ſtupore attonitis ſuſpiria & lacrymas extorſerit, pollicitus etiam rationes ſuæ conuerſionis pro tempore copioſiùs edendas. Itaque conuerſionis ſuæ cauſſis ad populum explicatis, idiomate Vngarico, quo populus intelligeret clariſſimè, ardentiſſimè atque adeò toto pectore profeſſionem fidei Catholicæ proclamauit, & denique à Reuerendiſſimo Domino D. Franciſco Forgatz Epiſcopo Nitrienſi cæleſti pane refectus eſt. Res noua & nobilibus hæreticis, qui dolo bono à viris Catholicis tamquam comœdiam ſpectaturi in templum eo die acciti fuerant, inſtar prodigij viſa. muſto plenos diceres è templo abiuiſſe, ſed muſto diuini verbi Mouit itaque doctoris factũ diſcipulorum animos, ſuoque exemplo labefactauit pertinaciam plurimorum, euertit multorum. Ceterùm huic toti actioni concionator noſter è cathedra in qua velut præſes aſſidebat, epilogum impoſuit. Matutinam actionem pomeridiano tempore Ioſeph triumphans è carcere in
theatrum

theatrum eductus excepit. Pannonico sanè cultu, aulæis belluatis, peristromate Turcico & more gentis versicolore pantherarum pelle, tubis tympanisque bellicum sonantibus, sex propemodum horis incredibili omnium visendi studio: vtpote rem nouam celebratum drama, grataque omnium spectatorum admurmuratio studiosam iuuentutis actionem excepit. Id etiam prope temporis, vna feminarum ad loquendum proiecta, ad resistendum ferrea, vtpote quæ biennium oppugnationem nostrorum instar durissimę cautis sustinuit, & cuius impulsu maritus (qui tamen supremum diem catholicè confecit) ferè orthodoxæ fidei naufragium fecerat, hæresim detestata est, prioris facti profusis lacrymis crebrò rigans duritiem, tantumque specimen pietatis exhibet, vt facem religionis aliis præferre videatur. Fuit & altera, quæ materno ex vtero hæresi scatens, ferrea itidem repugnandi libidine, ad omnes diuini verbi impetus rigebat: verùm vt primùm grauissimo infirmitatis verbere attrita fuit, cessit rigor cordis, flagellanti Deo. Votum igitur præpotenti Deo suscipiendæ Catholicæ fidei, si pristinæ sanitati reddatur, nuncupat. Res mira, è vestigio ægritudine depulsa conualescit, illa nil morata totius vitæ fuliginem hæresi eiurata detersit. Quidam etiam genere Christianus, sed professione Turcus, impia Mahometi superstitione repudiata ad sanam mentem rediit, riteque flagitiorum sordibus expurgatis, apud Patres se inuenisse salutem gauisus est. Lustrata hoc anno confessione sunt vndecim millia capita. Horum qui totius vitæ noxas Pœnitentiæ Sacramento eluerunt, fuere sexagintaquatuor Catholici: sed numquam expiati extitere quadragintaseptem, nonnulli à pluribus annis non confessi. Femina cùm lethalem

animi tabem taciturnitatis velo celare obfirmasſet, in abyſſum deſperationis corruens, duobus liberis per ſummum ſcelus guttur elidere ſæpiùs attentauit. Verùm, quæ Dei eſt miſericordia, in ſomnis per viſum ad ſpem ſalutis erecta reſipuit, vitæque retro actæ ſceleribus, Magdalenæ inſtar profuſo lacrymarum imbre dilutis, ſe ex mali dæmonis faucibus ereptam agnouit, iamque vitam cælo dignam inſtituit. Nec reticēdus hîc eſt quarundam matronarum pius ardor & ſalutis ſtudium, quæ ſumma cum laſſitudine corporis, dierum aliquot itinerū moleſtiis deuoratis, luſtrandorum animorum cauſſa contenderunt ad nos; effectæque Sacramentorum compotes, cæleſti gaudio, & quodammodo gloria perfuſæ ad patrios penates reuerterunt. Illud pænè miraculum. accerſitus ſacerdos ad ægrum ægrè loquentem, elinguem planè ac mutum reperit, rogitat in aurem inclamans, velítne confiteri. annuit ille, iuſſis recedere aſtantibus, confitetur per ſigna cumque iam nihil dicendum quærendúmve ſupereſſet; ecce tibi lingua muti ſoluitur, & quæ per ſigna, eadem viua voce nec plura, nec pauciora, nec aliter confeſſus eſt. Simile quid, haud ſcio an non maius, in alio Sacramento Pœnitentię patrauit. cùm enim quidam lumine oculorum altero ab incunabulis captus eſſet, per confeſſionem & mentis pariter & oculi depulit cæcitatem. Mouit vterque caſus admirationem, & pleriſque ſparſo rumore confeſſionis religionem incuſsit, atque ad illam obeundam accendit. Illud etiam commemorare lubet, ex quo piacularis aquæ vis magis ac magis eluceſcat Cùm enim vnus è domeſticis acerrimo identidem dolore capitis pungeretur, neque remiſsionem dolor, ſed incrementum in horas ſingulas caperet; ſpei plenus, conſultoque

fultoque suppliciter Domino aqua lustrali signat loca doloris. quo facto ita euidenti auxilio recreatus abscessit, vt dolor non ad tempus laxari, sed fugari & prosterni tam salutari remedio videretur. Pecuniæ dolo malo acquisitæ ad suos dominos redierunt. restinctis odiorum incendiis pax & amicitia inter nonnullos firmata. Porrò in subleuandis egentium miseriis, nostrorum vt anno superiore extitit liberalitas, propemodum sex menses. pauperum vis tanta fuit, vt singulis ferè diebus centenorum capitum summam excederet: non quòd vsque adeò fame in opido laboratum sit; sed quia ex finitimis pagis quicquid egentium fuit, à suis omni spe subleuandæ penuriæ destituti ad Collegium nostrum, tanquam ad certissimum inopiæ asylum confluebant: in quorum etiam vsum quinquaginta modios frumenti Reuerendissimus Episcopus Nitriensis contulit. Neque verò egenorum modò corpora cibariis, sed etiam animi ciuium oportunis adiuti sunt subsidiis. Multa sancita in eos qui Dominicis & festiuis rei diuinæ & concioni non interessent. Et ne quis ciuium ex æde sacra se furtiuè subducat, valuis cœmeterij bene obseratis, antè singulorum capita, quæ in album relata sunt censentur, quàm eis domū abeundi potestas fiat. ibi si cuius ignauia vel fraus deprehendatur, pauper quidem suam pellem, diues multam dependit. quæ certè ratio compellendi ex voto hactenus cecidit. Ad finitimos etiam opidi pagos, Dominicis & festis excursum est: quam prouinciam scholarum magistri summa animorum alacritate obeunt. ita opidum concionibus, pagi catechismo personant: idque non sine maximo paganorum emolumento. Nam cùm eorum in vno pago per summam licentiam conuiciandi & maledicendi barbara pas-

ſim graſſaretur libido; noſter pro cõcione aliquot vicibus enormitatem peccati in oculis ac mentibus eorum defigens, adeò ruſticæ plebis animos contra intemperãtiam linguæ coërcendam commouit, vt ſponte conſentientibus omniũ voluntatum ſententiis decreuerint, ſi quis in poſterum conuitioſum aut maledicum verbum effutiuerit, ſemel quidem, iterum ac tertiò deprehenſus cippo incluſus fuſtuario ſubiiciatur. ceterùm deinceps reus factus ſceleſtæ linguæ quatuor florenorum multa luat ſupplicium: is autem, qui blaſphemantem audiendo non detulit, duplum multæ nomine perſoluat. quod iuratorum conſultum ipſis vrgentibus Reuerendi P. Rectoris auctoritate ſtabilitum & confirmatum eſt, tantumque pauoris paganorum mentibus iniectum eſt, vt vulgò etiam in agris & paſcuis, ne quid ex ore blaſphemi verbi excidat ſummopere caueatur. Iam quod ad ludum litterarum attinet, licet parentes, vtpote inueterati dierum malorum Caluiniſtæ, quorum Deus boues ſunt, deſperati eſſe videantur; in magnam tamen ſpem adducimur fore vt ex paruis eorum Quiritibus, quos ſtudiis litterarum & pietate imbuimus, ciuitas olim Catholica exurgat. Magno igitur Thurocij emolumento in hos latè fuſos Selliæ campos ſcholæ tranſlatæ ſunt, quæ florenti Hungarorum pube & quadam viuacitate ingeniorum luxuriãt: quibus nihilo minùs litterarum quàm pietatis officium cordi eſt. pietatem teſtatur creber ac pius Sacramentorum vſus, vt taceam quòd ex illorum corona quatuor optimæ ſpei adoleſcentes hoc anno in Societatem noſtram adſciti ſint, plures etiam dare nomina geſtiunt. eorum in litterarum ſtudio cùm aliàs dramate triplici, tum maximè in ſolemni Euchariſtiæ ſupplicatione emicuit ingenium:

nium:

nium: quo tempore parietes templi à vertice ad imum omni carminum varietate hieroglyphicis, emblematibus, gryphis, ænigmatibus conuestiti pulcherrimum indolis & eruditionis specimen præbuerunt, tantumque splendoris, vt ad pascendas mentes & oculos intuentium integro circiter mense hæc gymnasij aulæa in templo sinere debuerint. Auxit celebritatem diei Reuerendissimi D. Episcopi Nitriensis præsentia: qui Sacramentum Venerabile stipatus Canonicorum choro, & latera sclopetariorum ordine circumfusus præeunte, in nouem acies ordinato Angelorum exercitu, intermicantibus vexillis, fidibus cymbaloq; resonante, per plateas opidi circumtulit. ita lucem illam eximio cęremoniarum, symphoniarum dialogismique Hungarici apparatu peregimus. Sacrum instrumentum amiculo pluuiali, vmbella opere damasceno auctum, & vexillis multicolori serico fluentibus. Porrò nostrorum ardor neque parietibus domesticis, neque ambitu ciuitatis contẽtus, in partes remotiores erupit. Excursum, inquã, ad magnificæ Dominæ Palfiæ opida duo, quę plusquam virili ausu negotium religionis aggressa, subditorum obfirmatos in hæresi animos, cùm secus non potuisset, squallore carceris, fame sitique denuntiata, etiam omnium bonorũ iactura reluctantibus, ita fregit, vt omnes se Romanæ Ecclesiæ potestati permitterent, vno excepto, qui solum vertere, patriisque bonis exui pro fide Lutheri maluit. Itaque op.dum (Zrecho) pænè totum Sacramentis à nostro sacerdote expiatum est Extitit inibi quidam, qui, quòd sub vna specie Eucharistiæ Sacramentum percepisset, tanquam concepto grandi piaculo adeò scrupulis angebatur, vt ei tam prauam opinionem nulla vi sacerdos noster ex animo euellere potuerit. pòst paulò

ægri-

ægritudine miser correptus, desperatione corporis & animæ agitari cœpit, repudiatoque nostro Parochum aliunde aduocat, confitetur, vtramque speciem extorquet; præbetur. dein subitò tremere, concuti, oculos vibrare, sic se attollere, in impiasque voces prorumpere: Actum, conclamatum est, damnatus sum. non tamen infelicem spiritum exhalauit, sed miserante Deo corporis sanitati restitutus, animæ pariter hæresi abiurata recepit. Nonnemo ibidem repertus est, quem cùm diu multumq; precibus & minis sacerdos noster ad peccatorum exomologesim hortatus nequidquam fuisset, Deus paralysi percussum ad salutare consilium capessēdum impulit. Huius opidi tam felici progressu, magnifica Domina Palfia admodum læta, ad aliud opidum iisdem machinis expugnandum progressa fuit. Verùm ciues antequam tormenta exponeret aliorum edocti malo, omnes voluntariè in deditionem fidei Catholicæ concessere. ita de vtroque opido citra sanguinem terrore dumtaxat pœnarum intentato, vna virago, adminiculo nostri Patris bina victoriæ trophæa reportauit. Transeo cum eodem Patre ad Commoronium, quem magnificus Dominus à Molardt Austriacus eiusdem præsidij Capitaneus omni genere humanitatis & beneuolentiæ excepit; eique totam arcem, atque adeò se coniugemque suam (tametsi monachum in aula sua haberet) lustrandum præbuit. ibi arcis Secretarius hæresim multorum bono exemplo abiurauit. Dubius in fide vnus confirmatus. Adulter repudiata pellicis cōsuetudine ad honestam vitæ rationem adductus. Est aliud spectans ad Missiones. Cùm Reuerendissimus Nitriensis, qui totus noster est, diœcesis suæ visitationem instituens, vnum è nostris à Reuerendo P. Prouinciali, qui adesset expetiuis-

petiuisset, fuit missus certus vnus: cuius consilio primùm constitutiones Capituli Nitriensis non sat firma lege & probata auctoritate, ad canonum potissimumque Concilij Tridentini normam recusæ, correctæ, confirmatæ & stabilitæ sunt. Fuit animus reliquarum Ecclesiarum visitationē cum eo prosequi; sed cœpto negotio temporū belliq; iniuria intercessit. Officium eiusdem Patris fuit Nitriæ festis ac Dominicis diebus conciones ad populum habere: quibus multi in religione Catholica vacillantes confirmati, plerique ab hæresi abducti sunt. Enimuerò nostrorum in proximorum salutem incumbentium ardor, non Hungariæ solùm Inferioris viciniam peragrauit, verùm etiam Superioris Pannoniæ fines ingressus, non pœnitendos inde fructus retulit. Missi enim sunt è nostris cum Illustrissimo Generali Ferdinando Gonzaga Cassouiam sacerdotes duo, tum vt ipsi Generali aulæque suæ à confessionibus essent, ceteraque spiritualia ministeria obirent; tum vt miseris ciuibus cæcitatis nube inuolutis, caligine errorum discussa lumen veritatis accenderent. Ad diem igitur Agno Paschali sacrum, quò vel tepidis ardor, vel cunctantibus stimulus subderetur Catholicis, Illustrissimus vnà cum aula publicè, nostro sacerdote cælestem hostiam immolante, pane cælesti refectus est. Insuper in festo Pentecostes summi Pontificis gratia & liberalitate Indulgentia plenaria per modum iubilei Illustrissimo aulæque suæ ac sibi subiectis impartita, non aulam modò, verùm etiam multos alios ad Confessionis Eucharistiæque Sacramentum incitauit. Inde consecuta est animorum magna commutatio: permulti à decem, alij à viginti & eo amplius annis intermissum confitendi vsum reuocarunt. De tota etiam vita confessiones auditæ

non

non paucæ. ex hæreſeos peſte vindicati ſeptem: & denique ſuperſtitionis Mahometicæ mulier vna ſalutaribus vndis abluta Chriſto nomen dedit. Quid? quòd conciones ad populum habitæ ſunt duæ, idiomate Hungarico mane, Germanico pomeridiano tempore. & quia diuini verbi pabulo a Catholico ſacerdote Germani hactenus Caſſouiæ refecti fuerant numquam (præterquam cùm Sereniſsimus Maximilianus illic moraretur) hinc factum eſt, vt, ne verbo Dei, vt ipſi dicebant, deſtituti fame omnino emorerentur, ad hæreticorum haram, quò ſiliquis eorum explerentur, frequenter venire conſueuerint. qui tamen ad ſaniorem mentem reuocati ad ouile Chriſti redierunt. Data etiam ſunt ſpiritualia exercitia, odia inteſtina ſublata, adiuti morituri. Nec verò ibi nulla Catholicæ pietatis ſcintilla emicat: ſunt enim nonnulli qui in illo ſqualenti alioquin hæreticæ ciuitatis ſolo noſtræ Societati domicilium quo pacto erigi poſsit, moliantur & cogitent; ſed ab hoc hæretici valdè abhorrent, qui ſuæ farinæ homines congreſſu noſtro interdicunt. Ludimoderator quidam ad nos ſæpè ventitabat, iamque eò deductus fuerat, vt propalàm fateretur ſe de ſuæ religiónis veritate vehementer addubitare; cùm ecce Prędicantes hominem inuadunt, & primò quidem priuatim, mox etiam publicè, adhibita Magiſtratus vi oppugnant, à noſtro colloquio, aditu arcent, grauiſsima quæque denunciantes. Sed ne hilum quidem profecerunt. pergit enim vt cœpit. Prædicantium colloquium & concertationes de induſtria hìc vitarunt noſtri, vt principiis ad quietem compoſitis facilior vlteriùs progrediendi eſſet facultas; caſu tamen cum eo qui illuſtris inter hæreticos plus ſapere videbatur, colloquium fuit. Is cùm multa, quæ hæreticũm

obeſæ

obesæ naris esse arguerent, effutiret, nihilominus ne se victum fateretur, ea probaturum recepit: verùm scripto oblato meras nugas nugacissimus homo attulit. putidus error fuit: quem cùm nec ipse negare posset, dum vrgeretur, respondit se, licet id falsum sciret, tentandi nostri caussa proposuisse, vt videlicet experimentum caperet, num extra breuiarium quippiam aliud scirent Iesuitæ. Modestum quidem, sed tale respõsum tulit, quod illum cogeret obmutescere. Nec verò Illustrissimi solùm Generalis religio in Deum, in nostros mira humanitas extitit; sed etiam quorundam nobilium pietas summa enituit, non modò in restaurandis sacraque supellectile (quæ multis centenis daleris æstimatur) exornandis ecclesiis; sed etiam in ope ferenda subditis, ad quos ipsimet deficientibus Catholicis sacerdotibus verba faciunt, Postillas prælegunt non sine magno animorum lucro. Hoc ipso anno Deo æquitati fauente, per Cęsareos commissarios & iudices regni milliare & medium Hungaricum, hoc est decem bona milliaria Italica optimorum pascuorum & plurimarum piscationum, à pluribus annis per iniuriam Præposituræ Thurociensi erepta, tandem nobis adiudicata fuerunt.

Residentia Thurociensis.

QVINQVE sacerdotes, & quatuor Coadiutores Socij Thurocij fuimus hoc anno. Ex his tres sacerdotes totius territorij Præposituræ Thurociensis populum quatuor in templis diuina docuerunt; hac ratione, vt vnus duobus in templis medio milliari ab inuicem distantibus, duo alij singuli in singulis verbum Dei populo festis diebus & Dominicis ex cathedra proposuerint, iidemque

demque rationes vitæ secretiores ab omnibus acceperint Nec fructus laborem fefellit; subditis in officio Catholicæ fidei conseruatis, plerisque etiam externis adiutis. Sex personæ errantes in ouile Christi reductæ: in quibus fuit vnus, qui graui morbo correptus, dimoueri se à Lutheranismo nulla ratione patiebatur, etiamsi pereundum esset illicò. se Lutheranum esse, se cum Lutheranis tenere, viuere, & mori cum Lutheranis velle clamabat. Cùm verò quæreretur ex obstinato, quid crederent Lutherani, se nescire dicebat: se non dubitare tamen Lutheranos verã fidem habere. Cùm instrueretur de fide Catholica, auerso vultu respondebat, se Lutheranum velle viuere & mori: nihil secum profici. Hortabantur hominem familiares vt sacerdoti morem gereret. perstitit in sententia infelix. Quare cùm verbis nihil proficeret, & periculum a morbo misero homini immineret; commendat eius salutem Patrum & Fratrum orationibus. Postera luce peracto Missæ sacrificio in eum finem redit ad ægrum. Is diuina virtute mutatus primo verbo sacerdotis, ad omnia se paratum esse respondet. Itaque detestatus Lutheranismum, fidem amplexus Catholicam, Sacramenta Ecclesiæ ritè percepit, & quarto die statione vitæ decedens, ad pastorem animarum nostrarum abit. Totius actæ vitæ pondus deposuerunt apud nostros sacerdotes duodecim. Non pauci ex locis remotioribus ad nos præcipuis anni festis venerunt; quòd eis non esset copia sacerdotis Catholici domi. In his fuit magno genere matrona, quæ quatuor milliaria conficiens vna comitata pedissequa, saluti suæ magna pietatis significatione consuluit. Eadem æstate cum marito Lutherano, si qua ratione illum conuerteret, templum nostrum inuisit. Nec minorem deuotionem

ostendit Generosus Dominus Matthias Ostrosits sex milliaria via difficili niuibus per altissimos montes emensus, & ad Natalitia festa, & ipsam Paschæ solemnitatem, apud nos cum suis famulis Catholicis Sacramentis diuinis refectus. Quo tempore à sua sorore virgine nondum Catholica insigne velum attulit, & ornamentum sacerdotale Viennæ comparatum octogiuta daleris templo nostro donauit, & Selliensi Collegio centum daleros Argumenta maiora liberalitatis ostensurus, si non in conflictu ad Albam Regalẽ pro patria fortiter contra Turcas dimicans 12. Octobris occubuisset. felicior in ipsa morte, ad quam eodem die ante congressum apud vnum è nostris de peccatis confessus, ab eodem pane Angelorum sumpto, sese comparauerat. Solicitus erat iam aliquot annis, qua ratione subditos suos ad Ecclesiæ gremium reuocaret. Ter magno subditorum prædiorumque nostrorum nonnullo damno militares copias in Transsyluaniam proficiscentes ad bellum in opido pagisque Societatis Thurocij hospites habuimus. Et cum Haidones genus hominum audax & rapax, boues & equos rusticorum abduxissent non redditurì, oportunè fuit nobis auxilio fauor Ferdinandi Gonzagæ Illustrissimi Principis Mantuæ ad recuperanda iumenta subditorum. Qui pro suo erga Societatem amore in nostram domum ex itinere diuertit, cœna mediocri contentus, nobiscum Litanias in choro recitauit vesperi, & manè audito Missæ sacrificio multis indiciis amoris erga nos relictis Cassouiam ad suam præfecturam abiit, duos sacerdotes à R.P. Prouinciali concessos secum ducens, Germanum atque Hungarum, aulæ militibusque futuros vtiles. Quòd octauo Iunij grando columbini oui magnitudine territorium Præposituræ

innoxia transierit, & hæreticorum segetes nonnullas contuderit, fidei & Ecclesiæ supplicationibus tribuimus. Quòd à peste quæ circumcirca populatur homines, & opidi nostri quinque domos attigit, hactenus liberi fuerimus, singulare Dei beneficium apparet. Imperatoris Regis nostri beneuolentia nobis non defuit: qui vt ecclesiam S. Mariæ in Comitatu Thurociensi nō contemnendam parochiam Ecclesiæ Catholicæ restitueret, ius Patronatus, quod olim Præpositi Thurocienses habebant, noua donatione Societati contulit, in eoque Societatem 4. Maij, per hominem regium & personam capitularem regni more statuit. Statutioni contradixerunt hæretici parochiani: contradicentes ad tabulam regiam, seu ius regium citati. Confidimus Regem donationem illam suam iustissimam defensurum. Templum in honorem S. Mariæ Virginis elapsis annis à fundamētis erectum in altero pago nostro, hoc anno 26. Augusti per Reuerendissimum D. Franciscum Forgatz Episcopum Nitriensem amantissimum Societatis, & bene de Societate merendi cupidissimum, solemni cęremonia dedicatum est. Conuenit eò noster populus ex omnibus pagis & vtraque parochia, sub signis Christi cantica spiritualia concinens in via. Confluxere quoque plurimi mortales non Catholici, spectandi caussâ ex vicinis pagis & opidis, quibus cæremoniæ Catholicæ, præcipuè cùm ab Episcopo vulgari lingua fuissent explicatæ, plurimū placuerunt. Templi parochiæ S. Georgij, quod à fundamentis extruitur, 11. Iunij primus lapis sacra precatione à P. Superiore munitus, positus est: iamque ex fundamentis parietes in sublime consurgunt. Prædium anno superiore in Soczoneoz inchoatum, hoc anno perfectum. Baro quidam Felekessiana

fami-

familiæ vnicus, Procerum Hungariæ non postremus, homo militaris, audacibus quibusdam facinoribus, legum regni seueritatem in se prouocauit. quare Possonij sub finem comitiorum regni gladio vindici adiudicatus est. Ortus parentibus hæresi infectis in hæresi educatus pertinaciter parentum errores sectabatur. Tandem in hac capitis, honoris fortunarumque suarum calamitate rectè sapere doctus est, Catholicæque fidei veritatem agnouit, agnitamque suscepit. Vitæ suæ totius errata magno doloris sensu, Patri Superiori nostro qui tum comitiis aderat, exposuit; sibique Patrem vsque ad vltimum vitæ punctum adesse voluit. Ei Pater Superior, vt melius sese ad supremum actum compararet, vnum atque alterum diem à Serenissimo Archiduce Matthia impetrauit. Breui illo tempore tam acri studio in salutem suam magnanimus vir incubuit, vt manifestè pectus illius Deus occupasse notaretur. Quod multò clariùs enituit, cùm panem vitæ percepisset. Diu noctuque precibus intentus, & coniunctioni cum Deo, lubens supremam sententiam excepit Cùm ad locum supplicij tenderet, Iam (inquit) in altera vita sum. In ipso loco, quò omnium ordinum homines innumeri spectatum confluxerant, ab omnibus veniam delictorum postulauit, inimicis clara voce pepercit, magnates ceterosq; omnes monuit, vt Deo Regique fidem seruarent: suo exemplo docti cauerēt limites iustitiæ transilire: Ecclesiæ Catholicæ doctrinam amplecterentur. Quod etiam armigero suo insigni adolescenti, vltimo ministerio nudanti veste ceruicem diligenter inculcabat; vt in Catholica religione, qua se cerneret à Deo illuminatum, ad extremum vsque spiritum persisteret. Tum mira constantia totius oris, tanquam non sua res ageretur, sarco-

 phagum,

phagum, in quo eius deponendum erat corpus, iussit ante se constitui: faces funereas accendi, quas in orbem ipse circa se constituit. Denique singulari pietatis ardore flexis genibus Dominicam orationem, & Angelicam salutationem alta voce Hungarica lingua pronunciauit; addens perspicuè clausulam illam Ecclesiæ, *Sancta Maria mater Dei*, &c. & dato manu signo post commendationem spiritus in manus Dei, ceruicem gladio feriendam ministro iustitiæ præbuit. Caput eius in sinum fortè cum P. Superiore adstantis Franciscani sacerdotis insiliit, eumque sanguine perfudit, tanquam moriens testaretur, se in æternum cum religiosis hominibus esse decreuisse. Narrabant quidam tum Ecclesiastici, tum sæculares viri fide digni, visam esse irim triplicatam in modum coronæ supra caput Felekessij supplicium subituri. Alij ab ictu gladij columbam in sublime volantem à se conspectam. Serenissimus Archidux funus honestè procurari mandauit.

Collegium Pragense.

FVERVNT in Collegio Pragensi Socij quadraginta: horum sexdecim sacerdotes, duo Theologiæ professores, vnus Logicæ, alter Rhetoricæ; quatuor magistri scholarum; quinque Theologiæ, tres Logicæ studiosi: reliqui Coadiutores. Tentati fuerunt nonnulli variis morbis, sed emerserunt Dei benignitate ex periculis omnes, excepto Adamo Beumontio Gallo Coadiutore temporali, qui diuturno eodemq; graui morbo confectus, tandem 19. Iulij anni currẽtis Ecclesiæ Sacramentis munitus decessit è vita. Iuuenis omnino religiosus, & obedientiæ apprimè deditus: qui cùm morbo laboraret, nõ solùm nostris, sed etiam ipsi

ipſi medico externo, qui eum curabat, inſignis patientiæ & reſignati animi præclarum expreſſit documentum. Aſſcripti ſunt in Societatem tirones egregiæ indolis decem; ex his octo ſtudioſi, & duo Coadiutores. Magno ardore ſpiritus, ex triplici ſuggeſtu terno idiomate ſemen verbi diuini diſſeminatum;agricolarum labore,excipientium fructu:ſed detrimento Lutheri, Caluini & Huſſi.Enimuerò erepti ſunt Dei auxilio ex luſtris eorum homines centum octogintaquinque:inter quos quidam fuit magnæ nobilitatis vir, qui feriis Chriſto naſcenti dicatis, Deo, Eccleſiæ & ſibiipſi quaſi renatus eſt, quemque poſt profeſſionem fidei Catholicę publicè factam,Illuſtriſſimus Cardinalis à Dietrichſtein à vinculis hæreſeos palàm abſoluit,ſpectantibus Legatis, Apoſtolico & Hiſpanico, ceteraque virorum nobiliſſimorum corona. Fuit & alius ſexagenarius,qui tanto gaudio ex agnita veritate delibutus eſt, vt magnam vim profuderit lacrymarum. Paſti epulo diuino octingenti ſupra ſex millia. Confitentium multitudo ſuperauit anni ſuperioris frequētiam. Exceptæ ſunt confeſsiones generales centum trigintaſeptem,præter illas, quas fecerunt ij,qui primùm in ſinum Eccleſiæ ſunt recepti. Erant nonnulli,qui verecundia & pudore depoſito quo hactenus vincti tenebantur, quo minùs integrè & ſincerè confiterentur, plenè ac integrè confeſsi, magnam animi quietem ac voluptatē ſunt conſecuti. Periculoſis febribus laborabat matrona partui vicina nobilis, quæ cùm medicinis humanis apud ſe locum deeſſe videret,ad diuinas profugere ſtatuit, vocatoque vno è noſtris, pharmacum animo & morbo cæleſte expoſcit. annuit ille; illa confitetur,ſumit Euchariſtiam, à febribus poſtridie liberatur. Agnouit diuinum beneficium, &

ſanitatem hanc Sacramentis tulit acceptam. Eodem pharmaco repulit quidam à ſe febrim tertianam, qua grauiſsimè vexabatur. Deuouerat ſe quidam pecuniæ cupidus dæmoni, iamque votum chirographo proprio ſanguine conſcripto confirmare parabat: ſed cunctante dęmone ad cor rediit, commutauit votum in confeſsionem, inuenitque trepidus diuinum auxilium. Premebatur alius egeſtate, nec vnde aleret familiam habebat, decernit implorandam eſſe opem ſatanæ: infelix certo loco & tempore implorat; non adfuit tamen ſupplantator imploranti, ſiue diuina manu prohibitus, ſiue ſpe retardatus maioris miſeri hominis ruinæ. impatiens ille moræ, dæmoniſq; tardioris auxilij pertæſus, venenum hauſit, vt miſeriæ finem imponeret & vitæ. verùm nec illud obfuit illi. Hæſit rei nouitate attonitus, hærentique diuina bonitas animum mutauit, & ſuggeſsit conſilium. Audiit ſuadentem, adiit ſacerdotem, expiatoque exomologeſi animo, ſenſit quæſitum à Deo auxilium. Peſsimo conſilio quidam vitam ſibi aut ferro aut aquis eripere conabatur: ſed in melius Deus vertit conſilium. nam per confeſsionem eiecto propoſito malo, ſaniora amplexus eſt inſtituta. Ancilla infirmitatem filiæ nobilis matronæ ſuæ negligentiæ aſſcribebat, veritaque pœnas ex deſperatione inſanire, violentaſque ſibi manus inferre, etiam iuramento facto decreuit. Vocatus noſter reſcidit iuramentum, puellamque confeſsione expiatam & menti ipſius & heræ ſanam reddidit Delectabatur alia concionibus noſtrorum, quas aſsiduò audiebat: ſed deteſtabatur ſummopere Miſſam, edocta à Luthero & Caluino. Affulſit illi diuina lux, odiumque Miſſæ mutauit in amorem; eamque eò induxit, vt non ſolùm ſumma cum pietate ac reueren-

tia

tia interſit, aliiſque auctrix ſit vt idem factitent, ſed etiam iam non parua obtulerit pro vſu altaris & ſacrificij. Propoſuerat materfamilias die Dominica prima Quadrageſimæ carnes edendas familiæ ſine metu, ſine ſcrupulo, ſed non ſine vltione diuina. Etenim carnes appoſitæ tantum ſubitò fœtorem exhalarunt, vt comeſtoribus non tantùm nauſeam, ſed etiam horrorem maximum pepererint; matri verò familias ſalutarem timorem: quę eo territa, extemplò accurrit ad cōfeſsionem, atque ſanctè Deo pollicita eſt, ſe numquam impoſterum carnes in Quadrageſima aut eſuram, aut aliis appoſituram. Diſsidia plurium, maximè coniugum, reſciſſa, pace & amore inſerto. Quo in genere illud grauiſsimum. Illuſtres ac potentes duæ familiæ ita hoſtili animo in ſeſe mutuo exarſerant, vt non aliud niſi multorum cædes in dies pænè ſingulos timerentur: ita verò Deo auctore, noſtro cooperatore, in gratiam & amicitiam redierunt, vt eo fortè die, quo gladiis lis dirimi debuit, mutuo amplexu & oſculo dirempta fuerit, magno & eorum & amicorum vtriuſque partis ſolatio. Subuentum eleēmoſyna pauperibus, præcipuè viduis ac pupillis, & in vinculis detentis. Adfuimus etiam reis damnatis ad mortem: inter quos fuit quædam femina, quæ dum ad ſupplicium duceretur, nullo pacto induci potuit, vt memoria parentum carnalium depoſita, cogitationem de æterno parente ſuſciperet. Tandem his pſalmi verbis, *Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me*; ita derepentè mutata fuit, vt omnium affectuum terrenorum oblita, ſolam cæleſtem patriam cogitarit, fortiterque carnifici caput ferienti obtulerit. Scholæ noſtræ hoc anno ornatæ frequentia fuerunt, quà nobilitate iuuenum, quà pulchritudine morum, quà pietatis feruore.

uore. Eminent virtute reliquis Parthenij, qui non solum studiosis, sed etiam externis hominibus bono præeunt exemplo. Bis hoc anno largas distribuerunt eleëmosynas vinctis in carceribus, & pauperibus in nosocomiis: quas dum elargirētur, piis etiam colloquiis septem a variis hæresum lacunis extraxerunt. Fuit quidam è Sodalibus tum genere nobilis, tum pietate insignis, qui feria quinta maioris hebdomadæ conuocatis duodecim pauperibus in seminarium, lauto primùm eos exciperet conuiuio; deinde eorundem pedes magno pietatis sensu lauaret; circumstantibus ceteris Sodalibus, partesque suas in eleëmosyna iisdem impertienda strenuè obeuntibus. Exercēt se itaque ad omnem pietatem, domando etiam carnem ciliciis ac disciplinis, quas tanto animo ac feruore arripiunt & frequentant, vt eas à confessariis nonnulli lacrymis etiam extorqueant. Exculti exercitiis spiritualibus iuuenes aliquot. fuit inter eos Religiosus, & alter, qui eundem Ordinem amplecti statuerat, profectu omnes spirituali optato. Supplicatio corporis Christi, celebrior reliquis annis fuit. Auxit eam celebritatem Illustrissimus ac Reuerendissimus Cardinalis à Dietrichstein, qui primùm sacris in nostro templo, pompa planè Pontificali, erecto ad cornu dextrum altaris sub vmbella throno operatus est. Deinde gestando Venerabile Sacramentum in plateam (quod hoc anno primùm factum est) tubis ac tympanis perstrepentibus pontem versus processit, inde ad aream Collegij, maximo hominum accursu reuertit. Aucta est hoc anno rei sacræ supellex duobus candelabris crystallinis, & cruce in eadem materia affabrè facta. Accessit eôdem lampas argentea inaurata: antepēdium item rubrum floribus argenteis & aureis intertextum.

Eôdem

Eôdem ſpectat caſula ex alba argentea tela cum aurea columna & vexilla duo. Reliquit etiam eidem Illuſtriſſimus Adolphus Landgrauius à Liechtenberg trigintaquinque vlnas aureæ telæ. Fabrica templi hoc anno ex eleëmoſynis pænè abſoluta eſt nam non ſolùm tectum erectum eſt, ac imbricibus opertum; ſed etiam fornices tum laterales, tum quoque ipſius nauis templi, impoſiti, & partim iam picti ſunt. Speramus nos ſequenti anno Transfigurationem Domini, cui totum templum dicatum eſt, eo abſoluto omnibus numeris celebraturos. Eleuata eſt etiam hoc anno ſummi altaris arca interpoſita Transfiguratione Domini eleganter depicta, & ſtatuis maioribus octo affabrè ſculptis. Exornat totum altare chorus Angelorum ſculptorum: hoc item anno chorus additus, vario Muſices apparatu inſtructus. Excurſum eſt in viciniam ad manipulos in horrea Domini colligendos, & reſpondit labori fructus. Pœnitentes auditi quàm plures: alij ad fidem Catholicam adducti, alij vacillantes in religione vera firmati, dubitantes informati, languidi excitati, iacentes erecti. Iacta ſunt etiam ſemina Catholicæ fidei in quadam arce Picardorum non abſque magna ſpe conuerſionis multorum. Denique adoleſcentes vagi & varij ingenij ita ad rectam rationem viuendi reducti ſunt, vt iam ſint exemplo bono aliis, & ipſi, quaſi quodam calcari vrgeantur ad meliora.

Collegium Nouodomenſe.

ALVIT hoc anno Collegium Nouodomenſe perſonas è noſtris quindecim, ſacerdotes quinque, magiſtros quatuor, Coadiutores temporales ſex. In vtriuſque linguæ Bohemicæ & Germani-

ex concionibus pari ſtudio quo anno ſuperiore laboratum eſt: at præter omnem ſpem non pari cum fructu. Spem fefellit occultata ſub vtriuſque ſpeciei communionis pallio mentita religio. dum enim plerique ad conſcientiæ maculas eluendas circa feſta Paſchalia noſtrorum operâ vti conſtituiſſent; intellectis ex concionatore, quæ ad id ritè peragendum ſint neceſſaria, plurimi mutata ſententia, conſcientiam neglexerunt potiùs, quàm requiſita ſubirent. Ex quo factum eſt, vt & confitentium numerus, & ab erroribus reſipiſcentium minor extiterit. In hac tamen animorum ariditate quadragintavnus & eo plures reperti, qui vel ab vtriuſque ſpeciei Sacramenti conſuetudine ad vnam, vel diuerſarum hæreſum erroribus exuti ad Eccleſiæ gremium redierunt: nonnulli etiam grauiora crimina in confeſſione ſuppreſſa, ad generalem exomologeſim reiecerunt: alij mala peccandi conſuetudine relicta, ad meliorem vitam agendam ſe compoſuerunt. Diſſidentes reconciliati, nonnulli hæreticorum libri combuſti. Vſus frequentiùs communicandi inter diſcipulos & viget & creſcit: quorum exempla imitantur alij. Fabrica Collegij tolerabilem quoque fecit hoc anno progreſſum.

Collegium Glacenſe.

A Parte peruerſa docẽtium ad Catholicam veritatem recepere ſe vigintiſeptem: in his adoleſcens ab extrema Holſatia Superintendentis cuiuſdam magnæ apud ſuos auctoritatis filius annorum viginti: qui ſe ad lumen veritatis veniſſe profitetur, crebro hocce parentis ſui de Ieſuitis elogio quaſi facem præferente: iuuentutem nimirum a Ieſuitis anno vno magis excultam reddi, quàm

quàm ab aliis qualibuscumq; magistris triennio. Tres alij in fide vacillantes confirmati & erecti: quorum vnus morti proximus pessimo exemplo repudiatos repetens Prædicantes, pabulum mortis, viaticum scilicet ad Acherontem ab illis accepit, ne post obitum honore sepulturæ & funebri pompa priuaretur. Verùm miseratione Dei à morbo conualescens mobilitatem animi dignis modis execratus est. Paschæ tempore confessiones à nostris in pagis nostris exceptæ 400. domi verò centum & viginti; ex quibus tres fuere de tota vita generales, aliæ annorum multorum. Mulier eius instigata suasu qui homicida ab initio fuit, vt se præfocaret, infantique adhuc lactenti collum obtorqueret, cerei agni, aquæ lustralis vsu, & peccatorum expiatione ab huiusmodi est molestia liberata. Rogationum dies, quibus præcedentes consueuerant fideles publico conuentu preces ad Deum fundere, hoc anno, iam antè à quadraginta annis intermissæ, restitutę sunt. Auxit deuotionem rusticorum ex omnibus pagis nostris ad nostram ecclesiam cum vexillis & crucibus procedentium singularis & frequentia & modestia & pietas. præcedebant viri longo agmine, post viros matres innuptæque puellæ cantantes & psallentes patria voce antiquos Ecclesiæ cantus, quos singularum Ecclesiarum æditui moderabantur. Auditæ inter alias gratulationes etiam huiusmodi voces, Iam cum moribus & ritibus pristinis, reditura sæcula priora, quibus bene habuissent. Maiora verò Catholicorum gaudia fuere ipso die Corpori Christi sacro, cùm publicè solenni pompa ac tot annorum lustris sepulta, magnum illud sacrosánctæ Eucharistiæ Sacramentum circumfertur. Descendimus per ciuitatis plateam, more modoque in processionibus communi, frequentissimo

tiſſimo concurſu ex vicinis pagis vtriuſque ſexus hominum Catholicorum. adſtabant vtrimque ex ciuitate varij ordinem ſpectantes, quem turbare auſi non ſunt, Capitaneum & Secretarium Catholicos veriti: quos tandem hoc anno incredibili Catholicorum applauſu, & hæreticorum ſtupore pudoreque ſua Cæſarea Maieſtas ſectariis ſubſtituit, qui officia iſta multis hactenus annis continua ſerie & ſucceſſione adminiſtrarunt cum religionis exitio. Inhibitio etiam ſeuera pridie facta, ac per ſenatum publicata, ſiquis turbarit. Vmbellam geſtarunt mutatis vicibus nunc nobiles, nunc ciues Catholici, quos Deus in tanta paucitate ſubminiſtrauit. Statio prima in ſuburbio celebrata eſt ſub dio: altera in ipſa arce, vbi aram eleganter ſuis manibus erexerat idem Capitaneus totius quaſi actus auditor. vtrobique honores Sacramẽto habiti & acclamationes, quà Latinis, quà Germanicis verſibus à diſcipulis noſtris, iiſque Baronibus tantùm & nobilibus. Tertiam ſtationem excepit in cœmiterio noſtro dialogus de panibus propoſitionis: quo finito ſummo omnium iubilo & gratiarum actione in templum reportatum Sacramentum eſt, tympanis tubiſque cum organo clariſſimùm ſonante concertantibus. Supra hominum opinionem quietè res & deuotè peracta eſt: cùm pridie auditæ fuiſſent voces nonnullæ minaces, & terriculamenta lapidationis, ſi prodiremus. Creuit etiam templi ſupellex duplici dono: altero Sereniſſimæ viduæ Archiducum Græcenſium, quæ caſulam calicemque; altero Illuſtris Domini Baronis Georgij ab Opperſdorf Opolienſis & Ratiborienſis Ducatuum Præfecti, qui pretioſam caſulam antependiumque donarunt. Anguſtiæ quoque Collegij noſtri hoc anno ineunte vere ampliter laxari cœ-

ptæ,

ptæ, cella promptuaria, culina & operoso canali culinæ sordes per cauatam rupem extra Collegium deferente; item triclinio & tribus hypocaustis. Viximus vt plurimùm quindecim numero, sacerdotes octo, magistri duo, reliqui Coadiutores, aduersa valetudine tentati perpauci.

Collegium Crumlouiense.

VIGINTI hoc tempore Crumlouij sumus: octo sacerdotes, tres studiosi Rhetorices, magistri totidem (nam ex iam numeratis sacerdotibus duo alij docuerunt) sex præterea rei temporalis adiutores: quamuis minori parte anni, quatuor supra numerum explicatum fuerint. Licet autem fortunæ nostræ in iisdem, quibus anno superiori angustiis hærerent, nihil tamen neque in litteraria, neque in Christiana re gerenda domi aut foris prætermissum. Natalitiis Domini coram grauibus & nobilibus viris tempori congruens & valdè gratum drama datum. longius deinde aliud autumnali studiorũ renouatione, Hercules in biuio. & habuit actio plausum, sermonemque secundum, quo per eos dies vulgò dicebatur, liberis indignum esse parentem illum, qui, si posset, eos Patribus Societatis non daret instituendos. Ornarunt eandem actionem præmia manu solito liberaliori cuiusdam mœcenatis donata. Cum litteris procedit pietas. duobus ex hoc numero lectissimis iuuenibus patuit aditus ad Societatem nostram. Plures aliis Religiosorum familiis se deuouerunt. Sodalitas B. Virginis in exiguo licet ac minuto numero, retinet tamen auctoritatis & sanctimoniæ grauitatem, dum vel indignos à suo cœtu arcet, vel multat delinquentes. Ciuis erat in hoc genere honoratus paterfamilias, litteris præterea & erudi-

eruditione conſpicuus. is vt erratum quoddam, cuius Sodales erant conſcij, expiaret, ſubmiſſis in terram genibus, vir id ætatis & auctoritatis, non eſt dedignatus culpam conceptis verbis accuſare ſuam, & deprecari: inſuper certam pecuniæ ſummam in neceſſarios pauperum & Congregationis vſus erogauit. Conciones ſemper duplici lingua Boëmica & Germanica à noſtris habentur, vtraque frequenti auditorio. ventitant enim ad audiendum non Catholici ſolùm, ſed plurimi etiam, quos ſatis conſtat alterius eſſe factionis: qui idcirco a ſuis mirum in modum exagitantur; attamen ſuſque deque ferunt, multique magnam ſpem præbent conuerſionis, noſque interdum domi noſtræ conueniunt. & reipſa reducti ex variis hæreſibus, quarum grandis hìc eſt colluuies, triginta capita. in his tres nobili indole iuuenes. A communione calicis traducti tres & viginti. abducti à pellicibus ad matrimonium quatuor. Honeſtiſſimæ virgines duæ, quæ diu priuatim religiosè vixerant, vt id certiùs ac perpetuò facerent, monaſterio ſe incluſerunt Non fuere aliàs Crumlouij crebriùs vno anno de reis fortè ſupplicia extrema ſumpta. omnibus noſter ſacerdos cum grãdi multitudinis approbatione affuit, & reorum fructu: quorum alicui perſuaſit, vt altera ſpecie Euchariſtiæ, cùm eam pro ſummo viatico ſumeret, eſſet contentus. Idem ſacerdos adeſſe ſolet & ceteris cùm ex morbo periclitantur aut laborant: factumque eſt aliquando vt ſpiritualis medicina corpori etiam mederetur. Senex non minor ſeptuagenario, deplorata ac perdita valetudine, cùm omnia priùs nequidquam tentaſſet, noſtrum iſtum quem dico tandem accerſit: multa de acerbitate & periculo morbi quiritari, opem poſcere, de conſcientiæ vulneribus verbum nullum, tam-

etſi

etſi totis ſeptemdecim annis Pœnitentiæ Sacramento abſtinuiſſet: noſter contrà niti, potiorem eſſe animæ curationem, ſpem facere hac perfecta, procliuiorem fore corporis ſanitatem. Quid multis? non aliter accidit quàm noſter ſperare iubebat. Simulac enim ſenex licet ægrè perſuaſus eſt, vt remedium animæ quæreret; ſimul vis morbi remittere, & cruciatuum quos graues patiebatur acerbitas mitigari cœperunt; denique, quod in ea ætate optari magis, quàm ſperari ſolet, breui à ſumpta Sanctiſſima Euchariſtia ſanitati reſtitutus eſt. Excurritur etiam frequenter à noſtris in vicina opida & pagos: nec vlla eſt peregrinatio celebrior ex multis, quæ hic frequentantur, aut templi, ſacelli aut altaris alicuius anniuerſaria dedicatio, quò noſtrorum concio, aut alia ſpiritualis opera non expetatur & impendatur, cum fructu ſæpè luculento. Eſt vno à Crumlouio milliari opidum duobus templis conſpicuum Weleſinum dictum eò noſter caſu delatus, cùm rogatu Parochi ad frequentiſſimum populum, qui ad Encænia conuenerat, verba facere inſtitueret, atque vt fit ad Euangelij lectionem, ſigno ſanctæ crucis ſe munire iuberet; nemo erat ex omni multitudine, qui manum ad frontem aut pectus duceret, (eò quòd Picarditica lues, quæ in gratiam heri hìc valdè inualeſcit, miris ſcommatis hunc ſe ſignandi morem explodit.) quare ſacerdos occaſione accepta ex arbore ſycomoro, quam Zachæus ad videndum Dominum aſcendiſſet, ita de hoc capite dixit: vt, cùm rurſus ſub finem concionis ad confeſſionem generalem populo ſigno eodem ſalutari ſe ſignando præiret, nemo conſpectus ſit, qui non palàm ac liberè libenterque ſequeretur. Alia eſt parochia quingentis à Collegio paſſibus. hanc Parocho deſtitutam noſtri toto

a Pa-

à Paſchate anno diebus feſtis ac Dominicis procurant. multus hic eſt populus, (quindecim enim pagi circiter numerantur) ſed valdè neglectus, magna pars facti hæretici, plures ad communionem vtriuſque ſpeciei aſſuefacti: ii etiam qui in communione Catholica perſiſtunt, nunquam ab ineunte ætate (niſi quidã ſenes ſemel aut iterum) ſigillatim aut in aurem peccata confeſſi, ſed turmatim ac publicè Lutheranorum ritu. Quotquot igitur confitentur totam vitam reuoluant neceſſe eſt. id quod fecerunt iam aliquot familiæ: tergiuerſabantur enim initio, ſed nunc alij alios animant, aliqui etiam libenter ab vſu calicis abierũt. Auctum eſt hoc anno Collegium ampla & inſigni porticu, quæ ciuitati cuius adhæret mœnibus eximium addit ornamentum: nobis præter iucundam ambulationem, percommodum ad templum Parochiale, quo vtimur, aperit tranſitum, quem antea per alienum ruinoſum & anfractuoſum tectum habebamus. Hoc opus Illuſtriſſimi Petri Roſenſis eſt, Societati & Collegio huic fortaſſe extremum impenſum: quod tanto gratius poſteris eſſe debet, quia ab æmulatione & non obſcura quorundam in nos maleuolentia initio profectum, ſæpiuſque dum moles ſurgeret variè tractatum & impeditum, denique iiſdem volentibus nolentibus ac nequicquam conſilij pœnitentibus, in ipſorum oculis ſecùs quàm vellent abſolutum eſt. vbi ſi vnquam aliàs, euidenter apparuit, quemadmodum Dei ſeruis omnia, ipſi adeò aduerſariorum conatus, in bonum vertere ſoleant. Apparuit item hoc anno magna in nos piorum liberalitas: cùm enim quartam partem redituum noſtrorum vix accepiſſemus, plus trecentis florenis inopiam noſtram ſubleuarunt. Templi ſupellex creuit calice argenteo inaurato

cum

eum aliquot velis: veste item aurea tum sacrificantis, tum ipsius altaris. quod donum est illustre Serenissimæ Principis Græcensis, quæ hunc etiam angulum noluit suæ in Societatem beneuolentiæ expertem esse. Præterea octonæ aliæ, omnis generis ex ritu Romano colorum pro quotidiano sacrificantium vsu oblatæ sunt. quod munus eo gratius Deo Domino nostro esse confidimus, quòd qui donarũt, ipsimet etiam quotidie iisdem sanctis sacrificiis assistunt: neque id ex ampla & abundanti rerum copia, sed pænè necessitati suæ sponte detractum obtulerunt.

Collegium Commotouiense.

CENSA sunt hoc anno in Collegio Commotouiensi Sociorum vndeuiginti capita, in his nouem sacerdotes. Autumnalem studiorum renouationem, celebriorem reddidit perditus adolescens, quem D Ioannes Christianum antea à se factum à latrociniis reuocauit, in scenam datus. Drama omnium applausu exceptum promotio excepit, in qua diligẽtiores è singulis scholis præmiis quatuor donati, quæ Reuerendus admodum Ioannes Conradus Doxani monasterij Præpositus vnà cum sumptibus in dramate exhibendo factis curarat. Discipulorum porrò numerus indies crescit, iamque in vno pauperum contubernio 120. numerantur, optima virtutis ac ingenij indole adolescentes. Ex hoc Societati nostræ nomina dedêre quatuor, quos è culina nostra secutus quintus Coadiutor in rebus domesticis futurus. Classis elementariorum, quam pestis & ciuitatis exustæ calamitas disperserat, hoc anno mense Maio, præceptore externo iuuene colligi cœpta est: ad quam breui temporis interuallo, centum

& eo plures confluxere pueruli, quibus (etsi plerique peruicacissimis hæreticis nati sunt) Catholica pietas atque religio sensim instillatur. Sacella duo instituta, alterum foris in horto in vsum nostrorum, si quando animi vel contagionis euitandæ caussa eò se receperint: alterum domi, in quo iuuẽtus nostra profestis diebus intersit sacris: quod magno incommodo in templo ciuitatis hactenus fuerat obeundũ. Sacelli domestici supellex aucta liberaliter à Serenissima Maria Græcensi, veste nimirum sacerdotali rubra byssina, filis aureis eleganter interstincta: cui cõiunctus reliquus lineus ornatus sacrificanti necessarius; pallium quo altare prætexitur sericum, & filis argenteis vermiculatum: calix denique argẽteus cum suo apparatu auro obductus. Argenteum præterea ab altero donatũ tintinnabulum. Etsi verò tam altas in animis incolarum hæresis egerit radices, vt difficillimum omnino sit illas extirpare; non omnino tamen frustra hac in re opera à nostris locata est. Sex & viginti resipuerunt: ex quibus nonnulli liberos suos Prædicantibus abductos ad nos diuinorum mysteriorum gratia perduxerunt. Concionis & catecheseos fructus non planè nullus fuit: ac licet vndique circumstrepant noui dogmatis magistelli, ac indies ex vicina miseria noua supplementa hæresis accipiat; nostrorum tamen studio minùs gliscit malum, & complures, qui concionibus intersunt, humaniores & tractabiliores redduntur, multique non tam caussæ suæ firmitate freti, quàm pudore deterriti, fidem nostram complecti detrectant. Concionibus item effectum vt intempestiui potatorum cantus & vociferationes diebus Veneris & Sabbati vetarẽtur, & commercia profana diebus feriatis cessarent. Eadem quæ superioribus annis pauperibus

captiuisque præstita officia. Itum de more ad pagos: vbi conciones binæ vel ternæ habitæ, pœnitentes auditi, cælestis panis porrectus. Peregrinatio quoque Gruppnensis religionem & celebritatem solitam habuit. Illustris ac generosa femina Domina Margareta à Lobkouitz vti sub initia Collegij huius, viginti millia daturam ad perpetuum censum coëmendum fundatori datis litteris promiserat, ita hæc eadem moritura testamento denuò legauit: ac vt res certior esset, hoc vltimum suæ voluntatis decretum non solùm in tabulas regni inferri voluit, sed illius etiam executionem Cæsari commendauit. Qui feminæ pientissimæ studium ita probauit, vt censum illum Collegio intra anni spatium se assignaturum scripto receperit, ac dum id fiat, censum annuum ex redditibus Dominij Commotouiensis Collegio pendi iussit. Ceterùm eadem optima matrona se ad æui metam peruenisse videns, Patrem Rectorem in extrema necessitate præstò sibi voluit esse consolatorem: quem etiam postea ad solemnia funeris inuitauit vir illustris, quem ipsa suæ voluntatis extremæ executorem reliquerat.

Collegium Græcense.

VERSANTVR in Græcensi Collegio Socij vndeoctoginta: sacerdotes viginti, in quibus Theologiæ, Philosophiæ & Rhetoricæ sunt professores: scholarum inferiorum magistri quinque, studiosi Theologiæ vigintisex, Metaphysicæ, Physicæ, Logicæ septemdecim; reliqui rei domesticæ administri. His adnumerandi ii qui in Millestadiensi Residentia sacerdotes tres, totidem Coadiutores; similiter duo sacerdotes qui apud Serenissimos Leopoldum & Carolum Iudenburgi

versantur. In Societatem nostram cooptati quinque, quatuor studiosi, vnus Adiutor. Firma & cōstans ferè omnium fuit valetudo: quo factum, vt eò ardentiori studio, firmo concordiæ colligati nexu, & propriam salutem cum spiritali aliorum profectu, & litteras cum pietate, fœnore non pœnitendo coniungerent. Diebus Dominicis festisq; solitæ ad populum habitæ cōciones, magno cum pietatis fructu, & fidei Christianæ incremēto. In illis cùm aliquando de solemni Corporis Christi circumgestatione, de tanti Sacramenti fructu ac cultu actum fuisset; ritu Catholico tam celebris instituta est supplicatio, similem vt se vidisse ab hominum memoria numquam plerique sint contestati. vndetriginta labara, siue vexilla, ordine pulcherrimo, cœtu frequentissimo, symphoniacorum partim, partim vario instrumentorum musicorum concentu portabantur. Et ne quid deesset ad omnimodam fidei Christianæ contestationem, illo die, quo reuiuiscentis Christi memoria recolitur, tanta hominum pompa ad templū quoddam medio à ciuitate milliario distans (vbi & noster de rebus diuinis pro suggestu verba fecit) processum est, vt sena hominum millia, cùm elapsis annis mille cōuenerint, dicantur recensita; gaudio orthodoxorū incredibili, quòd hoc vno argumēto luculenter tandem auitam religionem hæreseos grassante peste eliminatam, postliminio redire gratulàbundi cognoscerent. Quanto numero à nostris exceptæ sint toto anno confessiones, ex hoc vno colligi potest, nimirum circa eos dies, quibus acerbissima Christi mors pro humano genere obita recolitur 4170. conscientiæ vulnera patefecisse: ex his hæretica contaminati tabe veritatem aspexere 90. quod sanè admirandum in ea ciuitate, vbi altiores diuturnitate temporis

poris roborata hæresis radices fixerat. Rescissi cōtractus iniusti multi. Reuocati ad vnam sanctæ communionis speciem complures. Odia sopita, quæ inueterauerant. Inter coniuges rixæ & odia frequenter sedata. Vsurariùs ab illicito reuocatus fœnore. Moribundis & extremo afficiendis supplicio spiritale solatium & auxilium præstitum. Confessiones multæ ab annis pluribus repetitæ, & de tota vita auditæ. Offendicula peccatorum remota. Restitutum æs alienum, quod mala fide tenebatur. Instructi in fide Neophyti. Labentes confirmati. Inuisum sæpiùs hospitale, & ad ipsos ægros habitę adhortationes. Quidā Lutherū professus, nulla excepto baptismate sacra mysteria, nec apud suæ sectæ asseclas obierat, falsò sibi persuadens, si cælesti epulo reficeretur, relabereturq; in peccata, æternæ salutis ipsi ianuam perpetuò occlusum iri. hic tandem nostri sacerdotis affatu, & immanissima opinione & hæreticis liberatus laqueis est. Alterius cuiusdam ad Ecclesiam reductio eò Catholicis omnibus gratior, quò insperatior accidit. is inter prouinciæ huius Procceres ferè Princeps, cum nostro sacerdote sæpiùs de præcipuis fidei capitibus egerat; rationumque firmamentis licet conuinceretur, manus tamē veritati dare pertinax, vel nolebat, vel cunctabatur: cùm ecce morbo affligitur, qui & supremus vitæ agon fuit. Adest ægro parenti filius Catholicus, adsunt & filiæ & generi, partim Luthero, partim Ecclesiæ Romanæ adhærentes. agunt omnes cum ægroto verbis, quibus possunt efficacissimis, in ea quam imbiberat iuuenis perseueraret religione. nec suis deerat partibus sacerdos noster: quo de auita fide, mira verborum energia disserente, præsente etiam vno ex iis, quos Prædicantes vocant, Catholica fides veritate armata, instructam men-

mendaciis hæresim vicit. ritu enim Catholico expiatus breuem vitam, vt speramus, cum æterna commutauit, gaudentibus orthodoxis, hæreticis ringentibus. Alius quidam notæ vir primariæ, cùm ex salo opinionum hæreticarum in cymbam Ecclesiæ se contulisset, non satis existimans se Lutherum exuisse, nisi & militiæ Christianæ syncerum se athletã declararet; & suasu & exemplo aliquot à prauis opinionibus, ad rectè sentientium castra, à praua peccandi cõsuetudine ad bene viuendi normam reuocauit. Inter hæc quidam fuit generis claritudine percelebris, qui cùm inter hæreticos multorum decursu annorum vitiis fræna laxasset, nec præter nomen Catholici aliud haberet, ad sacram peccatorum exomologesin inductus, & hac obita, ad emendatiorem reductus est vitam. Adolescens natione Italus, cùm soluendi voti gratia Lauretum venisset, dulce bellum inexpertis existimãs, seque quibusdam adiungens militibus ad Canisiana castra peruenit. hic, vt ferax ærumnarum est bellum, decursu temporis non longo, ad vltimam redigitur calamitatem. inops consilii, Græcium tendit, nostrum accedit seminudus, macie, morbo, frigore, fame confectus. viuum cadauer existimasses. rogatus à nostro quis esset, vnde veniret, quid peteret; ille altum suspirans lacrymis abundè manantibus, Me miserum (inquit) quò infortunij deueni! iustus est tamen Deus, & iusto me sibi immorigerum castigat flagello. Dum noster abruptam miserandi adolescentis exclamationẽ miratur, pauca singultim locutus subiungit se natum nobili genere, se vnicum parentis filium, apud nostros quondam humanioribus litteris operam nauasse, &, quod verecundabatur dicere, se etiam ad nostram Societatem admissum: ad cuius consuetum tiroci-

tirocinium deponendum quo minùs mitteretur, parentem impediuisse. qui cùm filij mentem intellexisset, reuocatū à nostrorum consortio scholisque, ad Iurisprudentiam applicuit, & quò ipsius propositū infringeret, omnes machinas adhibuit. Vnde factū, vt ipse paulatim philostorgia euictus, intimos Dei impellētis motus cōtemneret, parentisq; voluntatē diuinæ vocationi præponeret: & hanc vnam miro doloris sensu fatebatur caussam tantæ ad quā deuenerat miseriæ. se tandē liquidò cognoscere, quāto scelere se obstringat, quisquis æterni Numinis impulsionibus pertinax obluctatur. Iam curatur solitis Societatis nostræ caritatis officiis. Sacerdos annū agitans 60. sese ab Ecclesię corpore secreuerat, venenum Lutheri hauserat, quod etiā ex cathedra pestilentiæ in populū sparserat: hic tandem post viginti annos pestem euomuit, & facta fidei professione in sacello nostro domestico, Catholicos mirificè recreauit. Contigit vt aliquando sacerdos noster expeditis negotiis quibusdam ad nostrum suburbanum diuerteret; cùm ecce mulierem humi iacentem, aspectu & gemitu lamentabili, opem implorantem conspicit. suspicatus quod erat, eam inualetudine confectam, accedit, rogat quid rei contigerit. illa post aliquas verborū ambages, se peste infectam affirmans progredi vltrà nō potuisse fatetur. Nec mora, tali in casu deficiente ope, ad spiritale concurrit auxilium noster. Illam sacra confessione expiatam absoluit, & quo minùs sacro reficeret viatico, facultas defuit. referta tamen affatu spiritali plena bonæ spei, paulò pòst è viuis discessit. Neque tantùm his contenta limitibus nostrorum sedulitas, latiùs vagata ad vicinas ciuitates, opida, pagos se extendit. In iis conciones vberi prouentu habitæ, ægris auxilium præstitum, confiten-

tium numerus magnus, vt sacerdos vnus in pago non celebri circa Christi anastasin 140. peccatis expiarit. ex multis pauca delibasse sufficiat. Femina quædam 90. nata annos, orba oculis, intra montes domi solitaria morabatur, omni destituta spiritali animæ & auxilio & solatio. vtpote, quæ nec quôquam sacra mysteria obitura ire poterat, & ad quam nullus sacerdos accedebat. accessit noster, & absolutam expiatamque sacra confessione vitali cibo refecit. Quidã, quòd ipsi sacrum Eucharistiæ epulum sub vtraque specie negaretur, toto octennio diuino pharmaco abstinuerat. tandem miro ex recordatione peccatorum concepto dolore, & ritu Catholico se sacerdoti aperuit, & ad vnam speciem est reuocatus. In vicinis pagis ægri à suis sacrorũ Curionibus neglecti iacebant, & ad hos magna itineris molestia, maximis in caloribus, stupentibus omnibus nostrorum charitatem, cæleste antidotum est deportatum. Ad Serenissimorum miram pietatem, & erga nos beneuolentiam quod attinet, solita elucet in omnibus, vel potiùs augetur indies. Visitat Serenissimus Ferdinandus cum coniuge, matre, fratribus, sororibus, hospitalia frequenter, sed semper duobus è nostris vel pluribus secum allectis. Liberaliter paúperibus manu propria largiuntur eleëmosynas. mira demissi animi significatione, cum ægris egenisq; quasi familiari fruuntur colloquio. Sæpiùs hoc anno nobiscum vel domi vel foris pransi & cœnati sunt, Collegium inuiserunt. Vt verò optimus Princeps nouo nos cumularet beneficio, pluribus emptam millibus, nouem rotarum molam, peramplo ædificio ornatam, ac propter vicinitatem lociq; amœnitatem relaxandis animis admodum oportunam, vnà cum adiuncto prædio nobis attribuit: atque vt propensior

ſior eius appareret in nos voluntas, noſtros ferè omnes eò ad prandium euocatos coram Sereniſſima matre ac reliquis Archiducibus in eius poſſeſſionem benigniſſimè introduxit. Caniſianam expeditionem ſuſcepturus Sereniſſimus Ferdinandus cum fratre Sereniſſimo Maximiliano ſe noſtris precibus commendans, omnibuſque ſigillatim valefactis, etiam amoris indicem porrexit dextram humaniſſimè. quo tempore excellentiſſimus Ioannes Franciſcus Aldobrandinus, & Sereniſſimus Mantuæ Dux, & Illuſtriſſimus Don Ioannes Medicæus orationibus & carminibus mira ipſorũ approbatione excepti. Aldobrandinus eorũ exempla petiit, atque ad ſuam Sanctitatem tranſmiſit. Inſtituerunt ſingulis ſeptimanis ad præcipua huius ciuitatis templa publicam ſupplicationem, pro augenda religione, pro Turca auertendo, tum felici belli exitu: cui ſemper interfuere, magna omnium admiratione & exemplo. Poſtquam verò ad Caniſiæ oppugnationem diſceſſum eſt, crebriores in templo noſtro ante aram præcipuam, ac Dominici corporis venerandum Sacramentum ſunt fuſæ preces. præter enim quadraginta horarum orationes aliquoties habitas, Sereniſſima matre cum filiabus præſente, totius etiam ciuitatis cõcurſu, pietate ardenti vnius horæ ſpatio quotidie comprecatio eſt frequentata. Eadem ſemper Sereniſſimorum in Religioſos & templa, maximè verò matris illuxit liberalitas: quæ non ſatis habens veſtem ſacrificalem, Attalicam magni pretij noſtro templo attribuiſſe, Congregationem Partheniam non minori proſecuta fauoris monumento, illi ſtatuam operis miri ex alabaſtro D. Virginis diademate vnionibus aſpectabili, ſceptroque argenteo inaurato ornatę puerulum brachiis geſtantis munificè eſt largita.

gita. Alij exemplum imitati tantum eidem Congregationi assignarunt, vt ad reponendam sacram supellectilem, commodissimè sacrarium erigi sit cœptum. Alia matrona ducentos florenos, quę ad duplicẽ sacerdotis ornatũ summa sit satis, templo nostro legauit. Ad scholas venio, quarum eadem quæ superiori anno fuit frequentia & pietas. Quanta verò in litterarum prosecutione studiorum fuerit constantia, inde liquere potest: quòd nec ciuitas bellicis plena tumultibus, nec Turcarum occupata arce munitissima Canisia propinquitas, nec parentum tam vicino malo territorum litteræ ab ardore cursus incepti potuerunt retardare. Pietas potissimùm eorum qui in Sodalitates Beatissimæ Virginis & sancti Spiritus sunt asscripti, eluxit: qui oppugnationis Canisianæ tempore, pro felici rei Christianæ successu, pietate singulari statam vnius horæ comprecationem quotidie instituerunt. quod cùm primò esset spectaculo ciuitati, pòst etiam exemplo plurimos vtriusque sexus homines ad simile pietatis exercitium inuitauit. Non pauci ex iis non satis existimantes singulis septimanis sacra exomologesi conscientiam emaculare, id etiam sæpiùs toto anni decursu in quauis hebdomada ingenti pietatis profectu prouentuque factitarunt. Ex his octo diuersis Religiosorum castris se manciparunt; septem B. P. Ignatij meditationibus exculti. Dialogismi aliquot scholasticorum progymnasmatum loco habiti in scholis, quibus ipsi Serenissimi interesse voluerunt, mira satisfactione, vt eos sibi in aula secundò exhiberi flagitarint. ternæ verò actiones scenicæ datæ: quarum prima eo tempore quo maximè bacchatur hominum effrenata licentia, argumento illis diebus accommodatissimo, concursu frequentissimo, vberi fructu, bis

repe-

repetita est Secunda ante expeditionem Canisianam, celebriori quàm vnquam hominum cœtu data est. interfuere, præter Serenissimos nostros Principes, Excellentissimus Ioannes Franciscus Aldobrandinus, Pōtificij exercitus Dux, Illustrissimus Don Ioannes Medicæus, plurimique generis Italici Proceres. argumentum ex Zonara desumptum, Ioannes Zimisca Imperator cōtra Russos pugnans, & ope D. Virginis vincens. res omnino & tempori conueniens, & quæ spectatores contra hostes Christiani nominis infestissimos pugnaturos mirificè excitauit. Tertia denique in solemni studiorum renouatione: quæ licet ob pestis contagionem differri debuerit, magna tamen aspectantium corona, ipsis etiam præsentibus Serenissimis, in publico Academiæ auditorio est data. in illa de diui Augustini conuersione agebatur, themate ad studiosorum pietatem excitandam conuenientissimo.

Residentia Millestadiana.

QVOD ad Residentiam Millestadiensem, Missiones Iudenburgensem & Castrensem spectat, exiguo fasce comprehensa perstringuntur. & primò illud sanè memorabile, huius Residentiæ subditos propè omnes hæreticorum falsitate relicta, orthodoxorum veritatem aspexisse. vnde tam celebris numerus fuit ad sacrām synaxim accedentium, vitæ noxas sacra confessione expiantium, vt ipso solemni Christi Natalitio 127. ipsis Paschatis festis 828. sint recensiti. Supplicio afficiendis spiritale præstitum auxilium Dissidia inter coniuges sublata. Hæreticorum libri plurimi numero publico Vulcano consecrati. Sacerdotes aliquot B. P. Ignatij commentationibus sacris exculti.

culti. Præter conciones quæ Dominicis festisque pro suggestu habentur, etiam rudis populus & pueri Christiana catechesi formati. In quadam parochia celebri cùm à multis annis Curionum negligentia obsoleuissent ritus Ecclesiastici, & ii maximè, qui eo die quo se pro nobis Christus in cruce tradidit exhiberi solebant, in integrum vindicati.

Missio Iudenburgensis.

AD Missionem Iudenburgensem veniō. Versantur hic apud Serenissimos Archiduces Leopoldum & Carolum ex nostris duo sacerdotes, qui iam per nouem menses consueta Societatis munia obierunt. Vnus Serenissimis à confessionibus & concionibus est: alter verò Serenissimo Leopoldo & quatuor honorariis pueris, humaniora tradit studia. Nostrorum opera in eleëmosynis pauperibus procurandis præcipuè enituit, quo nomine nostris libentiùs de peccatis confitentur. Hospitalibus etiam & carceribus non defuit nostrorum visitatio & consolatio, quā præsertim sex extremo affectis supplicio impenderunt, cum maxima spectatorum approbatione. In vicinis locis cōciones cum frequenti auditorum multitudine, & constanti attentione sunt habitæ, & confessiones eorundem exceptæ. Sacellum in xenodochio profanis vsibus destinatū, nostrorum operâ repurgatum, & in integrum restitutum est. In templo etiam alio, quod hæretici multis annis sua pestilenti doctrina profanarāt, in festo S. Martini præsentibus Serenissimis cultus diuinus solemniter habitus, & adinstar Machabæorùm celebrata encænia. Populus huius loci maiori ex parte annis elapsis hæresi infectus fuit: iam paulatim,

tim,

tim,licet non ſine difficultate,ad pietatem Catholicam publicis & priuatis noſtrorum exhortationibus reducitur Prædicantes verò veritatis luce confuſi velut talpæ ſe in tenebras abdiderunt.

Miſſio Caſtrenſis.

NVNC ex iis quæ à duobus è noſtris in obſidione Caniſiana ſunt geſta, pauca delibare ſufficiat. Et quidem quanto fructu toto illo tempore in caſtris ſint verſati, inde apertum facilè euadet, ſi in noſtros aliorum ſacerdotum defectu ferè totam ſpiritalem molem recidiſſe conſideraris. Neque enim tantùm præbere confitentibus aures,ad ægros ſacrum viaticum deportare, pauperibus & nudis ſubuenire,de rebus diuinis ad milites dicere ſufficiebat; ſed & ſacro abluere fonte,itemque matrimonio copulare, & ſepulturæ mandare illis incumbebat : quod & indefeſſo ſtudio & magno prouentu perfecerunt. Illud verò mirandum, noſtros quorumuis ægrorũ caſas adiiſſe, frigidiſſima ſæpè cæli tempeſtate, viis aqua oppletis, fœdíſve luto, nulla tamen tentatos inualetudine; cùm ex duodecim Capucinis quatuor grauiter ægrotarint, reliqui diem clauſerint extremum. Ad fidei orthodoxæ veritatem rediere quadraginta: ex his quidam fuit trigintatres circiter natus annos, quem ægra valetudine conflictatum, ex caſtris abeuntem aggreſſus ſocius itineris, cupiditate cæcatus pecuniæ, duplici vulnere ſauciarat. Regreſſum ad caſtra noſter adit,amicè compellat, pro fidei Catholicæ veritate quàm efficaciſsima adfert rationum firmamenta. Nec fruſtra. molleſcit paulatim hæretica pertinacia, induratur animus, tempus cogitandi ſtatuendique petit : conceditur. redit noſter poſtero die, cùm ecce brachiis,

chiis, decussis tenebris; ad pectus positis, oculis ad cælum leuatis, voce contriti cordis indice, nostrum inclamat, se sua peccata confessione velle eluere affirmat. quod & fecit, sacroque refectus viatico mira animi tranquillitate ex hac vita migrauit. Non rarò contigit vt fortuitò ægra valetudine confectos reperiens noster, mox vt illos salutari confessione purgatos absoluit, mira Dei disponentis bonitate vita excesserint. Mulierem ægram aliquando noster adiit, conscientiæ maculas vt confessione deleat monet, cùm pertinax obstinato contemneret animo, die sequenti vi morbi in phrenesim incidit, sibi ipsi cultro iugulũ non letaliter tamen ferit. tanto vxoris malo territus maritus, illam furiis intemperiisque quibusdam agitatam è castris deportatam sub tentoriolo solam relinquit. noster ne quid intentatũ relinquat, illam rursus adit, reperit mulierem fermè animam agentem, rationis tamen compotem: cum qua salubribus agens monitis tantum effecit, vt & factum suum lacrymis defleret, & confessione facta, mira contriti animi significatione diem clauderet extremum. Contigit vt aliquando noster pro suggestu ad milites verba faceret, & in eos maximè qui inter tot globorũ grandines, tot tormentorum tonitrua mortis immemores salutisque, peccatorum degrauati pondere manerent, inueheretur; & ecce globus non procul ab eo loco in quo verba habebat noster, horrẽdùm stridens, vicinum tentorium penetrans, duos famulos foco assidentes, rerum diuinarum, vt postea animaduersum, negligentes tangit; vnius effundens cerebrum, alterius dissecans ventrem. quod factum magno ad salutis maiorem habendam rationem fuit incitamento. Collecta eleëmosyna circiter 300. ducatorum, vnde factum vt famelicis edulia,

nudis

nudis vestimenta, vulneratis medicamenta præpararentur. tanta verò omnium admiratione, nostri ad humilia quorumuis militum ægrotorum tuguriola arreptantes, charitatis officia peregere, vt à multis conseruatores acclamarentur: plures visis nostris in genua se deiicientes ab ipsis quòd viuerent, quòd essent, singulari memoris gratique animi argumento acceptum faterentur. Abusus militares multi sublati, exhortationes in chartas lusorias, periuria, militaria peccata habitæ, tantumque potuere, vt quod olim erat laudi, nunc fuerit dedecori. Composita inter aliquot dissidia, quæ in magnum malum videbantur eruptura. Quod ad, Serenissimum Ferdinandum spectat, non minorem militiæ, quàm domi præ se tulit virtutem & pietatem. Singulis diebus bis fermè diuino sacrificio interfuit, nostrum de rebus diuinis dicentem ad milites assiduè audiuit, publicè cæleste epulum, quò plures suo facto incitaret, accessit. Alios idem sacerdotes & infimæ sortis plebem summa animi voluptate spectauit. Hoc etiam eius diligentia effectum, vt nullus ex iis animarum prædonibus, quos Prædicantes vocant, castra quauis astutia ingrederetur. Quod mirum in tanta hæreticorum dominorum multitudine meritò videri possit. Hinc eius exemplo, nostroque ad milites accedente hortatu introductum, vt longo & difficili itinere sacerdotem sacram synaxin ad ægros deportantem, plurimi capitibus detectis, funalia manibus gestantes, pietate singulari comitarentur: aliis etiam hæreticis, vel flexo poplite tantum Sacramentum venerantibus, vel cultu approbantibus, vt diceres religionem & Martem in vnum locum conuenisse. Et quamuis, quorumdam procrastinantium & bellum consultò trahentium culpâ Canisia recepra

non ſit; optimi tamen Ducis officio Sereniſsimus Princeps noſter non defuit, quà difficultates & pericula omnia fortiter ſuperando, quà ſumptus affatim ſuggerendo, quà conſilia habendo, quà prouidendo, monendo, vrgendo: ſed cùm illi de die in diem ſpem potiundæ arcis faciunt, tempeſtatibus oppreſsi, obſidionem maximo omnium Catholicorum dolore, ſoluere ſunt compulſi.

Collegium Olomucenſe.

NVMERVS Sociorum minimùm fuit trigintatres, ſacerdotes quatuordecim, præceptores non ſacerdotes quinque, ſcholaſtici quinque, Coadiutores nouem. cælo adſcripti duo, P. Wenceſlaus Sturmius Boëmus, triginta iam annis quatuor votorum profeſſus, a B.P. Ignatio in Societatem admiſſus; amore inſtituti & obſeruatione inſignis, qui vel affecta iam ætate pænè ſeptuagenaria & morbis graui, nihil vel minutum abſque Superioris facultate ſibi arrogabat: vir zelo plenus, ac de fide Catholica per Boëmiam aduerſus hæreticos Picardos optimè meritus, & ſcriptis patrio idiomate libris contra eoſdem celebris. Is feria quinta ſanctæ hebdomadæ, tametſi æger, quòd audiendis Boëmis cōfeſſarij non ſufficerēt, in templum reptans (quod & præcedentibus diebus fecerat) cùm plures horas pœnitentibus aures dediſſet, ſub veſperam apoplexia correptus, nona demum die ad laborum præmium percipiendum è vita migrauit. Alter fuit Ioannes Selme Bauarus, ætatis annum excedens ſexageſimum, religionis triceſimum, Coadiutor temporalis ab annis ſeptem formatus: qui plura miniſteria in Societate cum laude executus, poſtremò per annum integrum morbo afflictatus, illius non

prius

non priùs quàm vitæ finem accepit. Aucta est supellex sacra duplici pereleganti sacerdotis amiculo; altero Mariæ Ferdinandi Archiducis matris dono; altero Baronis ab Oberſdorff: tùm etiam thuribulo argenteo. Auctius quoque redditum vnum Collegij prædium permutatione alterius, rei familiaris, vti speratur, sat magno commodo. Aliquid etiam eleëmosynæ in nos collatum ad daleros septuaginta. Frequentia gymnasij multùm excreuit: extitit discipulorum modestia ac pietas non vulgaris. Litterarij gradus bis collati. Datus sub studiorum instaurationem Augustinus pœnitens in scenā, cum plausu fructuque. Cui actioni Illustrissimus Cardinalis à Dietrichstein Episcopus Olomucensis, cum vniuerso Capitulo, interfuit, præmiaque munifica & pretiosa largitus est. Idem altero pòst die Collegium familiariter inuisens, oratiuncula primùm, deinde prandio cum plerisque Canonicis in triclinio domestico exceptus, magna exhibuit in Collegium istud vniuersamque Societatem amoris indicia. Restituta hoc anno latina ad superiores classes diebus festis concio, fructu non pœnitendo: quam supremus Morauiæ Capitaneus, noster olim discipulus, cùm Olomutij eum adesse contingit, libenter adit. Seminarium alumnorum & conuictorum, quod adolescentibus circiter centum & disciplina satis floret, duos Societati dedit. Constat hæc ciuitas, tametsi patria prouinciæ lingua sit Boëmica, ferè tota Germanis: Germanicæ ideo conciones frequentiores sunt. sunt autem certæ ac fixæ duæ, & à nostris, præter tertiam Boëmicam, ambæ habentur Itaque nostri ciuitatem erudiunt vniuersam, & ab hæreticis ipsis libenter assiduoque audiuntur, atque extat operæ pretium. Etenim religio sensim vires & auctoritatem sumit,

hæresis amittit. Difficile quidem est, primores hæreticos, qui gloriam ab inuicem quærunt, ad fidem pellicere: at æquiores saltem nomini Catholico indies redduntur, & eorum filij qui ferè in nostris scholis edocentur, Catholici succrescunt in parentum locum: multaque sæpè edunt, toleratis etiam plagis & inedia religionis caussa, constantiæ documenta. Licuit hoc anno videre supplicationem Christi Corporis solemnem, tanta frequentia celebrem, & supplicantium pietate insignem, vt vetera præsentibus componentes, Excelsi dexteram agnoscerēt & prædicarent. Roborat etiam rem Catholicam ac promouet obfirmata Cæsaris voluntas, hoc item anno renouata, ne in senatum quispiam hæreticorum cooptetur. Sed nec nullus primorum ciuium fidei lumen aspexit. Quidam ex illis annos ampliùs septuaginta natus, acerrimus Lutheri propugnator, hostisque nominis Catholici, eoque etiam nomine celebratus, remittere primùm nonnihil cœpit, postquam inter scindendas die quadam sabbati ad mensam carnes, retortus subitò in manibus culter, tanquam auersans facinus, in scindentis pectus conuersus est, ipseque apoplexia tactus subitò corruens noctem illam diemq; insequentem sermonis facultate iacuit orbatus: quam vbi primò aliqua ex parte recepit, voto sese obstrinxit, deinceps numquam die sabbati carnes gustaturum. Interea nihil moliens vlteriùs, hærebat donec cuiusdam ex nostris tum sermonibus familiaribus, tum publicis de Christiana doctrina concionibus per dies singulos Quadragesimæ habitis, quarum ille erat auditor assiduus, Deo illius cor aperiente videre cœpit: cuius mutationis fama vulgata, à nobilibus viris illius est constantia variè pertentata: sed eo, pluribusque aliis

quæ

quæ obiiciebantur, impedimentis superatis, denique sacram synaxim in nostro templo adiit, vnà cum filio duodenni; vt quam ille fidem senem iam parentem amplexatum fuisse meminisset, eandem ipse puer imbibens, ad extremam vsque senectam conseruaret. Accidit hæc conuersio Catholicis quidem iucundissima, ingratissima contrà hæreticis, vtrisque admodum noua & admiranda. Duo eiusdem generi, alter cum vxore & liberis, alter verò cum grandiore filio, pariter Catholici facti sunt. Sed plus etiam alterius feminæ conuersio miraculi habet. Haustum illa è concionibus spiritum, metu familiarium suffocabat. Quidam enim homo improbus dum ipsi soli in conclaui repertæ atque reluctanti, opemque diuinam imploranti, vitium per vim inferre parat, repentè ad eius pedes manu inuisibili percussus, cadit exanimis. cuius infelix mors mulieri vitæ caussam dedit. nam grata pro beneficio, conterrita de casu, ad Ecclesiæ sinum sese recepit, perque nostros Deo conciliata est, quibus & rem gestam ipsa narrauit. Vir alius à puero Lutherana perfidia imbutus, dum animam ageret, nec mori tamen posset, Catholico ritu Sacramenta expetiit. nostro itaque sacerdoti confessus, perceptoque viatico postridie decessit: prius tamen vxorem obtestatus, vellet eandem fidem amplecti, in eaque ad finem vsque vitæ permanere. sibi namque magnam iam mentis corporisq; quietem esse. Spopondit illa se quod suadebatur facturam: & stetit promisso fides. Spiritus vbi vult spirat, nec spirat modò, sed rebelles interdum obstinareque refugientes, mirabilibus modis ad se compellit voluntates. Exemplo sit adolescens locupletibus parentibus in Hungaria natus, & noster aliquando Viennæ discipulus: vbi tametsi fidem

Catholicam penitus non imbibit, ad eam tamen non modicam hausit propensionem. Is magno ære alieno contracto cum offensione parentis, domum reuocatur; vbi dum est, atque omni officio demereri parentem studet, eò tamen induci ab illo numquam potuit, vt Caluinianum concionatorem audiret. ira percitus pater, in teterrimum carcerem cum Turcis filium detrudit, cibo potioneque interdicta, quæ ipsi à Turcis suppeditata fuerunt: neque exorari nobilium aut ciuium precibus, nec lethali filij morbo ex pædore & inedia contracto, per annum ampliùs dimidium, potuit; donec primarij cuiusdam viri, non verbis tantùm, sed minis liberum facere ex ergastulo filium coactus est. itaque per occasionem Olomutium veniens, fidem meliùs docetur à nostris, Ecclesiæq; Catholicæ per Sacramenta adiungitur. Resumpta seriò cura adiuuandi eos, qui in nosocomio prope Collegium sito, aluntur: fuere per hiemem ad 150. ex iis 40. fidem Catholicam edocti, receperunt. Inter quos mulier septuagenaria, veluti ceterorum magistra, quæ cum sex septémve aliis nefario se iuramento obstrinxerat, ab errore numquam discedendi. verùm tracta à Patre luminum, sex circiter ante obitum hebdomadis, expiata, coniuratis idem faciendi auctor fuit. Alia femina, quæ à decennio de salute desperans, oculum sibi eruerat, impulsoreque diabolo, qui spectabilem se illi præbebat, in aquas desiliens, vitæ finem factura erat; nisi quorundam tempestiuo auxilio, & angeli quoque boni aspectu, qui subtristem se ei ostêdit, & dehortatione ab exitio retracta fuisset; in hospitale oportunè adducta, denique per exomologesim curata, perfidiam simul & desperationem deposuit, & à vexatione diaboli liberata est. Conuersus ibidem ad fidem vir propè centenarius,

narius, hora videlicet vndecima iamiam exeunte. Pauci remanent adhuc hæretici: Catholici autem omnes de confessione ritè peragenda instituti cum magno fructu sunt. Persuasum etiam, vt quotidie, quibus per ægritudinem liceat, Sacro Missæ intersint, quum perpauci hactenus vel die Dominico interesse solerent. Ad vinctos in publica custodia, habito singulis hebdomadis sermone, sua quoque vtilitas emanauit. Octo ab hæresi reuocati: è quibus vnus gratulabatur sibi magnopere, quòd ritè tandem animo expiato, mori concessum esset. Iam si libeat eorum numerum inire, qui fidei naufragium passi, ad Ecclesiæ portum, porrecta per nostros pœnitentiæ tabula, enatarunt, quadragintasex supra centum numerabimus: maturos plurimùm ætate, & magna parte ciues. Præter hos ab vsu calicis reuocati quadragintaquatuor, & in iis (qui solent esse ritus tenaciores) sexagenario & octuagenario maiores. Pagus quoque integer familiarum vigintiquatuor resipuit: ad quem rogatu domini, sacerdos noster profectus, sermone de obedientia fideique veritate, deque vna specie habito, sic omnes permouit; vt, cùm antea frustra sæpiùs sollicitati fuissent, statim manus darent, neque se hactenus rem intellexisse profiterentur. Sed in hoc genere illud insigne. mulier quædã, ceteroqui vt præ se ferebat Catholica, triennij labore non potuerat à sacerdote nostro ad communionem sub vna tantùm specie perduci. ad hanc de peccatis audiendam, quòd esset infirma, ille idem accersitus, vbi domui appropinquare ab hospite visus est, ne cum vitæ periculo limen subeat, ab eodem absterretur, affirmante diabolum specie humana mulieri visum, seuerissima mortis comminatione interdixisse, ne Iesuitæ peccata confiteatur. at noster si-

gno crucis se muniens ad ægram nihilominùs ingressus quæque ad rem erant prolocutus, quod antea cùm sana erat nequiuerat, cùm ægra esset effecit, vt post confessionem, sub vna tantum specie viaticum acciperet: quo instructa post dies quatuordecim è vita decessit. Excursio facta ad Diuam Annam quarto à ciuitate milliari, ipso eius festo, quò maximi concursus fiunt, rogatu Parochi; vbi tum concione Boëmica & Germanica, tum audiendis confitentibus, peregrinantium pietas promota est. Interuenit Illustrissimus Dominus Cardinalis à Dietrichstein Episcopus Olomucensis, qui alterum nostrorum sacerdotum onere vnius concionis liberauit: tum etiam ipse sua manu coctas carnes, quas in eum finem parari iusserat, aduentantium pauperum multitudini publicè distribuit. Concludam narratione facti; ægrotanti viro vigilantique in meridie visus dæmon, humana voce suadere cœpit, si sanus esse vellet, vt chirographum proprio & filiorum sanguine exaratum traderet sibi, effecturum se, ne diutiùs cum rei familiaris iactura æger decumberet. quod si iam commodum non foret, reuersurum se postmodum, forma cuiusdam puerul Æthiopis. interea bene monenti obediret, dimidiumque orbiculũ vitreum è fenestra acceptum contunderet, atque in pulueres comminueret, quos ebiberet, mox somnũ capturus ac quietem. Vbi euanuisset insidiator, reperit homo medium vitri orbiculum in lecto, ingredientique ad ipsum mox vxori rem omnem aperit, vitrum ostendit, consilium requirit. Illa vt pia Deique prædita timore, ad rei indignitatem obstupescens, exclamat, Nequaquam ita fiat, marite mi, sed quàm primùm ingredi potueris, ambo ad templum confessionis sacræque communionis caussa adeamus.

tum maritum iubet Symbolum Apostolicũ recitare. quo illa verba pronunciante, *Deum omnipotentem*; ergo, inquit mulier, Deus in quem credimus omnipotens est? si Deus, non vtique diabolus. infirmus es? sanari cupis? ad omnipotentem igitur confugiamus, non autem ad cacodæmonem. qui enim confidit in Domino, non confundetur. Atque ita factum est, vt postmodum confessione in templo nostro expiati, Christi corpore reficerentur. Dignum profectò in femina exemplum, quod ad imitandum proponatur.

Collegium Labacense.

TRES hoc anno Socij in partem laborum nostrorum adsciti, personarum numerum auxerunt, frater vnus, duo sacerdotes: quorũ alter Pater Valentinus Mrazelus, qui in hanc prouinciam ex Vrbe redierat, postquam appulerat continuæ febris ardore correptus, paucos admodum superuixit dies, magno sui apud omnes ob singulares animi virtutes, relicto desiderio. Scholasticorum diligentia, atque egregio in litteris progressu effectum, vt Humanitatis professio gymnasio nostro concedi debuerit. Egentium quoque scholasticorum patrocinium in prouinciæ commodum à nostris hoc anno susceptũ & inchoatum, eorum maximè qui dotibus naturæ, ac integritate morum visi sunt ceteros antecellere; ac proinde domus Collegio proxima ampla & peropportuna coëmpta, eleëmosynæ emendicatæ, ne scilicet plus operæ ac temporis in colligenda stipe, quàm in pietatis ac litterarum studio boni adolescentes cogantur ponere. Mira vicissim Archiducum erga nos hoc anno extitit liberalitas. Serenissimus enim Ferdinandus quinque florenorum

millia Collegij fabricæ aſſignauit: qua munificentia effectum eſt, vt iam bona pars Collegij extructa tecto ſuperimpoſito gaudeat. Eius coniunx templo noſtro patellam cum tribus argenteis vrceolis auro ſuperinductis in vſum ſacrificij Grætio tranſmiſit. his addidit Archidux mater è fuſili argento Chriſti ex hebena cruce pendentis imaginem argenteo emblemate inclytam & elaboratam. Nec huius prouinciæ Capitanei D. Lenkouitz beneficentia ſilentio eſt committenda. ille moriens nobis mille florenos teſtamẽto reliquit, deditque templo ex argento caſulam Phrygio opere inſignem. Vir fuit militiæ laude clariſſimus, noſtrorum in omni vita ſyncerus amator & fautor. Cùm extremum ſibi diem adeſſe aduerteret, noſtrorum ope viatico cæleſti munitus, ſacroque oleo tinctus, à P. Prouinciali magnis precibus impetrat, vt ſibi cum noſtris, quibus in vita fuit coniunctiſſimus, in ſacra æde noſtra liceat conquieſcere. nec multò pòſt cùm in noſtrorũ complexu Deo naturæ debitum perſoluiſſet, militari apparatu ac nobili pompa ad noſtrum templum defertur, iuxta aram maximam tumulatur. funebris apparatus pænè omnis templo poſtmodum ceſſit: cuius pugnæ ac egregia contra Turcas facinora à ſtudioſis carmine, pro concione pietas ac ceteræ eius virtutes funeris ac familiæ cohoneſtandæ gratia ſunt celebrata. Cùm Venerabile Sacramentum de more patriæ hactenus muro incluſum, exigua cum veneratione, quaſi deliteſceret; viſum fuit Euchariſtiã ad altare maius transferre: in eumque finem tabernaculum artificioſè fabricatum eſt, auro argentoque inſigniter depictum, in quo nunc maiori cultu ac veneratione aſſeruatur. Sex caſulis ſacerdotalis apparatus hoc anno auctus eſt, è quibus ob Phrygium opus auro

argen-

argentoque conspicuum tres sunt insigniores. Cum nostri ob aëris intemperiem aduersa frequenter valetudine se obrui aduertissent, fundus aliquis suburbanus, qui recreandis nostrorũ animis corporibusque esset idoneus, medicorũ consilio, quærendus erat. sed cùm ea in re variè impediremur; ecce tibi hæreticus vir primarius suum prædium, vrbi proximum, situ loci & amœnitate iucundissimum, pecorum insuper armentorumque pascuis vtilissimum, nobis emendum obtulit. illud ergo quatuor florenorum millibus emptum, Collegij rebus accessit. Hactenus domestica. Religionis reformatio Serenissimi nostri mandato, in hac prouincia per Commissarios instituta, adeò felicem euentum sortita est, vt hoc anno perpaucis rebellibus exilio multatis, non solùm hæc ciuitas, sed prouinciæ opida pænè vniuersa, abiurata hæresi Ecclesiæ sint restituta. Atque hæc fidei orthodoxæ instauratio quoniam à nostris inuecta priore anno spargebatur, plusquã vatinianum hæreticos nostri odium ceperat; sed hoc anno eiusdem reformationis cursus nos cunctis vicissim ciuibus reddidit gratos & acceptos. nam cùm multi intra terminum à Commissariis præscriptum, nec ad Ecclesiam se aggregassent, neque solum patrium vertissent, ideoque tanquam refractarij & contumaces, partim carceribus includerentur, partim grandem æris multam exsoluere iuberentur, per suos tandem ad nos tanquam ad sacram anchoram confugerunt. nec frustra. nam ad Societatis nostræ intercessionem & carcer & multa eis condonatã, ea tamen lege vt se nobis quàm primùm instruendos in fide offerrent quæ res quàm plurimis certissimam peperit salutem. Ingens interim animorum seges fuit hoc reformationis tempore, suntque per nostros adeò

XXx 5 multi

multi tum in fide instructi, tum à perfidia absoluti, vt difficile fuerit certum eorum numerum eligere. Vir quidam primarius in grauem inciderat morbum, quo ingrauescente destituebatur adeò viribus, vt sibi è rebus humanis omnino excedendum arbitraretur. Quare hæresi suæ diffidens, per coniugem aliquem è nostris acciri iubet, quo cum de vera fide conferat, atque ritè instructus conscientiam hæreseos labe vindicet. Coniunx cùm & ipsa hæresi infecta esset, mariti imperium cunctanter exequitur, fit mora, atque dum malitiosè mora nectitur moræ, æger somno obruitur, in quo has voces inaudire sibi visus est; Si scandalizat te oculus tuus, erue eum. intellexit ille euigilans fraudem coniugis, eamque scandalum & obstaculum suæ conuersionis esse aduertit; proinde posthabitis vxoris technis, nostrum ad se vocat, instruitur ac conuertitur, eo lucro vt & vxor & domestici omnes Ecclesiæ non multò pòst sint aggregati. In Paschate 1050., studiosorum numero posthabito, sacra synaxi in nostro templo se refecerunt. Odiosa etiam incendia inter primarios viros non semel per nostros restincta sunt. Excursum est aliquando in vicinum opidum, vt nobilium matronarum contentionibus finis imponeretur, quarum non solùm animi conciliati, verùm eleëmosynæ collectæ, quibus domus pro sacerdotum habitatione & ludo litterario extrueretur. Incarceratorum quoque qui absque patronis vinculis eripi non poterant, à nostris frequenter patrocinium susceptum est, maximo eorum bono, ac reliquæ vrbis ædificatione.

Domus Probationis Brunensis.

ALIT hæc Domus perſonas è noſtris octoginta, veteranos quidem ſexdecim, reliquos nouitios: ſacerdotes in vniuerſum vndecim numerantur: tres tertium probationis annum ex Societatis inſtituto agunt. E viuis exceſſit P. Simon Hartman, qui formatus ſpiritualis noſtræ Societatis Coadiutor, per vigintiduos annos, quos ex maiori parte in hac domo tranſegerat, variis laboribus ac muniis inſtituti noſtri propriis tum docendo; tum officium ſocij Magiſtri nouitiorum obeundo; tum verba ad populum ac domeſticos ex ſuperiore loco faciendo, (quo charitatis munere imprimis delectabatur.) his poſtremò acceſſit, quòd Illuſtriſſimo Cardinali Olomucenſi Epiſcopo in confeſſarij munere deſeruiret: eoque nomine volũtate eiuſdem Illuſtriſſimi, Cremſirium, vbi Epiſcopalis eſt ſedes, adiit, ibique aliquamdiu ſed non otioſus egit, tum quaſi mortem ſibi inſtare, quam tamen ſine noſtro teſte obire nollet, præuideret, à Rectore huius domus nouitium ſibi adfuturum impetrauit. cuius aduentu lætus, ac ſui voti compos factus, ad vocantem Chriſtum laborans quidem & oneratus, ſed reficiendus, & requiem (vt ſperamus) animæ ſuæ inuenturus, paucis pòſt diebus emigrauit. Mortem illius ipſemet Illuſtriſsimus Cardinalis litteris ad Rectorem huius domus datis manu propria hiſce verbis conſcripſit & nunciauit: Abiit ad cælos terrenis exutus moleſtiis noſter Pater Simon. vtinam parentem in breui cõſummato filio ſubſequi liceat! Obiit hac ipſa hora poſt acceptam abſolutionem, extremamque meis manibus vnctionem adhibitam, quæ & defuncto oculos clauſerunt: quod ne vlti-

vltimum meum ſit beneficium, inferias ſplendido apparatu præſtandas curabo. Die Lunæ corpus ſepulturæ dabitur in eccleſia mea S. Mauritij in hac mea ciuitate. Nolo enim carere reliquiis ſanctiſſimi huius viri qui verè ſanctè vixit, ſanctiſſimeque mortuus eſt, & verè pro beato haberi poſſit. hæc Dominus Cardinalis in ſuis litteris. Acceſſerunt hoc anno ad nos quadragintaquinque Societatis tirocinium hîc poſituri: locum iis ceſſerunt triginta, qui emenſo nouitiatu ad varia Collegia ſunt tranſmiſſi. Ad Catholicam fidem redicre nonagintaquatuor. Ad ſalutarem vſum communionis ſub vna ſpecie inducti aliquot. Excurſiones hoc anno ex hoc loco frequenter factas fructus non tenuis ſecutus eſt. Peregrinationes, vnum ex noſtræ Societatis inſtituto tironum experimentum, aliquot annis ſuperiore ſæculo intermiſſas, peſtis & bella vbique bacchantia ſopiuerant; ſed pro felici huius ſæculi auſpicio, Deo opt. max. optatis noſtris bene fauente, eas recepimus, non abſque proximorum fructu. Quod ad alterum inſtituti noſtri caput pertinet, quo rudium catecheſis præſcribitur, menſuram quoque ſuæ probationis, hac in parte non infructuosè huiuſce domus tirones impleuerunt. Vndecim in locis opera impigrè poſita; pagis non paucis populoſioribus, qui auditores affatim ſuppeditabant. Propoſitum hunc curſum non priùs gratiſſimis ineuntis Aduentus Dominici auſpiciis, ad feſta vſque Paſchalia inconcuſſo tenore tenuerunt. Ita verò pueris vacatum eſt, bona vt ſolertiæ pars in homines natu maiores deriuaretur. Hi prætérquam quòd ea cum minimis illis didicerũt, quorum inſcitiam propalare puduiſſet; ſingulari etiã ex Euangelico themate virtutum paręneſi, incuſſo familiarium vitiorum horrore, ad animæ frugem

gem sunt reuocati. Cymmeriis sunt planè tenebris inuoluti. testimonio sit, in frequenti pago ignoratum omnino fuisse à tota auditorum corona, quo mortis genere Christus Dominus nos in libertatem asciuerit. adde, quòd non modò crassissima peccata, peccata esse nescirent, sed ferè nec quid credendum esset intelligerent. In hoc album præcipuè collimatum, vt quàm plurimi ad Sacramenta frequentanda maximè solemnioribus Christi & Virginis Deiparæ festis recurrentibus traherentur. obuenitque ita, vt rustici sanctè quandoque asseuerarent, neminem omnino iuris municipalis beneficio fruiturum, qui huiusmodi festis animum sacrosanctis Ecclesiæ mysteriis non lustrasset. Proximum fuit vt ad Sanctorum, ac inprimis Virginis Matris inuocationem redirent. Ad vtrumque non leuis momenti fuit hoc quod attexam. Mulier quæ aliquandiu ægrotabat, inexhausto sanguinis profluuio quintũ iam diem è naribus continuè distillantis, discrimini extremo propinqua iudicabatur. hæc cùm per nostros sub catechismum inuiseretur, in fide erecta, cùm communicaturam se in S. Agnetis memoriam, cuius nomine vocabatur, votum emisisset, propè momento multis stupentibus fonte sanguinis siccato, & potiundæ sanitatis & exoluendi voti locum nacta est. Obtentum præterea, vt statis ex Ecclesiæ præcepto diebus carnium esu plerique abstinerent, quem segni hactenus dissimulatione toleratum in habitum propè induerant. In festa etiam solemniora seruiles labores præscripto fere iure incurrebant: quibus sublatis rustici, qui non leui conatu festorum celebrationem didicerant, salutarique otio indulgendum edocti, non minima gratitudinis ac beneuolentiæ signa rependerunt. Pauca hæc de pluribus peregregiis ad Socieeta-

cietatem noſtram vocationibus recenſere ſat erit. Habebat iuuenis quidam ſororem perquam religioſam, quæ fratrem tum ad repetenda ſtudia neglecta, tum ad Societatem capeſſendam (ſi Deo cordi eſſet) enixè cohortatur; ſed nihil niſi vanas lachrymulas, dubitationes, fluctuationeſq; eliciebat; donec tandem ſecundùm quietem vox hominem proprio nomine compellit, &, Surge (inquit) ad Collegium Patrum proficiſcere, vbi intelliges, quid ſit tibi faciendum. Nec mora. hic antelucanus talaria ſuccingit, laribus parentum ſe proripit, ad vicinum Collegium aduolat, vnum è Patribus, ſeu alterum Ananiam conſulit, patefacit negotium, conſilio ſuadentis ſtudia ſtatim obtemperat: eò forſan mirabiliùs, quòd ætate aliàs iam maturior repueraſcere incipit, ad rudimenta ſe abiicit, ſapientiq́ue non magis, quàm patienti palato deuorat, digerit: ac tamdiu cum bonis literis dies agitat, dum Philoſophię curriculo emēſo variis defunctus periculis, pedicis ac laqueis, deſideratæ noſtræ militiæ ſeſe aggregat. Quidam cùm animi penderet, quemnàm vitæ ſtatum deligeret, rem ſecurè Deo precibus commiſerat. Committentis fidelitatem nullatenus diuina fefellit miſericordia: etenim dormienti adoleſcenti auguſtior emiſſa vox, Religionem Societatis ingredere ſed neſcio quomodo ſomnium cauillato dæmone, fidem verbis abſtulerat; & iam propè erat, vt toto cælo aberrans iuuenis in anfractuoſa matrimonij vada coniiceretur, eoque ventum erat, vt propè ſponſa duceretur in domum: cùm ecce mater, quæ anno ſuperiore defuncta erat, ſeſe dormienti filio obtulit, &, Fili mi (inquit) fili mi, puellam iubeo omittas, quia cras aduenientem R. P. Prouincialem Societatis adi, Societatemque vt aliquando exoptaueras expoſce. Diabolo

bolo ne crede, qui iam pridem luctæ imparem te supplantasset, nisi apud Deum pro te continenter preces effudissem. Quibus dictis, recessit felix omnino vmbra, cui datum optimam partem, quę non auferenda sit ab eo, euangelizare ac persuadere. Et persuasum facilè; cùm mox non expectatus sequenti die R. P. Prouincialis repentè compareret, visa rata facturus: qui eundem iuuenem cuncta narrantem, obnixeque vt admitteretur, efflagitantem, voti compotem benignè reddidit. Adolescens præterea alius nobilibus ortus parentibus, vt raram pietatis in puero indolem prætercam, cùm ea quæ paruuli erant exuisset, statim de vitæ statu ambigens, variis corporis afflictationibus, quasi sortibus Dei voluntatem exquirere statuit. Frequentatæ igitur atroces ex cathena verberationes, humicubationes, rigidæ in cineribus, in fornacibus pernoctationes, acerrimorum ciliciorum quadragesimalis gestatio, ardua ieiunia repetita, preces ad Deum sanctissimamque eius matrem emissæ. Nec vim tantam sibi fieri diu ille misericors Deus sustinuit, quin aperiret. Somno, sed ampliùs curis sopitus dum esset iuuenis, ecce adest augusta supra omnem humanum captum Regina cæli. cingebat alterum latus S. Ioannes Baptista, qui nomen IESV radiantissimum; alterum S. Iacobus, qui sphærulas precatorias diuæ Virgini decurri solitas ostentabat. tum his verbis ad iacentem nominatim compellatum, vtitur Virgo: En, inquit signum tibi datum est, sub quo succenturiatus filij mei auspiciis milites, en turmam cui te adiungas. Hoc viso excussus somno adolescens vocationis ac gratitudinis bene memor esse dum allaborat, fermè impingit. Etenim antiquus hostis præferuidæ naturæ non ignarus, austerioris vitæ larua porrecta, physio-

physiognomiæ propè fructum sustulit, per Sodalem scrupulos vertit, in nostros calumniis magnificè debacchatur, & Societatis labores & pericula decantans, sancta Brunonis lustra rigido otio acclamanda, Ignatij amphitheatro anteferret monet. Quibus telis appetitus adolescens, minimè se negligit otiosus: sed vim vi repellere, hostiles molitiones asperitate durioris pœnitentiæ elidere, magno impetu adnisus, viscera misericordiæ demum permouit, vt contereret laqueos venantium, & à verbo aspero clientem liberaret. Vesperis frequenti templo intererat, afflictus ac mœrens fluctuationibus inuenis: cùm ecce vocem pientissimæ Dominæ è cælo ruentem percipit, Quamdiu (inquit) claudicabis? quoadusque me tentabis? sic tibi mea vilescunt munera? sic ea spernis? sic meis signis non credis? Tantæ rei stupore percitus adolescens, quid senserit horror, deliquium omnibus stupore defixis propalauit. Nec tamen hucusque diuinorum beneficiorum satis. Etenim dum pro tuendo Societatis spiritu diuinitus illapso, precarios globulos Deiparæ Virgini tam eximiè merenti iam candidatus noster, Sacro interlegeret; offert sese salutandam feruentiùs oranti eadem Virgo paruulo IESV vnica sua voluptate stipata: ac benedictionem benignissimè impertita in locum tabernaculi admirabilis cælestium mansionum reuolat, relicto iubilo, quem nouit ille, qui calculum accepit, quoniam speciosa facta est, & suauis in deliciis suis Nec tamen adhuc tentando cessauit dæmon, quin immaturo Euangelici seminis, in dumetis barbarorum serendi feruore, martyrij splendida ostentatione, inconsulto hæreticorum ad Ecclesiæ caulas reducendorum zelo, ardore studiorum oculos ac mentem adolescentis propè fascinaret; dum interim

interim dolosus ſerpens cuniculos ſubuertendæ vocationi ſuffodiebat: & timeo aliquid euiciſſet, niſi vox in ſomnis ruinæ præcauiſſet, his verbis, Fac citò quod debes. imperioſo planè Domini verbo, quo dixit,& facta ſunt omnia. Quocirca R. P Prouincialis omnium eorum factus conſcius, ſponſam tot modis expetitam, vocatamq́ue quaſi in paternam familiam induxit. Nunc ad alia veniamus.Nouo templo concameratio,faſtigium ac tectum cum parua turricula tabulis lamineis affabrè conueſtita,hoc anno adiecta ſunt. Maturandi ædificij ſpem auget multorum liberalitas amicorum, qui in fabricam hanc nobis eleëmoſynæ nomine bis mille trecentos quadraginta circiter daleros elargiti ſunt: quamquam potior pars, videlicet vſque ad duo millia dalerorum nobis à teſtamentariis Magnificæ Dominæ Helenæ de Tovvar erogata ſit.At præter noſtrorum multos,qui frequenter tum ex hac domo,tum ex aliis prouinciæ Collegiis B. P N. Ignatij commentationibus inſtituti ſunt hoc anno; multi etiam externi,& aliquot Parochi,eaſdem haud infructuoſè, vt ſperamus,obierunt. Nec hoc loco vllo modo prætereunda ſunt Illuſtriſſimi Domini Cardinalis hoc anno collata in hanc domum beneficia, quibus quo in vniuerſam Societatẽ noſtram ſit animo, luculenter omnibus teſtatum reliquit. Itaque hoc anno eodem & frequentiſſimè commenſalis noſter non tam hoſpitalitatem à nobis accipere, quàm domeſticã noſtram frugalitatem ſuo iudicio cõprobare velle viſus eſt; cùm quidquam auctuarij locò, in commutationem aulici lúxus, menſæ noſtræ ad talem conuiuam alias imparatæ ſuppleri prohiberet, & communi ac quotidiano noſtro cibo ſibi ſatis eſſe fateretur. apud nos quoque ſuprà dictis ſpiritualibus com-

mentationibus ſeſe refocillauit. cùmque pagi noſtri Diuacenſis templum diu obſoletum non mediocribus ſumptibus anno ſuperiore reparaſſemus, ac quotidie nouo excitaſſemus, eique ſacrarum cæremoniarum ritu conſecratio adhuc deeſſet; illam ipſe Illuſtriſſimus maxima noſtra conſolatione, incolarum pagi, aliorumque ſat frequenti concurſu confluentium ædificatione & ſatisfactione, hoc anno peregit. ſed vt perpetuum ſuæ Illuſtriſſimæ Dominationis in noſtrum Ordinem munificentiæ monimentum ſupereſſet, domum iſtam à fundamentis excitaturum ſe recepit, annuis duobus dalerorum millibus in extructionis ſumptum conſtitutis. In publicis iudiciis infamiæ quędam nota vni ex noſtris ſacerdotibus à perdito quodam huius prouinciæ nobili hæretico, per ſummum flagitium intentata, non ſolùm publica inferentis palinodia retractata eſt: verùm etiam in iudiciorum celebritate, iudicum ſententia ac decreto ſancita dicti ſacerdotis noſtri innocentia: dedecuſque, quod maleuolus calumniator molitus erat, in proprium molientis caput, mentita ſibi iniquitate recidit. Emptum prędium pro tribus millibus & quingentis daleris, antiquo noſtro prædio contiguum. Cæterùm cùm pro nouo noſtro templo noua ornamēta eſſent comparanda, in hanc rem donati ſunt nobis mille trecenti daleri eleēmoſynarum, quibus Mediolano curata fuerunt. Finita eſt hoc anno Miſſio Medricenſis, in qua tota ciuitas, partim noſtrorum concionibus ab hæreſi conuerſa, partim Magnifici Domini per ſe Catholico zelo vrgente ad auitam Dei gratia religionem fermè eſt reducta.

PRO-

PROVINCIA BELGICA.

SVNT in hac prouincia Socij vnus ſupra quingentos. Louanij quinq; & quadraginta. Tornaci tres ſupra ſeptuaginta. Audomari in Seminario Anglicano nouem: in Collegio vndequadraginta : totidem Duaci. Antuerpiæ vndetriginta. Sex & triginta Leodij. Traiecti viginti. Vndeviginti Brugis: vno minùs Ipris Duodeuiginti Cortraci: Gandaui totidem. Inſulis quinque & viginti Duo & viginti Vallencenis. Quatuor & viginti Montibus. Bergis duodecim In Sede Bruxellenſi & Miſſione Caſtrenſi ſeptem & viginti. Cameraci nouem : vno minùs Luxemburgi. Sex Attrebati. In Excurſione Hollandica tres. Adſcripti in Societatem viginti : tranſcripti in cælum, vt ſperamus, ſeptem.

Collegium Louanienſe.

EGERVNT hoc anno Louanij Socij 47. è quibus ſacerdotes 19. quorum ſeptem ſtudioſis annumerandi : ſtudioſi Theologiæ non ſacerdotes 16. Adiutores domeſtici 12. Catechiſmus Gallicus in templum noſtrum hoc anno inductus, non ſine ſpe fructus, quem pollicetur auditorum aſſiduitas. Catechiſmus item Flandricus tum ruri, tum in ciuitate : Latinus in Pædagogijs continuatur magno fructu. Quidam ſenex audito catechiſmo, lacrymis perfuſus petijt à catechiſtæ ſocio, num ea quæ is dixiſſet, ita ſe haberent? annuente illo, cœpit ex illo die templum frequens viſitare; cùm tamen annis quatuor ſuperioribus, de hæreſi ſuſpe-

ctus haberetur. Eadem catechistæ industria litem Parochum inter & primarios pagi exortam, & 14. mensium spatio corroboratã maxima paganorum offensione, magnis vtrimq; expensis frustra factis, iam à pago in vrbẽ auocatã, cum inextricabilibus difficultatibus implicita videretur, diremit. Erat in pago hæreticus, qui vicinis insignem offensionem sua pertinacia dabat; tolerabatur tamen propter artem quam exercebat: hunc ad saniorẽ mentem nostrorum labor & industria post varias susceptas disputationes reuocauit, effecitque vt Caluinum, quem annis penè 30. professus fuerat, eiuraret, fideique Catholicæ restitueretur. Auriga Germanus 40. circiter annorum, plaustro onusto ruenti succumbens costam fregerat, delatus ad nosocomium, nostrorum operã Lutheranam, qua infectus erat, hæresim eiurauit. Ad gregem Ecclesiæ, ab hæresis Caluinianæ conciliabulis quam cum lacte suxerant, reducti quoque Scoti sex. Ex his vnus plusquam quadragenarius in Scotia ipsos Ministros ardore pestifero hæreseos superabat. cum variis hominibus in diuersis locis Belgij egerat de religione; sed frustra. tandem huc veniens omnes animi latebras aperuit, errorem agnouit, Sacramentisque in templo Societatis nostræ magno cum animi sensu susceptis, summa sua consolatione discessit, omnibus qui eum norant, gaudentibus, & mutationem dexteræ Excelsi mirantibus. Alius triennio Ministrum egerat, hac iter faciens seminarium Scotorum, cuius cura est penes nostros, inuisit: in eo retentus post varios congressus, veritatem agnouit, & hæresi in templo nostro deposita, Ecclesiæ Catholicæ est restitutus; dumq; in adeundis Sacramentis totus est, sæculo valere iusso, Christi crucem in Religione amplexus est. Eius tum exemplo, tum veritatis vi permotus is,

qui

qui ei & erroris, & itineris fuerat socius, socius esse voluit & fidei & religionis. Quidam honesto loco natus, fratris sui cædem, alterius fratris vulnera, & sui mutilationem inimicis condonauit; eleëmosynisque conquisitis adiutus, summa animi consolatione Sacramentis munitus, aliò concessit. Solitum in pietatis studio cursum tenet Sodalitas B V. Anuunciatæ, imò maiora indies capit incremēta. Ab hoc Sodalitio varii varios Ordines religiosos delegerunt. Dominus de Vendezies Serenissimorum Principum Oeconomus, vir antiquæ ex Montmorenciana familia nobilitatis, insignique pietate clarus, Bruxella huc excurrit, vt nomen Sodalitati daret: quod idem & nobiles aliquot Angli præstiterunt. Bacchanalium tempore, solito concursu & ornatu celebratæ orationes à Dominica Quinquagesimæ vsque ad diem cinerum, Sodalibus semper orantibus, plurimis etiam voluntarias verberationes magna populi ædificatione suscipientibus. Philosophorum Sodalitas, à maiore Theologorum & Iuristarum Sodalitate disiuncta, primariæ Romanæ hoc anno, titulo Conceptionis immaculatæ, aggregata est, præmissa à pluribus confessione generali. conceptam orationis formulam Præfectus, Assessores, ternique è quolibet Pædagogio, aliorum nomine recitarūt. Numerat hæc Sodalitas Sodales 285 qui è quatuor Pædagogijs confluunt Ex his sex varios sacros Ordines ingresi, quatuor Societatem expetunt B.V. Assumptæ Sodalitas inter ciues cōstituta est, litteris confirmationis hoc anno summo Sodalium applausu acceptis, & promulgatis in oratorio peristromatis adornato, honoratissimo Vniuersitatis & Magistratus consessu. Exercitijs spiritualibus exculti 40. quorum multi ex alijs vrbibus ad nos eo nomine venerunt; inter eos non-

nulli fuere de primoribus. Sacerdos vnus triũ dierum iter suscepit, vt fratrem sacerdotem exercitijs spiritualibus, quibus ipse vno antè anno excultus fuerat, imbui curaret, conducto sibi tantisper in ciuitate cubiculo. Quidam mutatis moribus sic contubernales & socios permouit, vt ex eodem Collegio in quo degebat, 12. illum ad exercitia secuti sint. is denique Societatem expetijt & obtinuit. Sacram supellectilem auxerunt duo calices argentei inaurati, ampullæ binæ, cum lance argentea, & pyxide consecrandis hostijs facta, & casula è panno aureo. Collegio difficultate aquæ laboranti ob putei altitudinem, artificiosa subuentum antlia Villa vna belli tempestatibus vastata, & hactenus Collegio inutilis, hoc anno restituta & coli cœpta.

Collegium Tornacense, & Domus Probationis.

IN hac Domo fuerunt in vniuersum personæ 75. sacerdotes veterani decem, præceptores sex, in quibus tres sunt sacerdotes, Coadiutores octo, Nouitij quadragintaocto, inter quos sacerdotes vndecim, scholastici vigintiseptem, Coadiutores decẽ: in tertio anno probationis sex. Vnus P. Claudius Rapinius, qui Insulis huc concesserat valetudinis causa, longa trium mensium tabe consumptus, pridie S. Michaëlis suauissimè Deo spiritum reddidit. In explicandis fidei elementis toto vitæ tempore apud rudiores operam & libẽter & vtiliter semper posuit Multi spiritualibus exercitijs ad meliorem frugem reuocatis in quibus omnes penè vnius cœnobij religiosi viri, mirifico & domus illius commodo, & mutua omnium gratulatione, animo-

animorumque vtilitate. Illos præcessere aliquot è clero primarij, qui aliquot hebdomadas ei exercitationi tradiderũt. Postridie Calendarum Aprilis iacta sunt iam pridem expetiti templi fundamenta, & præter spem progressu felici: eius longitudo ad 140. pedes, latitudo ad 65. protenditur. Reuerendissimus Tornacensis lapidem primum posuit, duplicique benedictione, cùm potestatis, tum largitatis suæ eum cumulauit. Adiecerunt & suam summæ ædis Canonici, communiter quidem, sed & priuatim plerique, quo in nos essent animo, singulari sua liberalitate testati sunt. Neque verò suo defuit muneri Tornacensis Magistratus, qui decies mille florenos in eam rem propensissimè contulit. Noua anni tertij Probationis peragendi ratio à R.P.N. Generali præscripta seruari hac in Domo cœpta est. In eam rem, quoad licuit, habitatione seiuncti sunt à tironibus veterani, & ad hos seorsim habita exhortatio, collatioque spiritualis de rebus in ratione Patris nostri præscriptis Neque verò suo defuere muneri tirones: quorum in spiritu progressum satis superque demonstrant facilis & delectationi iuncta virtutum solidarum praxis, frequens cum Deo per breues aspirationes coniunctio, sui mortificationis & abnegationis in rebus passim obuiis promptitudo, atque in ministerijs instituti nostri obeundis alacritas. Quidam in meditandi ratione tantum profecerat, vt non paucos magnæ auctoritatis viros in admirationẽ raperet: in quibus etiam sacræ Theologiæ Doctor eximius & concionator in exercitiis B.P. Nostri spiritualibus dies aliquot ponens, perlecta quam de tota arte meditandi noster tiro digesserat, tabula, ita eam probauit, vt magno sibi fauori duxerit, ipsam describendi facultatem à suo Directore impetrasse. Fuit

hoc anno doctrina Christiana explicata à tironibus nostris vigintitribus in locis magno vt eorum zelo, sic auditorum emolumento. Nam diuersis in pagis tantus omnium fuit ardor, vt non tantùm pueri, sed & parentes ac senes etiam diligentissimè confluerent, & more puerorũ publicè in templo referrent quæ à catechista fuerant explicata. Quantus autem hic fructus in adultis extiterit, inde etiã apparet, quòd in Natali Domini aliquot è sacerdotibus nostris ad eosdem pagos, vt etiam ad alios missi, plurimorum exceperint confessiones, fueritque communicantium numerus solitò longè maior, videlicet centum quinquaginta, ducentorum in quibusdam, in aliis omnium ferè rusticorum totius pagi. Quod certè non mediocriter mirandum his potissimùm in locis quæ hæreseos nomine adeò malè hactenus audierunt. Aliquot etiam in pagis vsqueadeò hæc catechesis placuit, vt quoties è nostris aliqui per eos iter facientes transeunt, statim concurrant viginti aut triginta pueri, credentes ideo illac iter habere vt fidei rudimenta tradant. quo dum frustratos se vident, magna deuotione agnos Dei sibi dari deposcunt; neque enim tutos se putant aduersus dæmonem, nisi è consecrata cera imaginem collo gestent. Nec minori fructu eadem doctrina tradita est in ciuitate, atq; imprimis in castro; cui cùm magna & alacritate & diligentia ipsi milites præsidiarij toto anno interfuissent, disputatione quadam solenni pueris indicta, propositisq; præmiis, nec ipsi iis frustrari voluerunt. nam cùm agni è consecrata cera proponerentur, milites omnes summis precibus, vt sibi distribuerentur contenderunt: quòd si qui tum defuissent, ii postmodum eodem ardore sibi dari postularunt, vt omnibus omnino militibus 250. & pluribus magna deuo-

tione

tione ac fide accipientibus agni fuerint distributi. Mirificè autem hunc tum militum, tum puerorum ardorem accendit Marchionissa Præfecti arcis vxor, quæ sæpissimè præsens est, & præmia etiam disputantibus proponit, ac filias suas doctrinam Christianam publicè ex memoria recitare, & cum aliis etiam pauperrimis concertare iubet. Nec id in castro tantùm festis ac Dominicis diebus; sed subinde etiam scholam ciuitatis in qua puellis eadem doctrina traditur, adit, secumque filias deducit, ac filium octennem Comitem, vt ad consequendum præmium quod optimè respondentibus propositum est, cum ceteris disputent: quod non mediocriter viros ac mulieres excitat, quo minùs ad huius doctrinæ explicationem accedere erubescant. quod idem faciunt multæ aliæ nobiles feminæ in castro. Nec officio defuit Dominus Comes arcis Præfectus; qui hac æstate dum ab aula ad vxorem venisset, eidem doctrinæ cum omnibus nobilibus suis magna animi lætitia & approbatione interfuit. Nec aliis opera nostrorum defuit. Anabaptista secundò in carcerem coniectus, cùm in errore contumaciter persisteret, identidem à nostris visitatus est, sed irrito conatu. adeò enim arctè illum sibi diabolus deuinxerat, nullis vt argumentis (quæ plurima & efficacissima ei proponebantur, vt nec ipse eorum veritatem negare posset) à fide sua, quam spiritum suum sibi dictitare aiebat, vellet recedere: nec spiritum suum errare posse; sed vniuersæ Ecclesiæ, omnibusque sanctis Patribus, quibus contrarius à nostris ostendebatur, se præferre iactitabat. Interea tribus circiter ante mortem diebus cùm eundem Pater noster accederet, atque ad hoc hortaretur, vt saltem lumen à Deo peteret quo veram fidem intueri posset; ipse obfirmato animo, arre-

pta Patris manu, Eia, inquit, diſputationibus valere iuſſis paciſcamur inter nos, vt in eum diabolus poteſtatem accipiat qui falſa fide nititur. retraxit manum Pater, nec tentandũ Deum dixit: ſe quidem id ſecurè poſſe dicere, non autem illum cuius fides certo certiùs falſa ſit. Verùm Anabaptiſta hac Patris tergiuerſatione non parum inſoleſcens, cùm fidem Catholicam deſpectui iam magis haberet, ſuamque mirificè commendaret; acquieuit tandem conditioni Pater, vt is inquam diaboli eſſet, cuius fides falſitate niteretur. Nec mora. cœpit infelix Anabaptiſta toto corpore contremiſcere: ad quem cùm idem Pater poſtridie acceſſiſſet, retulit ille ſe tota nocte cũ diabolo concertaſſe, ab eoque ſe variis modis & impulſum & exagitatum fuiſſe. nec tamen ſibi perſuaderi paſſus eſt, id ob pactum cum Patre initum, ſibi accidiſſe. hinc ardẽtiſſima continuò febri correptus incredibili cum horrorẽ infelicem animam efflauit, eiuſque corpus, quod ſatis antea obeſum, ſtupendum in modum contractum fuit: vt non obſcuris indiciis patuerit, diabolum, vbi pacto Pater acquieuit, & corpus & animam Anabaptiſtæ iure ſuo inuaſiſſe. Effectum etiam eſt à noſtris vt quibuſdam in pagis ſuus templis ornatus accederet, diſſidentes inter ſe conciliarentur; ſcholæ ad inſtitutionem iuuentutis erigerentur.

Collegium Audomarenſe.

ALVIT hoc Collegium hoc anno [illegible] ſacerdotes ſeptemdecim, auditores Theologiæ de moribus octo, tres præceptores, Coadiutores nouem. Conciones habitæ in vrbe quidem duobus locis; totidem Chriſtiana doctrina rudiores imbuti. Vicinos verò pagos vrbeſque nonnullas noſtri

&

& docendo & concionando lustrarunt. Ad legitimæ confessionis peccatorum rationem vocati multi. Quatuor aut quinque fidei desertores Ecclesiæ restituti; in quibus puella annorum decem & octo, & alius, qui apud Britannos annos decem & quinque auius à Deo errauerat, in fidei lucem, errores detestatus, aspexit, omnesque animi noxas salutari confessione expiauit. Ad omnes libidines vulgato corpore, flagitiosæ vitæ multas pœnituit: quarum duæ Religiosarum institutum amplexæ sunt; aliæ egestatem mendicitatemque patientes, cùm propter inopiam tecti sub dio pernoctarent, in tuto collocatæ sunt. Aliæ à grauissimis sceleribus discesserunt, vitamque ad honestatis normam conformarunt. Cuidam viro non infimi generis intercedebant graues cum vxore inimicitiæ, quacum pristinam vitæ societatem retinere, persuaderi sibi nulla ratione patiebatur; nostri tamen vtriusque veterem gratiam reconciliarunt. Nascentes inter viros primarios motus compositi. Dissidebant duo, quorum alter ex ordine sacerdotali, alter è nobilitate primarius; non modò litium actionibus in foro institutis, sed grauibus etiam susceptis animo odiis: tandem multis pecuniis absumptis, nostrorum monitione non solùm forenses controuersias, verùm etiam priuata odia restinxerunt. Ipse verò nobilis, qui sacerdoti suo mortem minatus fuerat, cum eodem in gratiam rediit. Nonnulli à poculorum frequentia reuocati. Sacris commentationibus excitati plerique: horum quidam bene eruditus, cùm oblato opulentissimæ mulieris matrimonio vehementer vrgeretur, ea tandem se cura liberauit, & Ecclesiasticum Ordinem complexus est: arctiorem etiam complexurus, nisi grandiore iam ætate prohiberetur. Alius maximæ expectationis

iuuenis

iuuenis discessit ab nuptiis, spe plenus ineundi Religiosorum institutum Magnum æs alienum, nostrorum suasu, a multis restitutum est. Sodalitium B. Virginis virorum insigni virtute, quique ceteris ciuibus probitatis exemplo præluceant, corona floret: eo sunt omnes animo, vt nullum tolerari velint, qui non maximè temperatis moderatisque sit moribus. auctum principibus viris ciuitatis, & eiusdem ex Franciscana familia Antistite, qui dimissè in eum cœtum cooptari postulauit, easque cæremonias & ritus obseruari in se voluit, qui infimis in illo suo primo ingressu familiares sunt. Scholæ solito frequentiores: è quibus multi ad varias Religiosorum familias se transtulerunt. deniquè duabus lectionibus Theologiæ de moribus, adiuncta tertia Controuersiarum & Scripturæ.

Seminarium Anglorum.

FVIT hoc anno familia hæc capitum plus centum: Romã ex alumnis missi tres; in Hispaniá sexdecim. varij ex Anglia optimæ spei adolescentes successere; inter alios duo cognati Martyris B.P.N. Southuelli. plures accepissemus, nisi nuper quatuordecim huc destinati in Angliæ egressu capti, cum suo duce, qui Patribus iuuenibusque in Angliam transportandis fidelem pridem operam nauarat, gymnasium nostrum confessorum carceribus commutassent: ex quibus tamen nonnulli ad nos tandem euasere; ac demum ipse ductor modò liber esse nunciatur. Omnes impensè virtuti ac litteris incumbunt, vt maiora indies de se sperari iubeant. ad quod mirificè profuit R. Patris Prouincialis visitatio: cuius præsentia nouã omnibus alacritatẽ impertiit; constitutis præterea nonnullis

nullis ad rem œconomicam valdè opportunis domus nostræ vsibus est effecta commodior. Illustrissima Comitissa de Zueda, ex aula Serenissimæ Infantis huc diuertit, rhedisque & equis vrbe admirante inuecta, petiit omnes iuuenes sibi in conspectum dari: quæ cùm in illa corona Henricum Morum (Thomę Mori, quem nuper Romam misimus, fratrem) adolescentem gratiosum, ortùm è familia Thomæ Mori, incognitum sibi videret, statim eum materno amplexa affectu adoptauit in filium, victum cultumq; deinceps liberaliter præbitura ac postridie audita in sacello nostro re diuina, vario genere instrumentorum, & Græcis Latinisq; versibus excepta, æreoq; insuper Crucifixo (quo plurimùm delectabatur) a suo filio adoptiuo donata est; domumque reuersa misit sine mora ad P. Rectorem numos, quibus adoptionis suæ initium fieri voluit. Inuisit nos Reuerendissimus vrbis Episcopus, ac Confirmationis & Eucharistiæ Sacramentum ampliùs quinquaginta iuuenibus nostris, iisque solis summo, vt testabatur, solatio, populique concursu contulit, singularem hunc Episcopi erga iuuentutem Anglicanam affectum admirantis. Multi sacerdotes Angli ea charitate in seminario excepti, vt nonnulli quoque & minùs erga Societatē affecti, præclarè de Societatis integritate ac charitate in Anglia locuti sint. Quidam nunquā tota vita confessi, hìc Deo sunt recōciliati In his fuit miles Anglus, qui ex arcta obsidione Ostendana, vbi hæretico Gubernatori percharus erat, ad nostros, cùm nō sine vitæ discrimine inter suorū ac nostrorū glandes euasisset; iussu Serenissimorum Principū, adiecto viatico huc missus est, & peccatorum confessione, quam nunquā in vita fecerat, piè instituta, imbutusq; doctrina Christiana, summo suo solatio Ecclesiæ adiunctus est.

Colle-

Collegium Duacense.

E Nostris Collegium hoc alit tres supra 40. sacerdotes vndeuiginti, magistros non sacerdotes 5. studiosos 8. Coadiutores 10. nouitiũ vnum: qui omnes singulari animorum consensu ad sui status perfectionem contendunt; nec minùs in proximorum salutem incumbunt. Vnde quàm plurimi spiritualibus exercitijs exculti, domi forísque ad sanioris vitæ institutum crebris nostrorum adhortationibus traducti. Inter alia illud memoria dignum. cùm vnus è nostris assereret inter concionandum, adeò perspicacem esse Dei oculum, vt nihil etiam abditissimum eum possit latêre; quidam è concione, qui totos 20. annos enorme quoddam flagitium præ timore semper in confessione celauerat, confestim à concione ad suum Pastorem aduolat, omnes conscientię latebras aperit, ac pòst paulò etiam generaliter confitetur: trigesimo dein die pòst, Catholico ritu munitus Sacramentis, migrauit è vita hac in meliorem. Cùm præcipua quædam familia mirum in modum nocturnis spectris affligeretur, vnus è nostris exorcismos adhibuit, & in posterum Litanias legi quotidie instituit. hinc terriculamenta illa dæmonum euanuere, pace domui restituta. Ciuis quidam primarius ita erat perditis moribus, vt in tutelam traditus alieno more viuere cogeretur: à coniuge segregandus fuerat, iamque diuortij sententia, amicorum vtrimque dissidentium procuratione & votis, à Vicario promulganda expectabatur; cùm is à nostro dextrè monitus, omniũ admiratione in viam rediit salutis, cui constanter insistit, continua hebdomadis singulis Sacramentorum frequẽtatione: & inter vtrumque coniugem

iugem ac vtrique affines pax conciliata. Ex quo factum est, vt parens vir primarius, qui parũ priùs Societati addictus fuerat, nunc, Dei beneficio, nostri studiosus viuat. Oratio 40. horarum in templo nostro pro patriæ calamitatibus instituta, non exiguo fructu diu continua & constans fuit. eandem ob causam Litanias concenturi, eôdem vnà quotidie conueniũt sub pomeridianæ prælectionis finem, cuiusque classis studiosi, magna populi & senatus ædificatione. Numerus eorum, hoc afflicto licet rerum statu, solito auctior: nam, quod dictu mirum, vt taceam de inferioribus classibus, Logica supra ducentos sexaginta, Physica supra 170. numerat. Parthenium quoque Deiparæ Sodalitium & iuuenum delectu, & pietate clarum in dies magis efflorescit. Vt clariùs eniteret Societatis nostræ charitas & pietas in omnes, effecit prudens consilium Patris cuiusdam Hispani, qui ad præsidium Dunckercanum accersitus, vt inibi militum Hispanorum spirituali auxilio operam daret; ea satisfactione, muneris sui partes expleuit omnes, vt ei discedẽti mille florenorum summam ex præsidiariorum militum stipendio clancularia Gubernatoris industria colligẽdam idem Gubernator destinarit: sed nostri id subodorati, decentię & ædificationis habita ratione, à consilio eum dimouerũt. Idẽ Pater quàm charus esset passim omnibus, vel inde apparet, quòd hinc in Hispaniam remeanti, à varijs trecentorum florenorũ eleëmozyna in viatici subsidium liberaliter collata fuerit: eiusque recessum Academici, nobiles, & plebeii passim grauissimè tulerint. Ciuis tota ciuitate ob dissolutos vitæ mores & lasciuiam notissimus, nostrorum hortatu ad pias exercitationũ spiritalium commentationes animum appulit; quæ rite ab eo obitæ, adeò sapidæ & dulces menti illius fuere, vt

quoties

quoties de discessu ab exercitijs sermo incideret, lacrymis perfunderetur: & eum ex iis fructum retulit, vt malam vitam & dissolutos mores; pijs & Christiano dignis feliciter commutarit. Alius è primarijs manifestatione criminum totius vitæ sacerdoti nostro integrè facta, adeò immutatus est, vt totus sit in aliis, qui præcipuum in Magistratu locum obtinent, ad eandem peccatorum confessionem inducendis. Seminarium Anglorum, in quo quidam inquieto spiritu omnia interturbabant, ad rectam viuendi normam ac tranquillitatem, nostrorum operâ, & pacem adductum est. Meditandi quoque vsus magno alumnorum emolumento introductus, adeò vt spiritalium exercitiorum tantus ardor in alumnis exstiterit, vt Pater Director septem vno eodemque tempore sacris commentationibus exercere cogeretur. Collegium Hybernorum in hac Academia erectũ & numero frequens, & pietate, & fertilium ingeniorum bonitate apprime floret: in eo 60. alumni solis piorũ eleëmosynis sustẽtantur: P. Prouincialis cõmendatione, ac sedula diuersorum Rectorum operâ, in variis prouinciæ locis ad 54. aluntur, & in scholis nostris pietate ac litteris diligenter instruuntur, vt tandẽ vtiles euadant Ecclesię illi afflictæ operarij. Liberalitas in nostros hoc anno multis argumentis, ijsque non obscuris enituit Magistratus ad perficiendam inchoatam valetudinarij nostri fabricam 600. florenos contulit. Nobilis item Baro cum coniuge nostris bis mille florenos attribuit in censum annuum conuertendos, ad vnius è nostris studiosis sustentationem. Domicella nobilis tabulam quandam à peritissimo pictore perpoliendam & pingendam curauit in vsum minoris altaris, ad trecentos florenos æstimatam Alius tria circiter florenorum millia

millia in subsidium Collegij diuersis temporibus præstanda, pro suo in nos affectu liberaliter addixit, adiuncto pro continuo coram Venerabili Sacramento lumine, censu annuo.

Collegium Antuerpiense.

ANTVERPIENSE Collegium habuit è nostris vt plurimum 28 sacerdotes 14. professores 6. Coadiutores reliquos. Catechismi explicatio in vrbe habita à 7. è nostris. Eluxit nostrorum studium in assidua ægrorũ visitatione, nos opportunè importunè vndequaque accersentiũ. Conciones habitæ Quadragesimæ & Aduẽtus tẽpore in æde summa, concursu multorum millium, fructu pari, quem sensimus in frequenti vitæ totius per confessionem expiatione. Scholæ auctæ, numeratique adolescentes selectissimi supra 400. neque fuit hoc parum in tam dubia republica. Et his, variis Religionibus nomina dederunt plurimi. Hæresim, quã vel ab vbere suxerãt, vel ab infantia hauserant, eiurarunt, edocti meliora à nostris, supra 24. Confessione se purgarunt, qui nunquam antea, adeò multi, vt iniri numerus non potuerit, & fuerunt eorum plerique in fide dubij. Matrimonium ritu Catholico persuasum ijs qui antè hæreticè contraxerant. Concubinæ variorum ad frugem reductæ decem, & perstant in castiore vita. Restitutiones factæ multorum millium nostrorum suasu. Grauiter dissidentes in gratiam redierunt. Erant qui multos iam annos magna vrbis offensione ita agebant, vt necessariò alterius partis vita periclitaretur. Erant qui non sine ciuium ac magistratus metu, armatis stipati grauia minitarentur, primi variarum nationum; & quo potentia plùs poterant, eo implacabiliùs in mutuum sanguinem exarse-

arſerant: fuerunt etiam inter hos ſanguine iuncti, magna omnium offenſione. quin etiam coniuges, qui annos 4. qui 9. & plures domo ac vrbe diſiuncti, viuerent aliter quàm probos deceret. magnæ etiam familiæ in tot ferè abierant ſententias, quot erant capita; deducti omnes in vnam mentẽ. Quæ omnia eò fuerunt illuſtriora, quò ſepta erant maioribus difficultatibus, & ſuperare videbatur malum omnem medicam manum. Matrona honeſti pectoris, cùm ſenſiſſet ſiniſtras de ſe mariti ſuſpiciones, tam grauiter tulit, vt nunc aquis, nunc infelici vulnere dolorem cum vita ponere ſtatueret; ea à confeſſione, priſtinæ quieti reddita eſt. Reuocati ad vitã, aliquot qui deſtinarant mori: & fuerant inter eos qui non ſemel laqueum tentauerãt. Mulier difficiles ſemper partus & periculoſos experta, monitu vnius è noſtris, vitæ totius confeſſionẽ inſtituit, Sacramẽta ſingulis ſeptimanis frequentauit, agno Dei, aquæque benedictæ potu imminentem partum ſacrauit; ea peperit nullo ſenſu doloris. Differebat quædam confeſſionem generalem, incidit in morbum, in quo, Parocho vix ſummatim confeſſa, inde Sacramentis munita inclamabat ſe damnatam, velle proinde confiteri noſtro: qui antequam veniret vocatus, ægra voce deſtituitur, & in hoc ſtatu perſtitit ſeptimanas tres: vt ad ſe rediit, confeſſa eſt, & ſimul morbo liberata. Adoleſcens improba vita parentem, ſuoſq; offenderat: hic vt intempeſta nocte à ſcelerum ſuorũ ſocijs domũ rediit, dęmonem horribili ſpecie rugientẽ ante parentis fores mortemq; minitantẽ cernit. territus, ſigno ſe crucis munit, mortuoiã, quàm viuo ſimilior: vt verò ad ſe rediit, proſtratus parentis pedibus, veniaque impetrata, cõfeſſione prioris vitæ ſordes apud noſtros eluit; carus iã omnibus ob mores in melius commutatos.

Calle-

Collegium Leodienſe.

Socij in Leodienſi Collegio 36.ſacerdotes19 magiſtri 8. quorum tres cum ſacerdotibus recenſentur:rei familiaris Adiutores 11. Effectum partim verbo,partim exẽplo,vt locis aliquot Sanctorũ reliquiæ pulueribus obſitæ, ac propè neglectæ, ſplendori ſuo redderẽtur.Scholæ,acceſſione nouę grãmaticorum claſſis, auditorũ frequentia auctæ: excurrunt illi ad ducẽtos ſupra 1000.ſex claſſibus diſtincti. Claſſium nouæ ſtructuræ ſuprema hoc anno manus addita. Supra eas aula eſt perelegans 90.pedes lõga,lata 30.ad Sodalitatis exercitia adornata, illuſtre planè Deiparæ Virginis oratoriũ; cuius altare viſitatę Elizabeth à Deipara feriis cõſecratum , magna vtriuſque ordinis , primorum, ac Sodalium corona , ad quos poſt meridiem datum drama, decantatæque B. Virginis laudes. Bonus Sodalium odor foras diſperſus, Tungris(quod eſt vetuſtiſſimum Eburonum oppidum) Sodalitatem excitauit, Leodienſi, cuius membrum eſt, imperio parentem: in quam ciuitatis Parochus, Canonici aliquot, ipſeque oppidi prætor cooptati. Excoluerunt apud nos animum B.P.N. commentationibus non pauci: inter hos ſummæ ædis Decanus, & ſenator quidam primarius 70. ferè annos natus. Germanus miles in perfidia Lutheri natus & educatus, annos 50.expleuerat. is morti adiudicatus , audito Patre noſtro de vera fide diſſerente, illico manus dedit. & cùm cetera benè procederent, vnica hominem torquebat moleſtia, quòd Angelicam ſalutationem ſine maxima mẽtis perturbatione recitare nõ poſſet. edoctus à noſtro dæmonis id fieri malitia, deinceps crebriùs & feruidiùs eam vſurpauit, in eiuſq; tandem recitatione iugulum reſti, animã Deo dedit. Inter catechizandum dũ varii pueri à catechiſta noſtro examinare-

 tur,

tur, mendicus quidam puer valdè lacer & pannosus sponte prodiit in publicum, ac se cum aliis examinandum obtulit. rogatus ergo de misericordiæ operibus corporalibus, ea promptè recitauit magna populi circumstantis admiratione. miseratus eius nuditatem catechista commendauit eum auditoribus, dignum asserens in quem opera misericordiæ conferrentur, præsertim de vestiendis nudis, cùm ea tam promptè recitasset. qua re effectum vt ad templi fores constitutus regredientis populi misericordiam eo primùm die expertus sit; ac insequenti, matrona nobilis, quæ catechismo interfuerat, pueri alacri responsione incitata, ad se vocatum à capite ad calcem nouis vestibus induerit. sed & aliis sic eius probata alacritas & indoles, vt corrogatis eleëmosynis in ludo literario sub disciplina ludimagistri foueatur. Dominica proximè sequente rediјt ad catechismum nouis illis indutus vestibus, & iussus a catechista conscendere altam sedem vnde videri posset ab omnibus, iterum examinatus, vix se ipse præ nouo vestitu, agnoscens sic respondit, vt auditores ad nouas largiendas eleëmosynas induxerit. cuius rei fama permoti alii mendici, se quoq; examinandos obtulerunt; sed quia non tam felici euentu, non eandem experti sunt auditorum liberalitatem, quæ tamen illis non defuit.

Collegium Traiectense.

TRAIECTI ad sacram supellectilẽ, piorum virorũ, ac in primis D. Gubernatoris munificentia, accessio non parua facta est: neque solùm aureis argenteisq; ac sericis ornamentis locupletata est, verum etiam sacris Diuorum reliquiis ditata. Preter frequẽtes tum ad populũ, tum ad milites, tum ad virgines, conciones habitas, rudibus catechismus variis in locis traditus est. Peregrinorũ religionis causa

causa ad B.Seruatiũ,tantus hoc anno numerus extitit,vt 6000.numerata sint, quorũ pietati sex sacerdotes difficulter facere satis potuere. Innumeri vitam omnem retro egerunt confitendo:quod faciunt opinione per maiorũ manus tradita & concepta, B Seruatii beneficio, solui se hic per confessioñem tum à culpa, tum ab omni pœna. Stationes militũ frequenter obitæ, ac de rebus ad salutem pertinentibus sermones opportunè misti, non exiguo animorum fructu:indicio fuit ad Pœnitentiæ Sacramentum concursus, vbi ad difficilem & periculo plenam expeditionem euocati sunt milites. Duces nonnulli ad eam vitæ modestiam, nostrorum operâ traducti sunt,vt sublatis ex præsidio rapinis discedentes ex ciuitate, apud rusticos mirum sui reliquerint odorem. Excursum est est à nostris ad vicina oppida,Ruremundam,Venlonam, Tongros, Masecam, Valchenburgum, Dalemium,in quibus & ciues,& milites præsidiarij,quibusuis Societatis nostrę muneribus sunt adiuti. Ruremundæ verò de Societate ea est concitata existimatio,vt de Collegio instituendo,à Statibus in hunc finem conuocatis actum sit. Alibi vt diebus Dominicis & festis per sacerdotem externum, seruorum & ancillarum animi concionibus & catechesi informarentur, effectum. Cùm teneras puerorum mentes pestifero hæreseos veneno infecturus ludimagister ter in opidũ quoddam irrepsisset, neque iam suspectus, per amicorum gratiam à suscepto docẽdi munere dimoueri posset, licet loci Parochus Episcopi sui voluntatem præ se ferret; vnius è nostris aduentu,seu Solis adueniente lumine,protinus est fugatus Alter hęreticus veram, quam aliquando abiurarat, larua sumpta emẽtitus religionem,sibi aliã in ciuitatem aditum,potentũ opibus muniuisset,nisi nostri prauam intentionẽ subodorati,technas detexissent,&

 propiùs

propiùs accedere vetuissent. Duodecim ad fideî signa quæ deseruerāt, rediere; plurimi à fugæ cōsilio deterriti. Gymnasij frequentia in dies augetur: sexcēti omnino adolescētes numerātur. Illud autē dici potest, Sodalitatem Partheniam florem esse scholarum; cui tamen pietate, virorum Sodalitas minimè cedit. Sacerdotis nostri concionibus Gallicis & Flandricis, sacræ Eucharistiæ, & Diuorum reliquiis, dū 14. diebus, pro more, populo visendæ præbentur, splēdor restitutus. Vidua honesto loco nata, ab impuro amatore, nostrorum cōsilio, non modò domo, sed etiā ciuitate disiuncta. Nonagenaria paupere pauperior & deserta, à pia matrona matris pænè loco habita. Superstitionum errores sublati. Spes multis de salute desperabundis facta.

Collegium Brugense.

DEGVNT Brugis è nostris vndeuiginti, in his sacerdotes 10. reliqui magistri & Coadiutores. Patrū duorū, qui in castris, curādis militū animis occupatissimi, mors quidē immatura mœrorē; sed singularis eorū pietas, cuius (ad extremū pęnè spiritū integro iudicio) vsi præclara dedêre documēta, insolitā omnibus cōsolationē attulit. Sex institutæ Misiones, vberes fructus protulere, siue cōfesiones, siue conciones, siue catechismū spectes. Excursū ad arces & præsidia militū vrbi subiecta, nec non ad triremes: vbi inter ceteros Ægyptius sexagenarius ex Cairo, à nostris Christiana fide & institutis eruditus, in baptismo Christo nomē dedit. Quin & hæretici nonnulli ad ouile Christi, nostrorū ductu, rediere. In his quidā ita fidē Catholicā auersabatur, vt nō solū aures salutaria monita nō admitterēt, sed nec oculi, sacerdotis cuiusquā conspectū ferrēt. Cùm iam ampliùs 17. annis, latè grassantibus Ostendanis, pedem extra muros efferre nemini licuisset; tandē Serenissimus Prin-

cepsAlbertus ineunte Iulio, caput malorũ omniũ, Ostendã inquã, petere statuit. Quo facto ingens ad nos militum, centurionũ ducumq; concursus extitit, dum priùs animã sceleris purã diuinis mysteriis cõmunire satagerent, quã se in tam anceps vitæ necisq; discrimẽ coniicerent. Quod nostros, ad omnes eorũ causa subeũdos labores, in quibus etiamnũ versantur, vehemẽter excitauit. Certè tũ propter obsidionis diuturnitatẽ, tum quotidianas aquarũ eluuiones, adiuuante præterea grauissima anni tẽpestate, eo in dies numero milites partim vulnere, partim morbo confecti in vrbẽ hanc deuehũtur, vt præter consueta nosocomia D. Ioannis, D. Iuliani, B Mariæ Magdalenæ, insuper designare necesse fuerit alia totius vrbis amplissima loca quatuor, nempe palatiũ D. Gruuthuyse, refectoriũ capacissimũ B. Mariæ, domum publicam sartorum, itemq; Fratrũ Alexianorum; vt interim taceamus, plurimos ciuiũ ædibus ac diuersoriis excipi. Quibus omnibus tã noctu, quàm interdiu operam sedulã nauauere nostri, vt præ messe, operariorum numerus videatur angustior. Cumq; in tanta calamitate multorum, multi essent indigi, cõcionibus nostris effectum, vt omni genere eleẽmosynarũ iuuarentur. Ex iis quæ in nostro tẽplo multis iam annis Sacramenta frequentarant, virgines cõplures, in quibus tres insigni nobilitate, arctioris vitę institutũ in cœnobiis amplexæ sunt. Spiritualibus exercitiis exculti aliquot, quorum vnus totius emporij mercator facilè princeps. Adiuti à nostris similiter morte mulctandi: in quibus enituit vnius præcipuè ad Deũ conuersio, vitæq; malè transactæ deploratio. miles hic fuit, qui cùm ad arborẽ religatus, glandibus plumbeis à cõmilitonibus traiiciendus esset, criminũ suorũ dolore tactus, vehemẽti oratione adstãtes mouere cœpit, vt à se exemplũ caperent, sibiq; à peccatis, ebrie-

tatis præsertim, & rebellionis, quæ sibi tam ignominiosæ mortis causa existerent, impensè cauerẽt, se haud grauatè iustas eas Deo pœnas persoluere. Deinde sumpto in manus libello precario, certas ad Deũ orationes cum magno pietatis sensu fudit, suiq; aliis facta copia, puram, vti sperandum, Deo animã reddidit. Discipulorum in tantis temporũ difficultatibus rerumq; angustiis, cùm imminutio timẽda meritò videretur, facta est solito maior accessio. Ad templi decorem ornatumque facta donatio 700. aut 800. florenorum.

Collegium Iprense.

SEPTEM octóve supra decem hic habitauere, sacerdotes decẽ, è quibus quatuor, præceptoribus duobus adiũcti scholis præfuere; reliqui tẽporarij domus administri. Varius horũ omniũ labor. Balliolì iterũ per Quadragesimã concionatum est. A Messeniis etiã obnixè postulati nostri, non infructuosè laborarunt: diebus Dominicis & festis per idem tempus ibi catechismo eruditi cum pueris grandiores. vnde factũ, vt conscientia quorundã grauius icta, Ipras ad nos medelæ causa cõuolarint. Aliis quoq; in pagis per æstatẽ habita catechesis, haud absque fructu. Variæ & vtiles cõfessiones totius vitæ, & quidẽ per plures annos, nõ sine anxietate remordentis mali suppressa peccata retecta: Fides quibusdam reuocata; mores item correcti concionum perspicua vi. Multæ nostrorum operâ dudum vsæ, in monasteria concessere. Aucta Sodalitas Deiparæ: aucta confitentium communicantiumque in templo nostrò frequentia.

Collegium Cortracense.

CORTRACI præcipua scholæ dignitas Societatẽ acceptã facit, non multitudine iuuentutis, sed nobilitate; quòd gloriosum opido videatur, tot magna-

magnatum nobiliumq; filiis nobilitari. Ex ſcholis iiſdem aliud deinde decus acceſſit ciuitati: quaterni namque grauioribus ſtudiis iam emenſis, ſacro ſacerdotũ ordini adſcripti ſunt, quos ſtudioſi noſtri vario carmine, vt ſuos olim cõmilitones, exornarunt. Inter ciues verò, multorum mitigati ſunt animi, iræq; depoſitæ. Præcipuæ in his cõciliationes octonæ numerantur: eæ quo videbãtur difficiliores vt conſtituerentur, hoc ſunt ſtabilitæ firmiores, cùm familiarium fructu maximo, tum popularium commendatione non minori. Nam & familiæ vniuerſæ compoſitæ ſunt, & filiis parentes recõciliati. Nec defuit publico noſocomio induſtria noſtra, publica gratulatione ac teſtimonio infirmorum, qui deſertos ſe queſti ſunt, ac ſpirituali auxilio planè deſtitutos, niſi Societatis ope ſolarentur. Illud quoque huic Collegio ſolemne eſt, quaſi pro officio, opidi vicos omnes ſtatis diebus obire, vt nulli ciuium meritò queri poſſint, infirmitatem ſimul ſalutemque ſuam ſacerdoti fuiſſe neglectam. Catechiſmi commendatio ſanè maxima, vt qui à viris optimis feminiſq; curetur, ac publico ſenatus ſumptu, ſi quo opus eſt, foueatur. Is quoque vrbem egreſſus, latiſſimè vicinum agrum irrigauit, communi quidẽ fructu, ſed nec pœnitendo nobis, nec ruſticanis iniucundo. Subiectum exemplum docebit. Eccleſiaſtici ordinis viro ac Parocho vici non ignobilis magna ſimultas erat cum ſuis ſubditis: quam ne deponere cogeretur, biennio iam toto ſacris omnibus abſtinebat, itaque obſtinatè, vt neque monitis Epiſcopi, eiuſque nec precibus alterius, miniſve moueretur. Negotium tandem ab Epiſcopo, ſacerdoti noſtro commendatum: is ſenſim hominem vno alteróve colloquio ita permouit, vt victus illicò poſuerit iram, & modò Sacramentis vtatur. Publicum etiam ac ſummum ex vicino opido ſcan-

dalum consilio nostro sublatum est, fatētibus omnibus, Quia non est consilium cōtra Dominum. Iam verò & domi & foris periculosæ opinioni multorū saluberrima curatio adhibita est. Laborabant autem vanissimo metu præstigiarum, vt quoduis morbi genus magicis artibus imputarēt; eoque iam excreuerat malum, vt morbi opinio morbo ipso videretur multò esse deterior. sæpè namque curato morbo, suum tamen prauæ opinioni insederat vitium, vt sensim ac sine sensu suo plerique inani contabescerent metu. Hinc suspiciones offensionesque variæ: hinc & dettactiones odiaque infinita oriebantur. Sed plurimi consilio vsi nostro, beneficio Sacramentorum, hoc vano liberati metu, corporibus simul animisque medicinam inuenerunt. Illis insuper auctoritas imminuta est, & cōpressa temeritas, qui venalem hanc medicinam animorum circumferebāt. Quo vno sopito malo, multorum mētibus, ne dementarentur opinionibus illis præstigiarū, prouisum est. Persona quædā generali confessione instituta, tantum perfectioris vitæ propositum cepit, vt quam labore manuum corrosam necessitati conseruarat pecuniæ summam, Deo donare omnino voluerit; monita, suæ primùm seruiret necessitati, manibus ad laborandum ostensis, eam liberaliter est elargita. quod officij genus etiamnum fideliter & constanter persequitur.

Collegium Gandense.

E Variis hoc in Collegio gestis, hæc memoria imprimis digna, quòd reducti ad Ecclesiæ fidem plus minus viginti: è quibus nonnulli 30. annos cùm hæresi infecti inter hæreticos vixissent, tandem ad saniorē mentem redeuntes, vitæ confessionē instituerunt. Alij ad varias Religiosorum familias adiunxerūt sese. Eadem ratione præsidia-

rij milites, quos in littore maris Oceani,aduersus hostiles impetus alunt Flandri,ab inueterata maledicendi atque execrandi consuetudine abducti, cum tanta omnium gratulatione, vt nostrorũ ab iis arcibus quibus præsident, discessum, nonnisi festis tormẽtorum bombis prosequerentur. Consultum præterea multis,quos dulci peccatorũ illecebra irretitos sibi dæmon subiecerat Ex eius faucibus erepta mulier,quæ fidem illi suam,datis frequenter chirographis proprio sanguine exaratis, obligauerat. Alterã porrò,quæ spei inops abiecto prorsus animo,sese in puteum præcipitarat,misericordiæ mater sinu exceptam, ab omni corporis interitu vindicauit. Supellex domestica,ea maximè quæ templum spectat, non parum aucta est. Calicem argenteum & inauratũ, pretio & opere insignẽ, ad cetera in nos collata beneficia amoris sui ac deuotionis symbolũ, vidua quædã adiecit.

Collegium Insulense.

Hoc anno excessit è viuis P.Claudius Rapinius. etsi enim Tornaci diem clausit extremũ,tamen inter nos numerabatur : nam Tornacũ dumtaxat valetudinis caussa concesserat, vbi eum mors rapuit.Fuit hic Pater suauis odor IESV Christi,totus ad iuuandos pauperes,pręsertim studiosos,intentus:in cultu & Sodalitio Deiparæ,cui minori pręfuit,promouendo diligentissimus:& infirmo licet corpusculo, obibat pagos rudibus informandis, non minori fructu,quàm caritatis affectu. Catechismus administratur variis locis & parœciis. Scholæ Dominicales auctæ sunt hoc anno, vno catechista;vt tres modò è nostris ibi collaborent. Ibidem restituta catechismi Sodalitas, iam à sex aut ampliùs annis intermissa : & re per sacra pulpita & cathedras commendata,iussu Reuerendissimi Tornacensis,qui etiam suis Indulgentiis eam locu-

locupletauit; ad illam adiunxerunt se non pauci. Iussum quoque auctoritate Episcopi & Magistratus, vt scholæ omnes, quæ hîc sunt permultæ puerorum & puellarum, diebus Veneris confluant in illud gymnasium catechisticũ, pro more quidem iam olim obseruato, sed lue grassante annos sex interrupto. Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentum colitur & frequẽtatur in tẽplo nostro, multo confluxu & fructu, vt decem sacerdotes nõ sufficiant frequenti ad nos aduẽtantium numero. Vir quidam catharro fauces præcludente, sentiens meritam sibi à Deo infligi pœnã, acciri iubet vnum è nostris, cõfessionis caussa: fecit illam de tota vita, ægrè admodũ, morbo præpeditus. Die altero Pater ægrũ reuisit, inuenit solutis faucibus, & periculo liberũ, quod euasisse confessionis beneficio profitebatur. Exercitiis spiritualibus exculti sunt nonnulli. In iis Religiosus suæ professionis pertæsus, & vix quidquã habens religionis, plenus optima mẽte rediit ad suos. Optabat alter iam in seniũ deuectus, ante multos annos, tanti tamq; salutaris boni notitiam vsumq; sibi datũ. Aliis passim ægris per domos & xenodochia, vinctis clausisq; in carcere, & quocunq; pressis malo, succursum auxilio, consilio, solatio, & aliis quibuscunque modis pro nostro instituto. A turpi quæstu reuocata mulier ad meliorẽ mentem & frugem. Alia cum viro hæretico inter hæreticos ad annos 14. morata & versata in eadem labe, reliquit hæresim. Sodalitati B. Mariæ suus manet vigor, & accrescit cum eximiæ pietatis & sanctorum operum incremento: nec quidquam obsunt, imò verò plurimùm prosunt linguæ maledicæ. Duo nobiles adolescentes Scoti, illustri stirpe & regia oriundi, ab hæresi, in qua adoleuerant, reuocati, & spiritualibus apud nos exercitiis dispositi, & confessione totius vitæ expiati, ac cæremoniis baptismalibus, quæ defuerant,

fuerant, à Parocho in ſacello Collegij adhibitis, ad Eccleſiæ Catholicæ gremium redierunt. quod idem beneficium, Dei gratiâ, conſecuti ſunt eorum famuli.

Collegium Vallencenenſe.

NOVO templo exædificando, quarto Iunij, ſolenni apparatu iacta ſunt fundamēta: ad quorum celebritatem augendam, profuſa illuſtriſſimi ac maximè pij viri Ioannis Patricij, in ædem Dei Parentis ad niues, munificentia, dramate repræſentata eſt. Octobris tandē die ſexto, ad terræ ſuperficiem feliciter æquè ac laboriosè, vliginoſum ob ſolum, perducta. Eximia hoc in opere Illuſtriſſimæ Duciſſæ Arſcotanæ viduæ pietas enituit; ſumma animi ſubmiſſione primū fundamētorum lapidem iecit, diuum illum Conſtantinū Magnū imitatura, & rudera ſuis, vt aiebat & efflagitabat, humeris delatura, ſi Vallencenis per negotia & valetudinē morari aut domicilium figere ei integrū fuiſſet. Ineunte hieme, ad opus reliquum proximo anno promouendū, famulari operâ non contenta, ipſa lapidifodinas adit, difficiles marmorū dominos ſua auctoritate, ſuis verbis nobis emollit ac ſollicitat, artifices vrget. Hanc Principū in nos beneuolentiā, quibus datur paſſibus, ruſticorū liberalitas adæquare contendit. Alacritate inaudita, ſuopte ingenio, pagi plurimi, quibus ſalutares noſtrorū excurſiones notæ fuerāt, lapides aduexere & arbores. votū vnum eſt omnium, ſacelli noſtri cōploratis anguſtiis, cœpti operis faſtigiū. De tota vita auditæ ſunt centū & eo plures confeſſiones: ab hæreſi reuocati aliquot: multi ab impura vita traducti. Puella ab hoſte generis humani capitali miris modis vexata, ita interdū verberibus excipiebatur, præſertim dū eius monitis aures occluderet, vt exanimata plures ad horas iaceret: nec crude-

crudeliùs ſequiebat in eam vnquã, quàm dum confeſſarium petere meditaretur. in itinere ad templũ ſemel tanto impetu ad terram proſtrata eſt, vt graui accepto vulnere domum ſe recipere ſit coacta. Tandem auxiliari manu ad Patrẽ adducta, quamprimum peccata ſalutari pœnitẽtia eluit, ab omni prorſus moleſtia vindicata eſt Excolendis Parochorum, Religioſorũ atque adoleſcentum animis cęleſtibus ad rationẽ B P. Ignatii meditationibus, quinque Patres ſtrenuè vacarũt. In oppido aliquo graues clerũ inter & ſenatum lites cõpoſitæ. Dionantum, Eburonum in oppidum miſſi cõcionum cauſa Patres duo: vbi præter quotidianas per Quadrageſimam & Aduentum conciones, tradita ſunt pueris elemẽta Chriſtianę doctrinæ, ingẽti omniũ ciuiũ lætitia, & vberrimo teneræ ætatis profectu. Iiſdem Patribus cùm per valetudinem inſequenti anno frui non potuerunt, ciues Societatis noſtræ amantiſſimi, alios à P. Prouinciali efflagitarunt, atq; impetrarũt. Scholæ priſtinũ cùm eruditionis, tum pietatis ſplendorem retinent. Ad animos Vallencenenſium magis ac magis conciliandos, tragicomœdia data eſt, cuius argumentum fuit, ſalus vrbi abhinc 400. annis graſſante ſine modo peſtifera lue, per almam Dei Parentem reſtituta: quod quidem beneficium quotannis recurrente cæli Reginæ natali, ſumma celebritate & cõcurſu vicinorum oppidorum celebratur. tã grata fuit actio, quàm iucunda tanti mali correctionis recordatio.

Collegium Montenſe.

ALIT hoc Collegium Socios viginti ſex. Ex ijs ſacerdotes 12. reliqui partim præceptores, partim rei familiaris Adiutores Quàm ſit autẽ noſtrorum opera tori huic ciuitati emolumento, ſatis teſtatur ea quæ eſt in ciuibus morum mutatio, frequens apud noſtros Sacramentorum vſus, multuſque ad noſtro-

nostrorum conciones concursus: gratus item atque beneuolus, totius fermè ciuitatis in nos animus, quem tum eleëmosynis ad vsus vitæ necessarios, conferendis, tum augenda sacra supellectile satis superque patefacit. Nouo calice perquam affabrè facto, aureoque altaris pegmate, quod sacræ Eucharistiæ populo ostentandæ percommodum est, alijsque non vulgaribus ornamentis locupletatum est templum. Sodalitatem virorum, illustrem reddit selectus sacerdotum, Iurisconsultorum, & nobilium, ac primariorum virorum numerus: quorum ardor ac virtutum splēdor tantus est, vt suo conuersandi modo tantas subinde pietatis faces in suorum popularium animis incendant, vt non pauci, eorum consuetudine atque sermonibus inflammati, ad Deiparæ cultum conuolent. Catechismi explicatio, loco ad id à Magistratibus vrbis destinato, diebus Dominicis ab vno de nostris habetur: cuius lectioni, non modò ciuium, verùm etiam rusticorum liberi, vno ab vrbe milliari aduentātes, fructu haud pœnitendo intersunt. huic scholæ magnam in partem præsunt B. Virginis clarissimi Sodales: quorum diligentia & industria, cùm in puerorum leuitate refrænanda, tum maximè in tenellis puerorum mentibus, obsequio Dei ac virtutum præparandis, relucet. Nec inferior est quarundam sat prouectarum virginum zelus: quæ nostrorum consilio, summâ curâ puellas & timore Dei, & doctrina Christiana erudiunt. Hoc in ludo cùm aliquādo catechista silentio audiri non posset, nec puerorum puellarumque qui eo die ad septingentos conuenerant, immodestia coërceretur; tacita mente inuocato BB. PP. Ignatij & Francisci Xauerij patrocinio, fecit vt omnes confestim siluerint, doctrinamque Christianam eo ordine, eaque animi

animi alacritate exposuerit, vt maiori nunquam prae oculis, B.P. Francisci in instruendis catechumenis ardorē ponebat: quo fiebat, vt sibi ad catechismi munus rectè obeundū stimulos admoueri sentiret. hoc remedio cōtinendae iuuētutis in officio, semper vsus est, vtiturq; modò, cùm multum momenti hac in re, ad puerorum leuitatem refraenandam, positum esse, saepenumerò experientia ipsa cognoscat. Exercitia spiritualia hoc anno quàm plurimi, magna morum mutatione, obiere Ecclesiastici; ex ijs multi Religiosi variorū Ordinum, & seculares. Aliquot piae matronae, nostrorum consilio duas adolescentulas ad saniorem mentem reuocarunt; ab ijs siquidem, vt conscientiam apud aliquem è nostris expiarent, impetrarunt: sicque factum est, vt eaédem puellae è daemonis faucibus ereptae, in frequenti Sacramentorum apud nos exercitio non sine magno pietatis ardore persistant. Quidam miles cùm pro concione quędam de iterandaconfessione accepisset; ad nos, quinq; aut sex ab vrbe milliaribus venit, laetusq; ac leuior, graui peccatorum onere deposito, domum rediit. Quaedam mulier secundùm quietem sibi visa est videre altam voraginem, è qua, capite flammis circumdato, ab vno è nostris, cui identidem confessa fuerat, extrahebatur: vnde tantus timor eam incessit, vt postridie in sacellum nostrum ingressa, peccata confessione eluerit: qua peracta, desideratam mentis requiem sibi restitutam cognouit. Cuidam honesto loco natae, cùm moneretur vt seriò secum perpenderet quid fecisse vellet si animam ageret? tanta caelitus lux affulsit, vt consilijs morem gerens, mundi vanitatibus nuncium remiserit.

Colle-

Collegium Bergense.

MAXIMO in rerum omnium motu, obstrepentibus æmulis, vixdum creato Magistratu, cùm iam ferueret obsidio Ostendana, ingentibus totius Flandriæ, atque adeò Bergensis oppidi & agri impensis, ac in horas singulas expectarentur rebelles, sexcēti circiter milites flagitantes à Principe stipendium, quibus Bergensis ciuitas loco pignoris tradita; nihilominus tamen, maiori nescias animo an viribus, felici auspicio iacta Collegij fundamenta septimo Augusti, perductæque operæ ad Nouembrem, extantibus circumquaque è terra, scholarum quæ amplissimæ futuræ sunt, substructionibus, magna bonorum omnium spe & gratulatione. Bergis, vti etiam in vicinis oppidis & pagis, frequentior ad sacram synaxim accedentium, in dies numerus; quos inter primarij viri & matronæ, qui aliis exemplo præluceant. Multi totius vitæ noxas salubri Pœnitentiæ Sacramento eluerunt. Bergis habitus catechismus: Dunckercæ quoque, quod oppidum est ad mare, vno à Bergis milliari dissitum: quò quidem, quia frequentissima iuuentus, singulis hebdomadis stato die excursum est. Hìc & captiui Hollandi ad Ecclesiæ gremium ab hæresi reducti, quam magna securitate animi eiurarunt. alii spem conuersionis etiamnum præbent. Sed & Catholici milites aliquot Sacramentis priùs expiati, nostrorū operâ, minori lytro dimissi. Habetur in carcere etiam per hebdomadam concio, partim de rebus fidei controuersis, partim de vita bene instituenda. In celebri Flandriæ municipio nobis vicino, iam olim hæreseos labe infecto, altiùs iacta fidei per catechismum, semina, cum spe messis vberioris:

ad quem multi etiam adulti conueniunt: vbi quoque conciones nostrorum, quę priùs erant neglectui, iam sunt in desiderio. Itum ad alia vicina loca, quæ magna rerum fidei ignoratione syluescebant, adeò vt vsuræ apertæ dolique, licitæ vulgò artes haberentur. Proximo in oppido grauis patrem inter & filium simultas composita: nec minor Bergis inter primores duos. Variis in locis restincta odia, in cædem aliàs eruptura. Scriba Senatorius relicto mundi fastu, nostrorum concionibus permotus, Societati se aggregauit, vtili in vulgus exemplo. Ambo coniuges, homicidio casu perpetrato, diu in vinculis habiti, tandem nostrorum interuentu, bonorum eleëmosynis, & vinculis, & morte absoluti. Religiosa profano habitu iam biennium foris vagabatur: hæc nostrorum suasu & auxilio, magno animi sui gaudio, nec minori Superiorum voluptate tandem aliquando monasterij se septis reddidit. Quædam duodeuiginti annos quæstu meretricio vitam tolerauerat inter milites, eò perducta, vt detestata flagitium, pœnitentiæ lacrymis contractas anteactæ vitæ maculas diluerit, & totam se Christo addixerit. Quidam è partibus Catholicorum fugam ad hæreticos adornabat in Hollandiam, eamque in rem fortunas suas venditione distraxerat: verùm nostrorum adhortationibus, & apud Magistratum gratiâ, & ad mentem, & ad bona postliminio rediit.

Sedes Bruxellensis, cum Missione Castrensi.

SEDES Bruxellensis, à qua manat Castrensis Missio, hoc anno aluit Socios viginti octo, sacer-

dotes

dotes octodecim, ceteros rei domesticæ Adiutores. In sacello, quod D. Christophoro sacrum est, & extra Collegium positum, septem omnino cōfessarij, eluendis pœnitentium criminibus grauissimè distinentur. Qui omnem vitæ cursum reuoluerunt, permulti. Nostrorum hortatu piæ aliquot virgines, incredibili mentis atque animi constantia, pudicitiam suam, victis hostibus propugnarunt. Sagæ ad sui conditoris cultum reuocatæ, corporibus flammis patienter obiectis, animæ incendia, vt speratur, euitarunt. De more, quinque stationibus, pueris erudiendis insudatur. Tribus in primariis templis, non paruo Parochorum desiderio conciones habentur. In castris mirum dictu, quanta fuerit hoc anno militum pietas. Neoportum castris vicinum in oppidum, vbi Serenissima Princeps agebat, excursum; atque toti familiæ, à nostris, de rebus cælestibus prospectum. Germani multi, hæresi quam in patria imbiberant, damnata, tanto mentis ardore pietatem colunt, vt cum nationibus, quas impia religio latuit, certent. Scortis & meretricibus, nostrorum consilio tam acre bellum indictum, vt ex castris profligatæ sint. Ea cum labe decedentibus, ad cæterarum terrorem, sacra sepultura interdictum: quod tantam multis formidinem concitauit, vt in spem veniamus, ad mentem meliorem non paucas redituras; præsertim cùm Patres in id manibus & pedibus incumbant, & quàm turpe sit hominum victoribus, à carnis illecebris vinci, demonstrent. Hoc anno in castris nobis cum cæterarum familiarum religiosis viris optimè conuenit, & concordibus studiis animarum salus curata est. Cùm multa indies ad efferatos militum animos componendos excogitentur; in hoc tamen genere plurimùm valuit pompa instituta,

ſuas oues ipſi libentiſſimè credant, quæ ad vocem eius ex multis & longè diſſitis pagis auidè confluunt. Nouit nimirum abundare & penuriam pati, in ſuis excurſionibus, ruſticorum paupertati & tenuitati ſeſe in omnibus, apoſtolico ritu, accommodans. Vnde fit, vt eorum animos ſibi in dies magis conciliet, atque adeò inueteratos in flagitiis, ad meliorem frugem, vnica exhortatione facilè reuocet. Adoleſcens Anglus imbiberat cum lacte, Caluini peſtem, ac penè quadriennium ſub hæreticorum ſignis meruerat: tandem deſertis iis, ad nos Cameracum confugit, corpore animoque æger, peſtem, præuio confeſſionis antidoto, euomuit.

Sedes Luxemburgenſis.

QVATVOR ſacerdotes, totidem Fratres rei domeſticæ adminiſtri hìc agunt. Præter ſolita Societatis munia conciones diebus Dominicis & feſtis, frequenti celebrique hominum corona habitæ. Catechiſmus quatuor templis, ſtato die in ſchola quadam explicatus. Frequentantium Euchariſtiæ Sacramentum hoc anno numerus ad ſtuporem creuit. Noſtrorum diligentia multi hæreticorum libri, alijſque ſuperſtitionibus pleni, ſublati, ipſiſque ſuperſtitioſis hominibus proſpectum. Nobiles adoleſcentuli duo, vnà cum Pædagogo in hæreſi educati, à noſtris in viam veritatis adducti. Paſtores huius Ducatus multi crebrò nos in difficilioribus conſcientiæ Caſibus conſulunt, noſtriſque familiariter vtuntur: nec tantùm ſuos ad exomologeſim libenter tranſmittunt, ſed ſuam ipſimet conſcientiam nobis credunt. Pro communibus Belgij calamitatibus, in ſacello noſtro inſtitutæ preces quadraginta horarum. Quod

ſupplicationum genus hîc antea ignotum ipſi Parochi æmulati ſunt, magna populi pietate & frequentia. Denique in ornatum ſacelli noſtri, amplius centum daleri à piis aliquot liberaliter collati.

Sedes Attrebatenſis.

ATTREBATI ſacerdotes tres, totidem rei domeſticæ Adiutores Inueterauerat conſuetudo, ſoli vt pueri ac famuli, Venerabili Sacramento tædas in publica ſupplicatione præferrent: hoc ſibi, neſcio qua humana perſuaſione, maiores ferè omnes pudori ducebant. Id vbi acriter à noſtro concionatore reprehenſum, extemplò ab ipſa concione Præfecti Congregationis, quæ in eodem templo, in honorem Auguſtiſſimi Sacramenti, a multis annis erat inſtituta, decreuerunt, vt omnes Præfecti, vel Maiores (vt vocant) Sodalitatis, albarum virgularum loco (erant eæ præfecturæ inſignia) faces deinceps accenſas præferrēt. Idem conſtitutum ab textrinæ artis magiſtris. Verùm cùm hæc ab vna tantùm Congregatione & Parœcia agerentur, collaudato publicè eorum zelo, ita inflammati cæteri, vt iam ſolemnibus in votis & ſupplicationibus honeſtiſſimi quique cum Senatoribus ac Conſiliariis non paucis, accenſis facibus & Sacramento honorem, & inferioribus exemplum præferant. Non inſulſum cuiuſdam fuit reſponſum. Dum enim tædam præferens à circumſtantibus interrogaretur, cur præter conſuetudinem hoc ſibi arrogaret? Conuertite, inquit, vultum, ac intuemini, quis ponè ſequatur; Quod illi de Redemptore ſuo dici peruidentes, ab eiuſmodi ineptis quæſtionibus conquierunt. Preces indixerat Epiſcopi Vicarius generalis pro feli-

lici

lici obsidionis Ostendanæ successu: sed eas Parochorum ac Religiosorum iudicio permiserat. Vbi primùm religiosæ familiæ suas obiere vices, acriter in id officium concionator noster ciues exstimulans, id obtinuit, vt ad quotidianas alternis stationibus, adiunctæ sint copiosæ eleëmosynæ, quibus aspersæ efficaciores essent preces. Sub finem verò cuiusque stationis habita à sacerdote nostro concio, quam sequebatur publica & solemnis supplicatio. Mirum sanè, cùm media æstate mensem integrum post meridiem haberetur, non imminutum, sed auctum semper auditorum numerum. Clausæ vbique in stationaria Parœcia, non tantùm supplicationis, sed & concionis tempore officinæ: & non semel, dum concionator ipse cum multis auditoribus, templis excluderetur, reliquis egrediendum fuit, ac mutato loco, sub dio, publica area, aut platea, habenda concio. Per eosdem dies, in eundem finem, hortatus est noster, vt votiua peregrinatione in agrum suburbanum (indicta ibidem erat concio) propitiam Principibus & exercitui, aduersus hostes fidei, redderent Deiparam. tanta primorum ac populi facta concursatio, vt demirati sint vniuersi. Catechismus, vt superiore anno, per hebdomadam expositus, aliàs quatuor in scholis, priuatim ad solos pueros, aliàs in aula spatiosa feria sexta ludimagistris præsentibus. Puellæ, puerique distincti, non raro mille ducenti numerantur: & quod rarius, omnis conditionis ætatisque viri non pauci, & honestissimæ quæque matronæ, perinde quasi ad sacram alicuius Festi concionem, iam à duobus ferè annis, magno desiderio, eôdem conueniunt. Dominicis porrò diebus, eodem loci, pueri opificio per hebdomadam detenti edocentur, minori quidem paruulorùm, sed ampliori maiorum

numero. Sacramentorum vſus quotidie augeri, & ad oculum cernitur, & publica mirantis ſeipſum populi voce prædicatur. Agebat Attrebati virgo è Francia oriunda annorum 17. quæ concionum & Sacramentorum apud nos vſu permota, multùm de ſeculari vanitate remiſerat. Pater qui filiam deſtin. rat nuptiis, ſuſpicatus hanc mutationem eſſe alieni a nuptiis animi indicium; aduolat Attrebatum, blanditiis miniſque ſeuerè iubet, ad cæterarum mores ſeſe accommodet, relictis præſertim & concionibus & Sacramentis. Quod cùm ab ea minimè impetraret, ſecum in Galliam abducit, iuuenem amatorem adhibet: at illa amatori adſtans immota tacet. hæreticum denique ſubmittit, qui multis, obſequendum parentibus comprobat: at illa vnico verbo argumenta eludit omnia; Non eſſe, ſcilicet, obtemperandum hominibus contra diuinum de virginitate conſilium. Mutata ſententia parens adhibet Theologos, atque adeò Religioſos, qui ſi non nuptias, ſaltem Religionis ingreſſum ſuaderent; nec decere, tanta cum licentia in ſeculo virgines agere. quibus illa modeſtè, & ex tempore, An ſancta Catharina, an Agnes, an Barbara ſanctimoniales? & tamen incorruptæ permanſerunt. Miratus pater filiæ reſponſa, & iratus, impiè Agnum Dei, quo quaſi incantari puellam credebat, collo eripit, in flammas abiicit: ſed generoſa puella alias Agni particulas, ne pereāt, non ſolùm ſuis, ſed ſororis, & ancillæ capillis inuoluit. Pergit pater indignè eam tractare, tum virgo, ſancta (vt ita dicā) impatientia concidens in genua, & admota manu ceruici collum extendēs; En, inquit, collum: ſancta Barbara à patre interempta: me quoque, pater, interfice potiùs, quam ad nuptias coge. Alia ſed ruſticana, ſacris ſemper diebus ex agro, concionum Sacramentorumque

gratia,

gratia, in ciuitatem ventitans, in reditu à rusticanis amatoribus expectatur, in tabernam pertrahitur: verùm potiùs passa est se vestium parte expoliari, quàm eo loci, vel ad momentum, cum illis hærere. Alias dum ad turpitudinem inuitaretur, raptari a multis potuit, cogi non potuit: nimirum, sibi religioni ducebat, quo die Angelorum pane refecta esset, vel choreas ducere, vel ijsdem interesse. Ægrotabat ad mortem vidua venerabilis, & grandæua. cumque in medicis spes nulla esset, rogant domestici vt dignemur moribundam inuisere. hortamur ægram deficientibus remedijs humanis confugere ad diuina, plenam fiducia inuocare Matrem misericordiæ, & voto concepto mittere qui suo nomine oratorium quod apud Insulas miraculis celebre est, visat, & sacrificium pro se offerat. Quod cùm illa fecisset, eodem die sub vesperam cœpit habere meliùs, ac postero die stupentibus medicis cibum cepit, quo pluribus diebus caruerat, sibique paucis diebus restituta, Deo gratias egit, Deique Matris erga se beneficium læta hodie deprædicat. Vxor vicini pistoris, quatuor diebus dolores partus perpessa, propè erat vt moreretur, fœtu, vt existimabant obstetrices, emortuo. Intellexere piæ mulieres, apud nos esse nomen B.P.N. Ignatij, eius manu scriptum, quo multæ grauidæ in simili periculo fuissent adiutæ. accurrunt, rogant, vt præsentes cum præsenti remedio, morientis misereamur nostro hortatu chartam sæpius deosculando, ori admouet: per intercessionem B.P.N. Ignatij diuinum auxilium identidem implorat: & ecce, præter omnem spem mulier subitò parit, viuitque hodie salua & vegeta. Adiungam aliud superioris quidem anni, sed omissum Vir senex suo sibi collo restem impegerat, ob dedecus, nescio quo rumore vano, quod si-

bi filiam attulisse credebat. Ex hoc periculo manibus alienis ereptus iacebat iam diem & noctem inflato pectore, ore spumans, turbato vultu, sed integro sensu & animo impœnitenti, ac prorsus obstinato. Instabat Parochus vt filiæ condonaret, sed frustrà. idem precabatur cum lacrymis vxor, & filia, idipsum cum multis monitionibus vicini: verùm nequicquam. porrigebatur crucifixus, respuebat. Aduocatus sacerdos noster hortatus est hominem inter legendas Litanias, vt crebriùs inuocaret D. Stephanum. Hoc quanquam ægrè, fecit tamen: Addidit denique sacerdos noster omnes Antiphonas quæ in Officio Romano de B Stephano decantantur; cùm ecce, præter omnium expectationem, sese libenter suæ filiæ condonare, omnibus præsentibus, indicauit. Præses Artesiæ, cum prouinciali concilio honoratum conuentum indixit, ad promouendum Societatis Collegium, & cum laude nostra breuem & efficacem habuit orationem. In eo conuentu Reuer. Dominus Abbas Vedastinus publicè promisit, vita comite, Deoque iuuante, se coëmpturum aream omnem ad domum templumque necessariam, nec non ab ipsis fundamentis ipsam domum exædificaturum: templi quoque fabricæ se minimè defuturum. Electus Episcopus ad Magistratum litteras misit, quæ opus promouerent. Magistratus autem de consensu populi, præter antiquum ciuitatis gymnasium, ad reliquas nec paruas piorum hominum donationes, mille præterea florenos annuos futuro Collegio adiecit, non exiguum, exhausto tot bellis ciuitatis ærario, munus. D. Decanus nobis hoc anno centum florenos annuos donauit. Data sacello supellex tantillo tempore, mille quingentis florenis æstimatur.

PRO-

PROVINCIA POLONIÆ.

SVNT in hac parte Prouinciæ ſocij 237. Cracouiæ in Domo Profeſſa 19. ſacerdotes vndecim, reliqui Coadiutores. In Domo Probationis 51. veterani vndecim, ex quibus ſex ſacerdotes, reliqui Coadiutores & Nouitij 40. Poſnaniæ 46. Sacerdotes 12. ex quibus duo ſcholaſticam Theologiam profitentur, vnus ſacram Scripturam & Controuerſias interpretatur, alius Hebræam linguam, alius Caſus conſcientiæ: vnus Philoſophiam docet: ſcholarum inferiorum profeſſores quinque, auditores Theologiæ 14. Philoſophiæ ſex, reliqui Coadiutores. Caliſij 46. ſacerdotes 14. ex quibus duo Philoſophiam profitentur, tertius Mathematicam, quartus Controuerſias, quintus Caſus conſcientiæ, profeſſores inferiores quatuor, auditores Philoſophiæ 18. reliqui Coadiutores. Lublini 27. ſacerdotes octo: ex quibus vnus Controuerſias explicat, alter Caſus conſcientiæ; profeſſores inferiores quinque, auditores Caſuum & Controuerſiarum totidem, reliqui Coadiutores. Iaroſlauiæ 21. ſacerdotes octo, quorum vnus academicis noſtris præeſt, qui ſeptem ferè fuerunt, reliqui Coadiutores. Nam ſcholæ hoc anno propter incendium anni ſuperioris ſiluerunt. Leopoli decem, ſacerdotes ſex, reliqui Coadiutores. Toruniæ octo, ſacerdotes quinque, Coadiutores tres. Gedani quinque, ſacerdotes quatuor, Coadiutor vnus. In Miſſione aulica quatuor, ſacerdotes duo, Coadiutores totidem.

Domus

Domus Professa Cracouiensis.

ANNVS sanè hic fuit grauior aliquot superioribus annis, propter grauiorem luem, quæ non tantùm hanc primariam regni ciuitatē, sed multa alia adiacētia loca, & prouincias peruagata sustulit plurimos è medio: in qua tamen publica patriæ calamitate, illud diuinæ erga nos prouidētiæ singulare argumentum eluxit, quòd neminem è nostris desiderari passa fuerit, vno excepto P Iacobo Safatnio: qui non tam contagione aliqua quàm tabe lenta ac diuturna, in qua bienniū fermè iam antè exegerat, tandem consumptus ad vitam meliorem migrauit, & ad laborum suorum exantlatorum per annos in Societate non paucos præmia capessenda, vt speramus, transiit. homo mitis, laboris patiens, zelo feruens, ingenio facilis, disertus. Ingrauescente itaque malo, & perturbato rerum omnium ac temporum statu partem vnam nostrorū R. P. Prouincialis reliquit domi ad subsidium spirituale proximorum : alteram in varias partes circumuicinas dispersit, vt pluribus prodesset. Vtraque suo functa est munere, & ex messe varia quotquot potuit manipulos in horreum Domini eiusdem dono ac beneficio intulit. Et inprimis ex variis hæreticorū lacunis extracti, atque in gremio sanctæ matris Ecclesiæ collocati sunt septem supra viginti: inter eos nonnulli erant qui Ariana, qui itē Caluiniana peste infecti vehementer, & annis multis obstinati fuerant. Schismaticus item vnus ad vnius ouilis & pastoris obedientiā, cuius iugum excusserat, reductus est. Alius etiam fidem inter Mahometanos eiurauerat, sed ad cor reuersus, & vnius è nostris confessariis copiam nactus, ab eoque instructus, & Deo ac Domino

nostro

noſtro reconciliatus eſt. Quidam cùm à perplexis de fide quæſtionibus ſeſe per ſeptemdecim annos integros explicare non poſſet, & dubius neque ſectari omnino hæreſes, neque adhærere Eccleſiæ in animum inducere poſſet; tandem contulit cum vno ex noſtris, & ab eo edoctus caſtris ſeſe Chriſti adiunxit, & repudiatis omnibus ſectis fidem Catholicam apertè profeſſus eſt. Idem actum cum matrona quadam honeſta inter hæreticos educata. Virgo vna nobiliſſima genere, ſed parentibus non tantùm hæreticis, verùm hæreticorum propugnatoribus acerrimis orta, cùm ante aliquot iam annos fidem Catholicam animo concepiſſet, & vel ob metum parentum, vel ob alios reſpectus eam profiteri non ita auderet; tandem tradita ad tempus curæ propinquorum Catholicorum, & paulò liberior facta, contulit cum vno è noſtris Patribus, à quo inſtructa fuit, & Sacramentis Eccleſiæ ritè procurata atque confirmata. Viginti & octo reperti ſunt ſexus vtriuſque, qui ab improbiſſima vita, qua non ſibi tantùm, ſed aliis etiam oberant plurimùm, propter exemplum peſſimum, ad mores Chriſtianis hominibus dignos, noſtrorum interuentu ſunt traducti. Duo Apoſtatæ religioſorum Ordinum, qui magno aliorum offendiculo vagabãtur, operâ noſtrorum ad meliorem mentem reducti, & ſuis Ordinibus reconciliati ac reſtituti ſunt. Cõfeſſiones totius vitæ auditæ plurimæ, domi præſertim, cùm vndique ad nos tam periculoſo tempore fieret concurſus. Venerunt nonnulli à triginta milliaribus, vt apud noſtros onera conſcientiæ deponerent. Lites maioris momenti octo inter perſonas, à quarũ vnione multa dependebãt, per noſtros compoſitæ. Exculti exercitiis ſpiritualibus ſacerdotes aliquot, edoctique viuendi morem Eccleſiaſticæ diſciplinæ confor-

mem.

inem. Noſtrorum partim concionibus publicis, partim priuatis cohortationibus deterriti ſunt nonnulli à contractibus illicitis, quibus ſe implicauerant annis multis Duo etiam inducti ad reſtitutionem magni momenti faciendam. Oratio horarum quadraginta pro neceſſitatibus regni huius magno hominum concurſu & fructu in noſtro templo peracta eſt. Supellex ſacra ſacriſtiæ & templi noſtri florenis ducentis & ſeptuaginta hoc anno adaucta. Poſtulati noſtri à variis locis & monaſteriis, conceſſique fructum non contemnendum reportarunt.

Domus Probationis Cracouienſis ad S.Stephanum.

SVNT in hac domo quinquaginta & vnus, veterani Patres ſex, quorum tres Probationis tertium annũ agunt, Coadiutores quinque, ſcholaſtici nouitij trigintaquinque, Coadiutores quinque, admiſſi viginti. Mortuus vnus P. Ioannes Sanhovvski. hic cùm per annos aliquot in Societate vixiſſet, & primò quidẽ in S.Barbaræ Domus Profeſſæ Cracouienſis templo concionator; deinde Collegiorum Pultouienſis & Lublinenſis Rector fuiſſet; tandem, vt eodem concionatoris munere in noſtro hoc S. Stephani templo fungeretur, ad nos veniſſet, vnica tantùm concione habita, graui & periculoſa correptus febri intra octiduum extinctus eſt. reliqui per Dei gratiam valent. Et quamuis hoc iterum anno, vt & ſuperioribus, in prædium ob ciuitatem peſte infectam migrare neceſſe fuerit, in quo iam ſeptimum agimus menſem; non minorem tamen Dei benignitatem corporibus à periculo peſtis ſeruãdis, quam

animis

animis cælestibus donis ornādis erga nos experti sumus. Maior hoc anno quàm aliàs in nostri Ordinis Beatos pietas in nostris eluxit. Die festo B.P.N. Ignatij renouatio votorum (quæ eò vsque propter dispersionem nostram dilata) peracta est. quadraginta horarum oratio publicè celebrata. Concio, licet profestus esset dies, de laudibus B. Patris in tēplo habita, in fine quadraginta horarū, Collecta de nouo Sancto post *Te Deum laudamus*, recitata. Paucis inde diebus 14. Augusti in honorem B. Stanislai Kostka more item solemni oratio septemdecim horarum (in honorem septēdecim, quibus in terris vixit, annorum) Sanctissimo Sacramento ritu solenni per totidem horas exposito, publicè instituta fuit. Aliquot deinde interiectis mensibus in memoriam B. P. Francisci Xauerij. paria pietatis documēta dederūt. Meditationibus nostris solitis aliquot exculti, inter quos vnus Canonicus Cracouiēsis, alter Academicus, tertius Minister hæreticus conuersus. Hebræus quoque Italus Medicinæ & Philosophiæ doctor, per aliquot dies domi nostræ manens in rebus fidei nostræ instructus, & pòst à Reuerēdissimo Episcopo Cracouiensi qui illū ad nos miserat, baptizatus. Nobiles duæ sic volente eodē Reuerēdissimo per nos Ecclesiæ reconciliatæ. Vnus qui nouē annis in hęresi & vita impura delituerat, ex vtroq; emersit. Cōfessiones generales auditæ nō paucę, & hac via pœnitentes ad meliorē traducti vitam. Doctrina Christiana, tam pueri quàm alij rudes (domos etiam priuatas nostris ingrediētibus, familiariterq; instruentibus) exculti: pauperibus infirmis subditis nostris, etiam in hospitalibus, ministratum. Sanctissimum Sacramentum ad eosdem à nostris delatum; aliqui illorū ad nostrorum templum sepulti. Aucta villa horologio ligneo affabrè facto

&

& cellario lapideo; domus verò, infirmariæ & sacristiæ ad finem deductione; horti quoque suburbani (domuncula exstructa & sepibus positis) instauratione; & tandem eleëmosyna duorum millium florenorum ex cuiusdam Fratris nostri pro censu emendo donatione.

Collegium Posnaniense.

DOMI qui ad præsidium externorum peste periclitantium relicti fuerãt, sedulò confitentibus, etiam iis quos pestilẽtia occupatos esse cõstabat, aures cõmodarunt, cõciones in ęde primaria continuarũt, rerũq; inopia laborãtibus 300. florenorũ eleëmosyna subuenerũt. Peste tandẽ diuina benignitate sopita, remigrarũt alij Posnaniam, magna cum gratulatione ciuitatis, statimq; à reditu studiosè proximorum saluti data est opera Grauiter diffidentes nõ pauci simultates odiaq; posuerunt. Duo viri è præcipua nobilitate diu à se alieni sibiq; inuicẽ infesti, cùm subinde à magnæ auctoritatis viris de reditu in gratiam admoniti minimè resipuissent, in gratiam sunt restituti. Alius quispiam summo loco natus, cùm neminem remittendæ inimico iniuriæ auctorẽ sequi in animum induxisset, rogatu sacerdotis nostri iniuriam condonauit. Tres fratres, quorum vnus duobus aliis exitium machinabatur, seque ad id præstandum iureiurando obstrinxerat, reconciliati. Duæ vxores à viris abalienatæ in gratiam redierunt. Ab hæresi tum domi, tum foris expiati circiter octoginta. Res alienæ possessoribus restitutæ. Characterum magicorũ vsus, qui creber hucusque fuit, magna ex parte sublatus: quod eò factum est ægrius, quòd nonnullus ę clero eam rem tueretur. Concionem aliquando de Ecclesiæ ieiunio institutam cùm vnus ex hęreticorum colluuie auscul-

taret,

taret; eam repentè ſumma verborum impietate deteſtatus eſt: ſequenti verò nocte animam is efflauit. Sodalitas miſericordiæ & numero Sodalium & pietate & beneficentia creſcit, vt etiam Sodalitas B. Virginis: die redempto orbi dicato, ad diuinam iram leniendam ingenti cum pietatis ſignificatione flagris ſe multarunt, ſeque diuerberarunt centum octoginta ampliùs. Studioſorum frequentiam licet peſtilentiæ lues poſtremis anni proximè elapſi menſibus vehementer imminuerit, exitus tamen huius reſtituit Illuſtriſſimus D. Laurentius Goſlichi declaratus Epiſcopus Poſnanienſis, cùm hoc anno primùm ſuam diœceſim iniret, Collegium imprimis & iuuentutem litteris deditam inuiſendam putauit. Itaque in templum ingreſſus, ab vno domeſticorum oratione latina ſalutatur. è templo in Collegij tricliniũ concedit, vbi & ipſe prãdet, & omnes noſtros epulo perquam lauto accipit. A prandio gratulantem ſibi pubem ingenuam, & dialogum de diuo Laurentio ad eam rem inſtructũ auſcultauit. quæ omnia vehementer probauit, & pleraque curauit imprimenda. Collegio loco eleëmoſynæ 100 florenos impertiuit; paucis pòſt diebus Philoſophicis concertationibus præſtò fuit, iuuentutem ad eruditionem pietatemque pluribus verbis excitauit. In compluribus opidis hæretica labe infectis, non pauci ad ſinum Eccleſiæ Catholicæ rediere. confitentes auditi quàm plurimi, quorum plerique annorum omniũ culpas expoſuere. Fanum erat iam olim à viro minimè obſcuro in gratiam hæreticorum exædificatum. id poſt obitum conditoris admonitu noſtrorum Catholico ritu conſecratum eſt; opidani inuſitatis cæremoniis conſecrationis mirabiliter commoti, & ad religionem orthodoxam inuitati ſunt. Conciones

 fune-

funebres persæpè longè à domo habitæ in maxima frequentia nobilitatis: quo factum, vt multi malè de nobis persuasi & bene sentire inciperent, & nobis magis quàm antea fauerent quin etiam hæreticos nonnullos vsque adeò in nostri admirationem traximus, vt nobis potiùs liberos suos, quàm suæ sectæ hominibus erudiendos committant. Sexcenti floreni in curationem ægrotantium pauperum collecti sunt. Illustris D. Palatinus Posnaniensis vicum, vel si mauis pagum, octo millibus florenorum comparatum Collegio dono dedit. Præfectus maioris Poloniæ Generalis, impetrauit à Rege in Collegij vsum florenos mille, ii in fabricam impensi. Reuerendissimus Episcopus Cuianiensis sacram supellectilem pallio quo altare prætexitur, & ornatu sacrificali, quæ ipse ducentis quinquaginta florenis cõparauerat, auxit. Duæ virgines casulas duas, matrona quædam inter suos honesta imprimis ac nobilis tegmen altaris perelegans & sumptuosum donauit; argenti etiam non parum testamento legauit. quibus ex aliorum liberalitate palla (vulgò pluuiale seu cappa) auro intertexta, & duæ lampades argenteæ accesserunt. E studiosis adsciti in Societatem sex, alij tres in alias Religiosorum familias adscripti. Nonnulli exercitationibus sacris exculti magno suo cum fructu; in his quatuor diuersorum Ordinum Religiosi fuerunt, vnus è collegio sacerdotum Curialium.

Collegium Calisiense.

ILLVSTRISSIMVS D. Archiepiscopus fundator noster octogenario maior, cùm ab initio fundationis huius Collegij semper de illius incrementis, & ornamentis sedulò cogitaret; hoc anno tanto id sibi accuratiùs faciendum putauit,

quanto

quanto propiorem vitæ suæ terminũ appropinquare suspicabatur. Itaque cùm ante biennium vnum Philosophiæ cursum in hoc Collegio institui, & anno superiori alterũ adiungi obtinuisset, atque in augmentum fundationis sedecim florenorum millia in depositũ Collegio dedisset, postquam hoc anno ex hac pecunia (insuper additis ab eodem mille quingentis florenis) duæ villæ fundis aliis Collegij adiectæ essent, tertiũ etiam Philosophiæ cursum addi petiit & impetrauit. Quanquam autem Collegium satis amplum vnà cum templo à fundamentis extruxerit, cùm tamen scholæ & pauciores essent & angustiores, quàm quæ tot distinctis professionibus ac multitudini confluentium studiosorum sufficerent; nouam scholarum fabricam à fundamentis molitus est, quæ decem vel duodecim scholas simul vna cum aula perampla, porticibus, & area cõpetenti contineret: cui cùm etiã cubicula non pauca in vsum nostrorum sint addenda, dimidia ferè parte hæc noua fabrica Collegij totius ambitu redder capaciorem & ampliorem. Eiusdem sumptu nouus aquæ ductus in seminarij bursæque domum ac nostrum etiam Collegium deduci cœptus, simulque ciuibus liberaliter compensatus, eò quòd ad illum ducẽdum duos fontes è suis fundis concesserint. Idem templo nostro aulæa serica quindecim & alia quædam ornamenta donauit, non parui sanè pretij. Numerus studiosorum in scholis nostris auctus, sicut & eorum feruor; Academicorum præsertim & Parthenicorum: è quibus septem in Societatem sunt admissi, ceteri in aliud tempus reiecti perstant in sententia. Quidam illustris iuuenis parentibus hæreticis natus, atque in scholis hæreticorum à puero institutus, cuius etiam frater natu maior est acerrimus hæreticus,

ſenator regni non poſtremus; cùm in Italia noſtri cuiuſdam ſacerdotis Poloni operâ Catholicus eſſet factus, in Poloniam veniens facta hereditariorum bonorum cum fratre ſuo diuiſione, cùm ea bona accepiſſet in quibus pater eius deſtituto templo Catholico aliud in vſum hæreticorum à fundamentis excitarat, ad illudque fundationes antiquas tranſtulerat; ipſe templo expurgato ac ritu Catholico expiato, ſacerdotem Catholicum in eo conſtituit, & in illud ſacra Catholica & cæremonias reduxit, templi miniſtros ſuo ſumptu ſuſtentans, donec è bello Liuonico ad quod Regem eſt comitatus reuerſus, ſtabilem parochiæ ac templi fundationem prouideat. Numerati ſunt hoc anno 23 partim viri, partim feminæ abſoluti à noſtris ab hæreſi, vel in noſtro templo, vel in Miſſionibus. Quorundam Arianorum liberi in quadam Miſſione parentibus conſentientibus baptizati. Confeſſiones generales permultæ & domi & foris auditæ; infirmi viſitati atq; adiuti, vſurarij ad relinquēdas vſuras, & reſtituenda per vſuras parta fœnora adducti. Sacerdotes deniq; aliquot ac Religioſi exercitiis ſpiritualibus exculti.

Collegium Lublinenſe.

ANNVS hic lue quadā fatalis erat, quæ cùm ciuitati noſtræ etiam impēderet, magnū campum virtutis & charitatis exercēdę noſtris aperuit. Imprimis autē quo faciliùs imminēs diſcrimen vitaretur, ſupplicationē publicā indiximus, quæ cùm magna pietate & frequētia populi fuiſſet peracta; ſenſimus non obſcurè malū illud in longū tempus impendens, haud modicè repreſſum fuiſſe, & tantùm in ſuburbanis ferè conſediſſe. Coacti ſumus nihilominus ſcholas florētiſſimas ſoluere ad tempus, proximis alio genere officij nō defuturi. nam

&

& graui inopia laborantes eleëmosynis adiuti, & morientibus subuentū est, non quidē sine periculo contagionis: a qua tamen etiam illi Deo protegente illæsi conseruati sunt, qui certissima peste afflatis cominus aures dederant. Laborauimus in reducendis ad Ecclesiam hæreticis. Spectata est vnius conuersio, qui in hæresim sæpè relapsus ad extremum superstitiosis incātationibus æternùm se dæmoni deuouit: denique omni spe suæ salutis proiecta viam sibi laqueo eripere parabat. Lublinum verò pergit, ab Arianis, quorū sectæ erat, aliquid fortè solatij quæsiturus: sed meliori consilio in ipso itinere instructus, nostrum primùm templum inuisit, in eoque conscientiam suam non sine magno sensu pietatis exonerauit. Mirum quam sollicitè in his partibus peruersa Arianorum studia in euertendis hominibus elaborent. Virgines duæ nobili loco ortæ, ab iis in hæresim ferè inductæ, & à Sacramentorum vsu annis fermè octo prohibitæ, è longinquo Lublinū venientes à nostris adiutæ sunt. Quidam permoti concionibus peccata ab annis plùribus suppressa cum lacrymis aperuerunt. alij præstigias magicas ingenti arte & pretio comparatas, detestati sunt. Viri duo primarij ob mutuum odium à sacris abstinuerant; adnitente vno è nostris in mutuos venerunt amplexus. Prostitutæ feminæ ad pudicitiam reuocatæ: aliæ fœdas consuetudines in matrimonia commutarunt. Nuptiæ nutantes cōstabilitæ, restitutiones factæ, opera denique iis impensa, qui extremo supplicio scelerum pœnas dederunt. Confessionū de omnibus quæ vnquam in vita admissa sunt, numerus in dies maior. Multi senes quietem nacti quam antea numquam se habuisse cum lacrymis protestati sunt, auditi sunt de tota vita exactissimè. Supellex templi multùm

aucta. eminet pyxis argentea auro illita, & multis pretiosis lapidibus scitè distincta, sacræ synaxeos receptaculum.

Collegium Iaroslauiense.

TOTO anni præsentis decursu post calamitosam superioris æstatis cōflagrationem in hoc Collegio à studiis fuit vacatum. atque inde est consecutum, vt nostrorum operæ fructus non adeò ad externos sese effuderint;in tanta prælertim nostrorum paucitate. Per sacram exomologesin complures a turpi viuendi ratione sunt abducti; à veneficiis deterriti;ad sępius frequentanda diu intermissa Sacramenta reuocati; ab hæreticis seu schismaticis irrito coniugio copulati ad proprios Parochos ablegati; partim domi, partim in excursionibus sex circiter hæresi seu schismate abiurato, Ecclesiæ reconciliati; diffidentes nonnulli ad mutuam beneuolentiam traducti Supplicio quidam afficiendus cum suis accusatoribus in æternum se nolle ignoscere asseueraret, ægerrimè tandem nostri sacerdotis adhortationibus in ipso supplicij loco pœnitere se delicti est testatus. alius cui laqueo vitam finire cogitanti dæmon funem obtulerat, adiutus. Scholas hoc anno nouas post exustionem, tabulato superiori ac tecto illarum nouo imposito, aperuimus: quarum successum indies maiorem speramus.

Residentia Leopolitana.

VNVS è sex sacerdotibus hoc anno ad meliorem vitam migrauit extremo Decembri, magno & religiosarū virtutū exemplo, & sui apud omnes desiderio relicto. Comprobauit hoc funeris celebritas,

britas, quantam se multis retro annis non vidisse ciuitas testata est. Adfuit vniuersus clerus, qui cantu & solitis cæremoniis funus celebrauit, videreque erat sacerdotes certantes quis eorum potissimùm humeros oneri supponeret. Illustrissimus Archiepiscopus primus Russiæ Senator postridie funebrẽ habuit laudationẽ defuncti, nõ sine Societatis nostræ cõmẽdatione, magno pietatis sensu & lacrymis. Certè vel hac sola in defunctũ Patrem nostrum pietate satis vniuersa hæc ciuitas testata est suum erga Societatẽ studiũ, bonaq; spe sumus quibusdam difficultatibus sublatis futuri in hac vrbe Collegij. Quod ad domestica attinet, nihil prætermissum eorum quæ ad religiosam disciplinam pertinebant: sed & ad próximos non paruus vtilitatis fructus ex hac domo redundauit, vel confessionibus plurium Arianorum, Caluinistarum, & aliorum id genus hæreticorum fructuosè audiẽdis; vel schismaticis, quod genus obstinatissimum est, ad Ecclesiam aggregandis, vel carceribus & hospitalibus visendis, vel, quod peculiare est Societati in hac ciuitate, iuuandis morientibus, iisque præsertim qui afficiuntur extremo supplicio. Adiuti præterea à nostris Iudæi ad baptismi Sacramentum. Dissidentes permulti in gratiam restituti. in quo genere fuit dignum notatu illud, quòd vir quidam ex præcipua inter nostrates nobilitate nostrorum interuentu à cæde & sanguinis profusione in graui rixa sibi temperauit, quamuis ab aduersario læsus. Alij quoque à morte sibi inferenda, à procurando aborsu reuocati; aliaque id genus ad Christi gloriam & Societatis bonum odorem peracta.

Residentia Torunensis.

DVo opida in Prussia sita Torunensi ciuitati vicina, populosa quidem, verùm malis moribus imbuta, cùm frequentiùs hoc anno à nostris visitarentur, per conciones & Sacramenti Pœnitentiæ frequentationē notabiliter sunt adiuta, etiam cum vicinorum nobilium admiratione. Ad Ecclesiæ gremium (hæreticis licèt omni conatu prohibentibus) reducti tamen sunt quinquaginta, totidem ferè nutantes in fide Catholica sunt confirmati. Clerus multis in locis antea malè de nostra Societate persuasus, iam erga Societatem factus est beneuolētior. Quædam afflictissima persona cùm ex mœrore & luctu perpetuo in desperationis periculum propemodū fuisset adducta, nostrorum operâ ad saniorem mentem est reuocata. Multi egeni studio nostrorum sunt subleuati, alij plurima scelerum pericula euaserunt: non pauca hominum paria odiis cruētis inter sese dissidentia in mutuam gratiam rediere. Ex quibus fuere duo nobiles & auctoritatis & facultatis non postremæ, cùm ob terrestria quædam bona & limites cædem sibi mutuò intentarent, ad concordiam sunt adducti. Personæ decem a pessima viuendi consuetudine ad honestiorem vitæ rationem transierūt. Duo Religiosi profugi vt ad suam disciplinam redirent, persuasi sunt. Publica Corporis Domini supplicatio hoc anno fuit multò quàm superiori solennior. Nā præter apparatum Ecclesiasticum & hominū frequentiam, quæ etiam 4000 hominū excedebat, tria vexilla accessere splendida piorum hominum contributione comparata, quæ Catholicis consolationē, hæreticis verò dolorem non exiguum attulerunt. Magnificus

gnificus quidam serica nonnulla ornamenta pro altari quo nos vtimur ad hoc tempus, donauit. In hebdomada sancta cùm esset a nostris sepulchrum Domini (quantum huius loci conditio ferebat) exornatum lugubriter, præter Catholicorum consolationem & pietatem magnus fuit & frequens hæreticorum quoque concursus. Cùm superiore anno Serenissima Regia Maiestas templum parochiale magnificum cum domo & schola parochiali Societati nostræ attribuisset, clemētissimè hoc anno contulit quoque domum quandam lapideam vicinam, ad hortum nostrum prospicientem. Quorundam vita, maximè sacerdotum, Societatis exercitiis exculta. Iisdem quoque plurimùm adiutum est monasterium quoddam virginum, sicut & concionibus, exhortationibus & cōsiliis piis In sacratissimo Paschātis festo duo hominum millia cælesti sunt pane refecti: aliis verò festis diebus & Dominicis frequentes accedunt. Eadem fertur deuotio populi ad diuinum audiendum sermonē. Solemnioribus festis etiam tria hominum millia numerari possent. Bibliotheca nostra est aucta libris non paucis, inter quos nouem tomi Baronij in Germania nouiter impressi eleganti charactere accesserunt. Eleemosynam sacram ad 1000. florenos bonorū hominū pietas dedit. Reuerendissimus noster optimè erga Societatem affectus, vtitur consiliis & opera nostrorum.

Residentia Gedanensis.

CONCIONES binæ habentur Dominicis diebus in maiori ac maiori passim frequentia, nec sine fructu. E variis enim hæresibus emersere hoc anno quadraginta circiter. Sacro baptismatis fon-


te abluti quatuor prouectioris ætatis. & quamuis parum amici nobis sint ciues, tamen ex iis ipsis sectarum iamiam pertæsis quidam animos ad nos applicant, ac subinde etiam per plateas nos transeuntes alloquuntur, salutant humaniter, ad domos suas inuitant. quod sanè ob respectus mutuos superioribus annis numquam, vel rarissimè visi sunt facere. Iuuentus huius ciuitatis ostendit vehemens versandi in scholis nostris desiderium, si per parentes vel amicos liceat. Suppeditante sumptum Reuerendissimo Episcopo Vladislauiensi templum, in cuius minima particula ad populum conciones huc vsque habuimus, ex ruinis ante annos circiter septemdecim per incendium illatis restauratur: quod vbi reædificatum fuerit, magnam spem messis polliceri videtur spiritualis. In his nihilominus angustiis templi notabiles hoc anno in pietate progressus cultuque Dei vidimus. A sacro etenim Paschate quauis Dominicà communicantes aliquot, aut ad minimum pœnitentes fuere. Honesta quædam matrona cùm nulli, vt nunc fit, se addiceret sectæ, omnes interea in vrbe hac ecclesias visitauit, verbi Ministros sectarios attentè audiuit; at cùm quodam die in præcipuo sectariorum templo concioni adesset, nec sibi satisfieret, exiit è templo, inciditque rectà in vnum è nostris, qui tum ad faciendam concionem abibat. sequitur, templum ingreditur, audit, mouetur, conuertitur, ac tandē in Ecclesię gremiū recipitur. Virgo quædā fortè annorum (nondum baptizata) octodecim, inuitata iterum atque iterum vt ad nostras accederet conciones, & quæ sententia esset Catholicorum intelligeret; respondit identidē, Scio equidem sacerdotes vestros præter fabulas & somnia nihil afferre. institit inuitans, veniret saltem.

Venit

Venit illa, ac post mediam concionem in tantas soluebatur lacrymas, tantosque illi Deus stimulos in conscientiam iniecit, vt frustra tribus mensibus recalcitrando tandē ad pacem veram internam consequendam insciis amicis & consanguineis lauari se aqua baptismatis curarit. Profuit hoc anno nostrorum præsentia Catholicis frigidis, & ab omnibus veræ pietatis exercitiis ob cōtinuam cum hæreticis consuetudinem alienissimis, quorum plurimi à desidia illa excitati animos nouos constantioresque assumpsere. Dissidentes animi sunt singulari studio in gratiam reducti. In carceribus publicis, quod nouum huc vsque Gedani fuit, confessiones exceptæ, Sacramenta administrata, exhortatiunculæ cum summo aduersariorum applausu habitæ. imò ex nostris sacerdos vnus ad intima prætorij ciuici admissus ibidem nobilem iuuenem supplicio afficiendum confessione totius vitæ præmissa Sacramentis salutaribus muniuit, ac ad mortem patienter ferendam fructuosè animauit. quod ita egregiè reus præstitit, vt non solùm sanctè totius populi voce mortem obierit; sed etiam ad illos ipsos commiserationem, fletum, exemplum denique moriendi transmiserit. De Missionibus quæ à duobus Patribus nostris in circumiacētibus locis institutæ sunt, hæc habeto. Confessiones plurimæ auditæ, odia grauissima restincta, spiritualibus exercitiis monasteria integra purgata, catechizati pagi integri, hæretici ad gremium Ecclesiæ vltra quadraginta reducti ab iisdem.

VICE-

VICEPROVINCIA LITHVANIÆ.



VMERANTVR in hac Viceprouincia de nostris trigintatres supra ducentos. In Collegio Vilnensi sacerdotes vigintiquatuor, præceptores vndecim: ex quibus duo Scholasticæ Theologiæ professores, vnus Casuum, vnus Positiuæ, & Controuersiarum, ac Hebrææ, Philosophiæ vnus, scholarum inferiorum sex, scholastici vndeuiginti, Coadiutores sexdecim. Pultouiæ sacerdotes vndecim, præceptores nouem, Casuum vnus, Controuersiarum vnus, Philosophiæ vnus, inferiorum scholarum sex, Coadiutores 8. Brunsbergæ sacerdotes vndecim, præceptores septem, Casuum vnus, Philosophiæ vnus, inferiorum scholarum quinque, scholastici septem, Coadiutores nouem. Niesvvisij sacerdotes vndecim, præceptores sex, videlicet, Casuum vnus, Controuersiarum vnus, nostrorũ in Academia vnus, inferiorum scholarum tres, scholastici Casuum quinque, Rhetoricæ sex, Coadiutores septem. Polociæ sacerdotes octo, præceptores tres, Coadiutores nouem: in Domo Probationis veterani Patres duo, tertij anni tres, veterani Coadiutores tres, nouitij scholastici vigintiduo, nouitij Coadiutores sex. Rigæ sacerdotes octo, præceptor vnus, Coadiutores quinque. In domo Warsauiensi Patres quatuor, Coadiutores duo.

Colle-

Collegium Vilnense.

P. Paulus Gailaitius post sedecim in Societate laudabiliter exactos annos ad immortalitatis præmia vocatus est Vir fuit eximiæ probitatis, eiusmodi omnino, qui formati Coadiutoris omnes numeros expleret: pluribus annis ad Rhetoricam vsque iuuentutem erudiuit: concionatus aliquot annis in hoc Collegio duabus linguis: in varus Missiònibus, magna cum charitate & salutis animatùm zelo versatus est. Decessit quadragenarius. Gymnasium more solito studiosorum bono numero & egregia in primis nobilitate celebratur. Patefecerunt confessione peccata (disciplinæ nostræ alumnos & reconciliationes excipimus)ad vicena millia: vitæ vniuersæ & qui Sacramentum hoc numquam aliàs vsurparunt, supra tria millia : qui verò multis iam annis eodem Pœnitentię bono abstinuerant,minimùm mille & ducenti. Ex alta hæresum nocte vnus & quinquaginta ad lucem veritatis vocati, ex schismate vigintiquinque: à fœdis voluptatibus ad honestatem traducti decem. Totidem Societatis nostræ commentationibus perpoliti. Iras & odia inueterata posuerunt sexagintaocto. Viginti,qui se exiguo ære alieno obligarant,& ætatem in vinculis conterebant,persoluto creditoribus debito, à nostris exempti In Missionibus,quarũ hoc anno triginta ad pagos & opida varia, atque adeò omnem vicinitatem erudiendam institutæ,præclarè posita est opera, collectaque ex omni hominum genere seges animorum maxima In iis vna insignior,quæ Reuerendissimo Antistite nostro Vilnensi vrgente & sumptum subministrante, in Liuoniam ad castra Lithuanica facta est. Multa hic è re diuina gesta. Nostris enim ad omnem animorum

morum commodum excubantibus, & de die castra, de nocte excubias militares obeuntibus plurimi Sacramentis confessionis communionisque operati. Proiectæ militũ licentiæ frænũ iniectum. Odiorum acerbitas, maledicendi consuetudo, & similes militum morbi sublati. Interfuerunt etiam cõflictui cuidam, in quo ad tria Suecorum millia ceciderunt, & pugna expedita totã circumeuntes aciem magno charitatis affectu animorumq; fructu inter cadauerũ aceruos semianimis & ægrum à vulnere trahentibus spiritum sedulam nauarũt operam. Venerant nostris in subsidium duo alij Patres Riga missi, qui & ipsi egregiè operã suam omnibus probarunt. Ceterùm quia propter templorum in Lithuania paucitatem Missiones præsertim longiores pedibus hactenus institui vix poterant, idcircò eas perexiguo & humili curru equo vno iuncto, quem ipsimet sacerdotes agerẽt curarentque, fieri necesse erat Superstitiones quas plerique paganorũ diuinis etiamnum colunt honoribus (*Deiues* dictæ) pluribus in locis aqua lustrali purgatæ eiectæq In Samogitia falsi dei cultu (Pagirneij siue Dugnaij dicti) sacrisq; execrandis abductæ sunt octo familiæ. Est autem deus hic pauxillum arenæ sub mola trusatili in aliquo domus angulo asseruatæ, cui solæ dumtaxar muliercułæ statis temporibus gallinã cum ciborum reliquiis ritu superstitioso offerunt. Hanc autem arenam materfamilias morti proxima minimi filij sui vxori colendam tradit: quæ si fortè nolit succedere, deum in eundem secum tumulum iniici iubet. In hoc templorũ per Lithuaniam defectu, cruces aliquot nostrorum operâ in campis cum Dominicæ passionis insignibus erectę: ad eas Dominicis & festis diebus ediscendæ doctrinæ Christianæ caussa plurimi conueniunt: quo etiam fine

in

in quorumdam nobilium aulis,conuentus rusticorum instituti. Plurimi puerorum qui iam ex ephebis excesserant,salutari fonte abluti. Quidam à dæmone grauiter diuexatus ab hæresi cõuersus ritè facta confessione liber efficitur. Schismaticus quoq; propensus ad fidem Catholicam difficultate confessionis retrahebatur. cautè itaque ab vno ex nostris in colloquio familiari eò deductus est, vt bonam partẽ vitæ anteactæ enunciaret. cumq; hic subiunxisset,aliud nihil ad reconciliandum se Deo quàm absolutionem superesse,genua & animum flexit, denuoque Sacramentali confessione facta in gremium sanctæ matris Ecclesiæ receptus est. Centurio quidam annis 20. exactis in hæresi, morti proximus cuidã ex nostris tum fortè astanti,se Angelum custodem quibusdã Sanctis comitatum, splẽdidis omnes indutos vestibus,& mira fulgẽtes claritate vidisse retulit,Hi me, inquiens, solabantur , diuinam denunciantes clementiam, quærentes simul quamdiu optarẽ superesse. Cùm verò ego tacitus quod fiebat admirarer vehemẽter, & diligenter considerarem , nullum interim dans responsum;subiunxerũt, Multa te bona manent,modò vitam præteritam detesteris. Quo audito Pater haud ægrè illi confessionem persuasit: qua perfecta,& viuifico pane percepto diẽ clausit. Et quoniam hoc tempore tanta annonæ difficultate, quanta post hominum memoriam his locis vix fuit , tota pænè Lithuania laboratur (omne quippe genus frugum priusquam ad maturitatem perueniret , superueniens gelu atque pruina decoxit)nostri operarij iam ab ipso Nouembri missis omnibus excursionibus,curas suas eò conuerterunt,vt miserorũ vndique ad vrbem hanc confluentium , & omnibus passim plateis inedia ac frigore pereuntium extremæ succurrant inopiæ,
&

& cùm animis, tum corporibus opitulentur. Qui ſanè pro tanto numero tantaq; ciuitate pauci admodum ſunt: præſertim cùm vel ex ipſa Liuonia complures tam militum quàm indigenarũ nihil præter miſeram animam habentium, eadem benignitatis officia requirant. Adſunt itaque laborantibus; hoſpitalia, plateas, angiportus, & alia id genus loca, in quibus miſerrimi homines duras noctes exigũt, indefeſſo ſtudio obire ſolent Porrò licet Reuerendiſſimus D. Epiſcopus Vilnenſis opportunam in tanta afflictiſſimorum hominũ calamitate Congregationem à S. Lazaro dictam ante tres menſes erexerit; vidẽs nihilominus eam huic tanto oneri tantæq; multitudini longè eſſe imparem, noſtram etiam vt in communi malo opem implorauit: quam illi libenter in extrema hac neceſſitate impendimus, ſtipem pro pauperibus corrogando, ſubleuando, curam habendo, præſertim hoſpitalis cuiuſdam, in quo nunc communiter numerantur ad 400. è quibus deni & eo ampliùs diebus ſingulis extinguuntur. Eleemoſynæ nomine oblati Collegio 400. floreni non leue in tanta neceſſitate ſubſidium.

Miſſio Moſcouitica cũ Legatis regni.

ILLVSTRIS Dominus Leo Sapieha magni Lithuaniæ Ducatus ſupremus Cancellarius, Princeps legationis conſtitutus ad cetera rei (auſpicata & præſenti diuini Numinis ope) gerendæ præſidia, illud ſibi ſedulò prouidendum arbitratus eſt, vt idoneos eoſque non paucos in comitatu haberet Societatis ſacerdotes. Id autem eo conſilio, vt omnes modos pertentaret alicuius aditus faciendi ad Moſcos Catholicæ Eccleſiæ vnioni aggregãdos. Quemadmodũ enim apud ſuos ciues non irritos

omnino

omnino fuisse pios conatus suos eo in genere meminerat, ita etiam apud extraneos tentandã sibi ducebat aleam. Quamobrẽ instabat apud P. Prouincialẽ vt octo aut sex minimũ è nostris secum duceret; iustis tamen deniq; ex causis nonnisi duos obtinuit sacerdotes. Accessit tertius presbyter Græcus Corcyrensis à prima ætate in Romano Græcorum Collegio institutus, ac demum Theologię Doctor. Cœperunt porrò nostri maturiùs quam legati iter adornassent, euocati versus fines Moscouiæ ab Illustrissimo Cancellario in oblatam messem incumbere, locis ad eam rem opportunis, scilicet inter Russos regni. Itaque vnius mensis spatio præter conciones Dominicis ac festis diebus vsitatas multorũ variis in locis exceptæ confessiones. Moileui tamen potissimùm, vbi natalem B. Virginis egimus: eodemque loco catechesis in Russorum gratiam aliquoties habita explicatio. Interfuit singulis ipsemet Illustrissimus cum cõiuge & familia, vel ob eam causam vt arce progressus plebis turbam in foro ipsum operientem secum in diuinam ædem pertraheret. Sed vt ad Moscouiam veniamus. Magna quidem multorum fuit expectatio melioris alicuius in amplissimum hunc Principatum ad ciuiliorem cultum accommodatioris status introducendi post tam diuturnam, tyrannide latè propagatam & conseruatam barbariem. Plliceri id ipsum videbatur vel maximè imperium è tyrannica Ioannis Basilidis familia, in alienam, & quidem noui omnium confessione hominis translatum. Is est Boris Fiedorovvicus affinis Ducis demortui, cognomine Chodunovv. Soror enim ipsius Theodoro Duci cùm nupta esset, isq; animaduertisset simpliciori mitiorįq; ingenio Principem, totam pænè gubernandi rationem conniuente Theodoro sibi vsur-

 pauit,

pauit, atque ita omnia pro poteſtate accommodabat, vt aditu ad principatum modis omnibus præmunito decedente medio in flore Theodoro verius ipſum inuaſiſſe quā electus eſſe credatur. Miræ hominis artes in adeundo imperio ſunt deprehenſæ Cum enim per conſcios ſuorum conſiliorum adminiſtros de omnibus iam pro arbitrio ſuo decerneret, & præcipuas quaſque munitiones obtineret; eum ſe tamen fingebat, qui ſcilicet alieniſſimo eſſet ab omni cupiditate dominandi animo, ac veluti in interregno liberū eſſe Principibus ac Dynaſtis ſimulabat creandi quem vellent Principem, ipſe ſecedere ad monaſterium ſe ſtatuiſſe in vulgus ſparſit. Et ſeceſſerat quidem: interea tamen qui eius partium erant, eos qui propinquis Ducis demortui deferendum eſſe cenſebant imperium variè pertentabant, vt in electionem dicti Boris conſentirent; perſpectam eſſe hominis virtutem, pacatam à Polonis Moſcouiam, ei ſecundùm Deum acceptam eſſe ferendam: quoq́ue ab imperio magis abhorreret, eo imperio videri digniorem. Eò denique technæ iſtorum proceſſere, vt vel inuitis pleriſque procerum ac reclamantibus homini diadema iam pridem per artes regnanti imponeretur. His itaque artibus ſummum adeptus imperium, non modò non inflexit ad humanitatis ſtudia barbarorum animos, & ſolo nomine Chriſtianos homines, ſed videtur etiā ad feritatē magis incitaſſe. Nam Catholicos non multò meliore quàm quoſuis hæreticos, atque adeò infideles loco habent. Et quod de Græcis memoriæ proditum eſt, eos Catholicorum odio ſi fortè contigiſſet in eorum templis aut domibus ſacerdotes Romanæ Eccleſiæ ſacris operari, eas ipſas menſas, in quibus ſacrificium oblatum fuiſſet pollutas duxiſſe, & abraſionibus ſolitos fuiſſe

expiare,

expiare, isti magis auxerunt. Templa enim sua nostrorum aditu contaminari putant; ideoque non templis solùm nostros prohibuerunt, sed congressu quoque, & sermone præsertim Poporum: grauiterq; in presbyterum quemdam suum animaduerterunt, quòd aliquot verba cum nostro sacerdote contulisset. Et hanc maximè ob causam omnes spes & conatus nostri in irritum ceciderunt.

Collegium Brunsbergense.

SACERDOTVM numerus mense Maio imminutus obitu P. Petri Raphel Prutheni Brunsbergensis: magnum ciuibus, & quibus præfectus erat Collegij discipulis sui desiderium reliquit. Decimumquintum annum in Societate egit, singularis tractandorum animorum & præcipuè hæreticorum artifex, magna vt sui ipsius contemptione, ita Dei colendi contentione prælustris. Nouus è Culmensi cathedra ad Warmiensem traductus Episcopus permultis vario linguarum discrimine gratulationibus, & publico dramate consalutatus est. Salutatores iuuenes, qui è præcipua nobilitate fuerunt, summis beneuolentiæ signis complexus est. Nec minore humanitate Societatem nostram prosequitur, quam non obscuris munificentiæ argumentis testatam identidem fecit. Inter cetera illud; colonos quatuor, quorum operis dumtaxat hactenus in prędio colendo vtebamur, penitus nobis cum omni emolumento addixit mancipauitque. Nepotem suum gymnasiis nostris, & conuictu excolendum tradidit, non ignarus quàm præclarè opera hîc in prima ætate informanda collocetur. Cuius informationis fama Daniam Noruegiamque magis ac magis per-

 uadit.

uadit. Vnde hoc anno non pauci etiam primæ notæ viri suos liberos disciplinis nostris imbuendos transmiserũt. Incitantibus videlicet eos duobus olim Pontificiis alumnis, quorum vnus in Dania, alter in Noruegia in apertis ludis iuuentutem nostratium more percolunt. Noruegus ille duos hîc fratres habet, quorum senior bene doctus vir apud suos antè pro Curione fuit, nunc hæresi cum orthodoxa fide commutata ad sacros Ordines adspirat. Quidam in Noruegia magni apud suos nominis Prædicans consulto priùs & approbante pseudoepiscopo filium huc ablegauit.is patriam execratus perfidiam Ecclesiæ Christi se aggregauit. Diuersi prorsus animi pseudoarchiepiscopus Daniæ, qui regni illius iuuenes gymnasiis nostris prohibere conabatur, quem conatum Rex Daniæ subodoratus fertur in hæc verba respondisse: Operam luserit senex ille hoc interdictp: quin potiùs se cum suis viriliter contra Iesuitarum discipulos armet, eosque disputando peruincat si poterit. Non desunt iis in locis, nec in ipsa regia qui fidei faueant incorruptæ: ad quam reducendam tot ostenta cælestia tam in Dania quàm in Noruegia cohortari sunt visa. Optatius nihil est neophytis illis quàm vt legitimum sacerdotem quem rebus in dubiis cõsulant, aliquando nanciscantur. Complures ex iis in noua Pontificiorum & Regiorum alumnorum domo vtiliter degunt: qui vt solida pietate fideique Catholicæ cognitione vberiore armentur, peculiari studio ad id incumbunt duo è Scandia oriundi Patres, quos summa voluntas admodum R.P. Generalis huc destinauit, rei Catholicæ in transmarinis illis regnis promouendæ. Satrapa Danus qui superiore anno suos filios instituendos huc direxerat, hoc anno iteratis litteris eosdem P. Re-
ctori

ctori commendauit. Eius maior natu filius multorum dolore feriis D. Andreæ morte nobis ereptus, sed piâ & multis inuidendâ. Mira in eo nobili adolescente iam eiuratis quæ à pueroimbiberat dogmatibus, pietas, mirus Deum precandi ardor præter ceteras virtutes eluxit, vt sociis non minori exemplo quàm admirationi fuerit. Eius vestigiis superstes germanus insistere contendit. Parthenicorum pietas antiquum obtinet. Quinque ex iis Societati nomen dederunt: alij ad cœnobitarum familias transiuerunt. Quidam diœcesani seminarij alumnus inflammato studio sibi gratiam ab Episcopo fieri petiit ad Carthusianorum Ordinem se conferendi: impetrauit, lætus ac triumphans abiit: mirificè priùs eius tentata fuit constantia ab amicis eum ad coniugium & mercatorum infelix iugum auocantibus. Alter eiusdẽ seminarij alumnus, qui improborum cõsilio inde profugerat, meliori exemplo labem aspersam detersit, S. Dominici instituta complexus. Philosophiæ curriculo festiuo cum applausu finis impositus, variis priùs in solemni doctorum virorum consessu disputatis thesibus. Instaurato cursui auditores & existimationem auxit ex vrbe Roma recèns missus Philosophiæ professor. & verò præceptam opinionem strenuè tuetur. Animorum commoda hæc sunt. Solemnibus Christi nati, circumcisi, & à regibus adorati feriis, elutis animorum sordibus diuinum conuiuium celebrarunt 700. supra mille. Expiati à noxiis quas vel à prima pueritia contraxerant, ad octoginta. E quibus quinque circiter & quadraginta repudiatis falsarum opinionum commentis Romanæ Ecclesiæ manus dederunt. Inter hos vnus non vulgaris ter ad perfidiam relapsus iam cum morte colluctans, coram vno è nostris accito magna

doloris ex flagitiorum recordatione ſuſcepti ſignificatione hæreſim abiurauit, pauciſque horis à confeſſionis Sacramento ritè obito extremum diem obiit. Sex ſeptemúe qui ex graui corporis valetudine in grauiorem mentis ægritudinem inciderant, acceſſu cuiuſdam è noſtris ad ſe reuerterunt, ac de peccatis confeſſi ſunt. quo facto quidam de integro eodem morbo correpti, quidam penitus ſoluti ſunt. Vnus eò inſaniæ fuerat redactus, vt totus nudatus per compita diſcurreret, catenis tandem vinctus luculenta vulnera brachiis impreſſerat, decimo circiter quinto die menti redditus vni ſe ex noſtris ad confeſſionem hortanti paruit sceleſti pane refectus penitus conualuit. Quædam poſt obitum incolis domus in qua exſpirauerat ſui corporali ſpecie exhibita magno terrori fuit, quę ſimul à noſtro ſacerdote cæleſtis hoſtia pro ſalute demortuæ oblata eſt, conquieuit. Multi diſſidentes graui odio inter ſe operà noſtrorum reconciliati: in quibus erant duo primarij ciues. piis commentationibus perpoliti huius ciuitatis Curio, & quidam Warmienſis Canonicus. Quin Reuerendus Abbas Oliuenſis euocato hinc ſacerdote, cui alter additus imminentibus anniuerſariis Domini reuiuiſcentis feriis ſe & ſuorum cœnobitarum nonnullos ſacris exercitationibus reformandos tradidit. Quo tempore pia ad eoſdem exhortatio non ſemel facta, moreſque in melius commutati. Miſſi etiam in vicum Glottovvienſem noſtri (quo tempore maxima hominum multitudo deuotionis cauſa concurrere ſolet) tantam in ſumma hominum frequentia modeſtiam notarunt, vt ne vnum quidem maximis licet caloribus deprehenderint temulentum Exhortati ſunt circumfuſam multitudinem ad Sacramenta confeſſionis, & ſynaxeos myſte-

myſteria præfixo die obeunda. nec ſine fructu, qui anno vertente vberior ſperatur. Nec Miſſio Warmienſis, quæ ſingulis Dominicis & feſtis diebus facta fuit, ſuo fructu caret. Proximiores pagani à præceptoribus & Philoſophiæ auditoribus ſermonis Germanici peritioribus, feſtis item & Dominicis diebus, vt & ſuburbani catecheſi formantur. Quodam in oppido vna concione à noſtro contra fornicationis vitium habita permotus Magiſtratus politicus, ſeptem proſtituti corporis mulierculas comprehenſas eo ipſo die in carcerem compegit, & poſtridie ciuitate penitus interdixit. In ædibus cuiuſdam è primaria nobilitate viri Lutherum profeſſi multùm laboratum eſt per ſacerdotem noſtrum, & magna ſemina melioris frugis iacta.

Collegium Pultouienſe.

VIR quidam Eccleſiaſticus ſpiritu deſperationis impulſus eò deuenerat, vt ſibi manus afferre conſtitutum haberet; cùm ecce vni ſacerdoti è noſtris Deus eam iniecit mentem, vt præter conſuetudinem adiret hominem: ſed eum multa contra nos & inſtitutum noſtrum cum furore debacchantem poſtquam humano conſilio haud poſſet lenire, ad orationem ſe vertit, & prouoluens ſe in genua illo præſente recitat Litanias B. Virginis. hoc ille conſpicatus cœpit primùm animo vehementer commoueri, & tandem vi conſcientiæ ſuperatus ſe derepentè proripit, & pronus in modum crucis proſtratus lacrymas fundit, tum confeſſionem flagitat: qua peracta rediit animo optata tranquillitas. Alter quidam magna in clero auctoritate & gratia, tanto in noſtram Societatem flagrabat odio, vt ſæpiùs dice-

ret,se diabolum malle intueri,quàm è nostris aliquem. Is ex vehementi quadam animi perturbatione in tantos animi fluctus incidit, vt sibi restim pararet qua periret. Sed accursu vnius è nostris opportuno, non solùm salubri consilio ad sanitatem mentis est reuocatus, verùm etiam charitatis officiis deuictus, vt & priuatim nos amet familiariter, & interdum publicè magno virorum grauissimorum consessu nos tanquam vitæ auctores suæ depredicet. Odia & inimicitiæ grauiores, quę sui magnitudine in graue aliquod incendium eruptura videbantur (quod in hisce partibus non infrequens) inter viginti & eò amplius compositæ. Duo etiam senatorij ordinis viri inter se grauiter dissidebant. Hos inter vnus ex nostris pacem constituit, & effecit vt is qui prior offensus fuerat, tametsi dignitatis gradu præiret, alteri tamen venienti ad templum officij causa occurreret, & ad se inuitatum liberalissimè tractaret. Qui incestas contraxerant nuptias cum fraude Ecclesiæ salutisque suę dispendio, vt eas dissoluerent persuasi sunt sex. plures à fœdis voluptatibus abducti. Vsurarij vndecim ad restitutionem & liberaliorem mentem reuocati. Mulieres duæ, quæ vulgò energumenæ putabantur, Sacramento confessionis & aquæ benedictæ vsu sunt curatæ. Exercitiis spiritualibus exculti sunt viri tres, dignitate Ecclesiastica eminentes, sex item alij sacerdotes, præter laicos aliquot. Cùm periculosa bella atque etiam pestis vniuerso propemodum regno imminerent, habita est in templo nostro oratio diurna seu statio quædam, quæ miram in animis hominum deuotionem excitauit. Hanc illi maxima sui frequentia, lacrymis & crebro ad Pœnitentiæ Sacramentum recursu declararunt. Eundem actum, sed adhuc magis communē illum Christianorum in

Para-

Parasceue luctum egregius complurium flagellis in se acriter sæuientium ardor honestauit: quorum vno die plures trecentis sunt numerati. Atque hoc ipsum mortificationis genus etiam ad vicinos pagos inter plebem ab vno è nostris est deductum. Cujus hortatu hebdomadæ sanctæ feriis bona colonorum manus ad sui pro Christo diuerberationes est impulsa. Scholæ porrò nostræ tanto in flore fuerunt hoc tempore, vt numquam Pultouiæ magis, siue numerum spectes discentium, siue profectum. Numerati enim sunt hoc anno supra mille centum & viginti: ex quibus plerique eorum qui Philosophiæ proximo anno inchoatæ operam nauant, præclarum ingenij ac diligentiæ specimen ediderunt. Illustrissimus Nuncius Apostolicus à studiosis gratulatione & dialogo breui de S. Ioanne Damasceno exceptus, non verbis solùm gratissimum eorum officium sibi accidisse, verùm etiam Indulgentiis trecentorum annorum concessis testatus est. Superioribus annis acceperamus à Reuerendissimo Episcopo Plocensi Alberto Baranovvsky eleëmosynam quatuor millium florenorum. Ad hanc summam adiectis isto anno adhuc aliunde duobus millibus, emptum est prædium in vsum Collegij Lissouo dictum à magnifico Domino Petro Kostka Vexillifero Ciechanovviensi. Hic ille est germanus frater natu maior sanctæ memoriæ B. Stanislai Kostka Societatis nostræ: qui cùm omnes suas alioqui amplissimas facultates in pia opera erogasset, reliquum quod supererat patrimonij nobis vendidit non sine beneficio. Nam in primis in nostram gratiam plures emptores posthabuit, qui illi pro eisdem agris multò maius pretium offerebant. Deinde ex eadem pecunia à nobis accepta, ad alendos pauperes studiosos, flore-

nos mille quingentos pridem destinatos attribuit, & in manus nostrorum dedit dispensandos. Vir certè singularis, & in dispari viuendi genere virtutum fraternarum geminus æmulator. Illius pietas, modestia, terrenorum contemptus & orationis assiduitas non externis solùm omnibus, verùm etiam Religiosis ipsis admirationi est & exemplo. Perpetuò cælebs vitam peregrinationibus & cura pauperum insumpsit, cum quibus in xenodochio à se exstructo & ditato iam propè annum octauum degit Przasnisij, oppido patriæ suæ propinquo, vbi etiam Patribus Bernardinis proprio sumptu templum cum monasterio etiamnum exstruit. Hæc de domesticis, pauca subiiciam de externis. Cùm pestis inualesceret in ciuitate, & fugæ datum esset indicium, inprimis vniuersa ciuitas in templo nostro peccata sua confessione expiauit. Postea nostri relictis tribus domi sacerdotibus, totidemque Fratribus, qui ægrotis præstò essent, omnes ad prædium Collegij commigrarunt, vbi cùm angusta admodum mansio esset, & Philosophiæ curriculum ibidem continuandum restaret, ope piorum hominum noua domus cum aliquot cubiculis & sacello exiguo est constructa. Interea verò à nostris excursum est ad opida vicina spiritualis quæstus causa. Adiuti sunt aliqui morientes, nonnulli à vanis superstitionibus aut veneficiis absterriti: plurimi verò, qui grauioribus peccatis erant obstricti, à quibus nec à propriis Pastoribus absolui poterant, nec alios idoneos vulnerum suorum medicos quærere voluerunt, subleuati. Quidam eques in itinere fuit, vt inimicum suum è viuis tolleret; fortè fortuna incidit in nostrum Patrem, quem familiariter salutatum sequitur ad templum, diuina mysteria tractaturum: vbi dum adest ita emollitus est, vt statim

tim finito sacrificio diuino, ad confessionem accederet, & magno pœnitentiæ indicio propositum immutaret. Alibi lis fuit inter duos fratres Equestris ordinis grauissima, quæ nullis vicinorum remediis potuit consopiri; sed nostris cò venientibus effectum est, vt alter eorum, fratrem à quo paulò antè tria vulnera acceperat, amicè fuerit complexus. In iisdem itineribus schismatici quatuor Ecclesiæ vnioni sunt restituti : duo in fide vacillantes confirmati : ab hæresi conuersi tredecim, quorum vnus quam conuersionis caussam habuetit, exponam. Est in finibus Masovviæ & Poëllachiæ pagus Prostinia dictus, vbi ante centum propè annos duo templa occasione apparitionum quarundam & miraculorum complurium exstructa sunt, & magna vndique hominum frequentia vsque ad hæc tempora celebrantur. huc nostris tunc præsentibus in die patrocinij S. Annæ venit ex voto vir, visu ab annis septem penitus destitutus. hic cùm altare venerabundus obit & Deo supplicat, aduertit sensim sibi oculos aperiri, hominesque & altaria apparere, quæ antè non viderat. Exclamat, & Dei beneficium exponit. Ad eum concursum venit etiam quidam chirurgus Lutheranus, qui diuina virtute in templis Christianis agnita cœpit de sua pertinacia remittere. denique post paucos menses nostris illuc iterum venientibus Ecclesiæ Catholicæ est restitutus. Plerisque in locis, quà nostri transibant, magno gustu conciones eorum ab hominibus sunt exceptæ, fame diuini pabuli omnia condiente. In his fuit illustris quædam genere & moribus matrona, quæ id sæpiùs profitebatur, & nostris præsentibus bis intra mensem pauperum abluebat pedes, data eleëmosyna soluto conuiuio, cuius ipsamet fuit auctor & ministra.

nistra. Fuit denique & alia Missio ad vicinos pagos constituta à duobus Patribus exemplo Apostolico ad instructionem rudiorum obita.

Collegium Polocense.

QVONIAM omnia hîc hæreticis schismaticisque plena, orthodoxos admodum paucos eosque pauperes habemus; schismatici tamen quindecim Romanæ Ecclesiæ sunt vniti, & præterea hæresim nonnulli eiurarunt. Orthodoxorum triginta sex primas omnino totius anteactæ vitæ confessiones fecêre: inter quos octogenarius quidam cùm à Moscis captiuus teneretur, more & ritu eorum secundò baptizatus fuerat, cùm ab ipsa infantia fide Catholica imbutus fuisset. Generales confessiones à primis orsi annis redintegrarunt septem supra triginta, & quinquaginta aut eò ampliùs, qui per plures annos animi maculas non eluerant. Idem etiam consilium Moscæ feminæ tres secutæ, confessione delicta sua expiarunt. Duo, qui graues inter se exercuerunt inimicitias odiis depositis in gratiam redierunt. Alij item duo priusquam epulum cælestis mensæ degustarunt, mutuam beneuolentiam sunt amplexi. Pauperum hic annus feracissimus est. Nam propter intolerabilem in Lithuania & Russia victus penuriam maxima in hanc vrbem confluxit multitudo, confluitque in dies: quorum pars non exigua ad Collegij nostri limina quotidiana stipe sustentatur. Eosdem subleuant & ciues, & præcipuè qui sunt in magistratu constituti suasu hortatuque nostrorum liberales eleëmosynas conferunt. Interim tamen cæli iniuriis & fame quotidie in plateis, & in domuncula quadam quæ

ampliùs trecentos alit pauperes, plurimi extinguuntur. Cui malo occurrere omnibus modis volentes de ampliori domo eis concedenda seriò egimus, ipsiſque tametſi in anguſtiis ædem pro iiſdem pauperibus conduximus, in qua eis quotidie panem impartimur. Præter hos omnes degunt alij tum in noſtro, tum in ſchiſmaticorum hoſpitalibus, pro quibus noſtri tirones paſſim per varias vrbis plateas domoſque ſtipem emendicant, emendicatam ægrotis miniſtrant. Nec conclusa hoſpitalium parietibus eorumdem Fratrum charitas, in apertum ſe prodit. Publicè in foro, & domos vicatim adeuntes, pueros ceteroſque populares fidei rudimentis imbuunt, carceres viſitant, morbo domeſticaque ſollicitudine afflictos exhilarant, conſuetudinem frequentandi templa, Sacramenta participandi inducunt. Præter hæc omnia his luctuoſiſſimis anni ſterilis temporibus, tantam in pauperes aduenas, in domibus iis de quibus ſuprà diximus, incluſos exhibēt beneuolentiam, vt quotidie omnes pænè domo effuſi tam ſacerdotes quàm Fratres ſpiritualia ſimul & corporalia procurent eis diſtribuantque alimenta. Sacerdotes quindecim confeſſionibus perpetuò occupantur, pro futuræ vitæ via inſtruunt, animam exhalantibus præſtò adſunt. Nulli omnes hos à tam vtili circa proximos labore abſtrahunt labores, nulla retardat laſſitudo, nullus terret horror, graueolentia nulla, nec triſte ac miſerabile tot in ipſorum oculis morientium ſpectaculum repellit. Taceo continuas ipſorum ante ſanctiſſimum Domini noſtri IESV Chriſti Corpus orationes, per totum hunc annum pro neceſſitatibus regni ac Liuoniæ habitas, mortificationeſque ad eundem finem inſtitutas. quæ adeò frequentes fuerunt, vt aſſidua quædam oratio eſſe videretur.

Hæc

Hæc de nouitiis nostris : iam de studiosis. Quicumque in nostris scholis versantur, etiam ii ferè ex parentibus schismaticis hæreticisúe sunt prognati. Ex his non pauci inueniuntur, qui illorum hæresim aut schisma execrantes Romanæ Ecclesiæ dant nomina, Deiparæ Virgini præcipuo cultu & religione in eius Sodalitate famulantur. cuius Sodalitatis præclarum facinus hoc anno editum, & antè vix vsitatum nullo modo silentio est prætereundum. Numquam antè Sodales pœnas de se voluntariè sumpserunt hebdomadæ sanctioris feriis ante sepulchrum Domini. Cernere erat nobiles viros, quibus hoc olim portenti instar erat, studiosis immistos vindictam de se sumere, nec inferiores aliis existere. Præter Moscouiticam profectionem quinque aut sex aliæ celebres hoc anno fuere Missiones ad præcipuas Russiæ ciuitates & opida. Confessione expiata tria ferè millia : inter quos schismatici fuerunt ducenti, non pauci hæretici: ex his mensæ salutaris conuiuæ pænè 700. Quædam perditi pudoris femina, multis annis scelus in confessione reticere solita, cùm in festo Annuntiationis B.Virginis sacram obiret synaxim, repentè pedum alter ei in tumorem abiit, & in tantum ipsa incidit languorem, vt iamiam à morte se occupari sentiret. Huius vltionis diuinæ causam animaduertens, promisit fidelitatem pœnitentiæ, subitoque pristinæ incolumitati reddita promissa exoluit. Altera cæleste Corporis Christi conuiuium iniit non expiata; sed sacrosanctam hostiam nulla ratione sumere potuit. Quæsita à porrigente, cur diuinitus à sumptione prohiberetur, se absque confessione accessisse respondit. Nostrorum operâ ex hæresi ad veritatem Catholicam supra viginti traducti ; quorum vnus Ana-

ba-

baptiſta ſalutaribus perfuſus aquis. Mos diutiùs retinendi intra tecta infantes non baptizatos in aliquibus locis eſt ſublatus. Multi vinculo matrimonij colligati, qui antea legitimum connubij ius non habuere, prouiſumque ne in poſterum aliqui non copulati cohabitarent. Conciones frequentes ad paganos, oppidanos, in foris, vicis, templis etiam ſchiſmaticis habitæ. puerorum puellarumque chori ad elementa fidei haurienda coacti, orationemque Dominicam & cetera edocti. Templi adeundi conſuetudo frequentior inuecta. Quadraginta horarum ſupplicationes pro felici comitiorum exitu ac neceſſitatibus regni indictæ, tanta frequentia ſunt celebratæ, vt loci anguſtiæ multitudinem non caperet. Diuerberationes etiam in oppido quodam ante ſepulchrum Domini hebdomade ſancta factæ maximam oppidanis & admirationem & deuotionem attulerunt. Inſtitutum præterea, vt quotidie ſalutationis B Virginis ſignum ære campano publicè ritu Chriſtiano daretur. Variæ prauæ conſuetudines, quę cum multis grauiſſimiſque ſceleribus peragebantur, ſunt abrogatæ Multi noſtrorum ſuaſu in gratiam rediere. Exceptæ in diuerſis villis pro feſtiuitate Paſchali confeſſiones ad 700. vniuerſæ vitæ confeſſiones fecere quadragintaſex: in his nobilis matrona, quæ reiecta Caluiniſtica perfidia Eccleſiæ reddita, deuota diuinorum myſteriorum participatione plurimis exemplo præiuit ad idem faciendum. Quidam Anabaptiſta vir primarius, qui antea capitalem ſe hoſtem Collegio oſtendebat, Collegiique fundationem oppugnare, & ceteros ad idem faciendum ſuo exemplo concitare ſolebat; nunc in diuerſa mutatus ita noſtrorum eſt amans, vt & in cauſis terreſtribus (iudicem enim agit) & in aliis negotiis

egre-

egregiam nobis nauet operam, cùm à prima sui origine Collegium hoc ad ista vsque tempora numquam etiam iustissimas causas obtinuerit. Vt venit Polociam, confessus hæresim abiurauit.

Collegium Niesuisiense.

COLLEGIVM Niesuisiense hoc anno Liuonicâ calamitate est auctum; Derpato nostros humaniorum litterarum studiosos octo suscepit. Præter hos sacerdotes vndecim Collegium aluit, quorum quatuor professores, vnus Casuum conscientiæ, alter rerũ in fide controuersarũ, tertius Rhetoricæ, quartus externorum Poëticæ auditorum, duo è Sociis Grammatices magistri, reliqui partim sacrarum lectionum auditores, partim rerum domesticarum curatores, ita vt ad trigesimum excesserint numerum. Æstate ciuitates, vicos & pagos diebus Dominicis & festis ad imbuendos rudes doctrinæ Christianæ capitibus adierunt. Missi quinquies vel sexies duo sacerdotes in vicina loca iuuandæ aliorum salutis causa, ita vt post mẽstruũ spatium domũ se reciperẽt. Vnus præterea sacerdos, rogatu Illustrissimi Domini Cancellarij Lithuaniæ, in extremis Lithuãiæ finibus versatus est inter schismaticos, pœnitentiumque confessiones non paucas excepit: generales viginti & vnam. multæ verò eorum qui numquam hoc Sacramentum adierant, auditæ. Ibidem circiter triginta paria, illicita coniugia legitimo matrimonio commutarunt: prouisumque pudicitiæ matronarum & virginum, cùm miles in Liuoniam pergeret. Ab hæresi ad Ecclesiam Catholicam quatuor sunt adiuncti. Simulta-

tes

tes & odia inter paria duodecim extincta, quæ præsertim inter nobiliores in graue incendium videbantur eruptura. Periuria non pauca in rebus magnis impedita. Factæ etiam conciones in templis Ruthenorum, tam illos propensiores erga Catholicos reddiderunt, quàm ipsorum Popos ad sæpiùs concionandum incitarunt, sinistrasque de nobis opiniones deleuerunt. Aliæ præterea excursiones sæpiùs institutæ, docendis simplicioribus magno cum fructu. In ipsa verò ciuitate Germanorum, partim Catholicorum, partim hæreticorum cura à nostris habita solito diligentior, publicis concionibus ad eos haberi cœptis. Studiosi Collegij sæpiùs hoc anno specimen tum pietatis, tum eruditionis ediderunt. In hebdomadæ sanctioris diebus, & in quadragenûm horarum supplicationibus, flagris in propria corpora sæuierunt. Drama appositè actum Illustrissimo ac Reuerendissimo Domino D. Claudio Rangonio Nuncio Apostolico præsente, cui etiam templum nostrum solemni ritu dedicanti, versibus typis mandatis suam nauitatem probauerunt. Hoc eodem tempore idem Reuerendissimus decem virginibus Deo dicatis sacrum velum imposuit, Confirmationis Sacramentum multis contulit, & vnum Tartarum sacro baptismatis fonte lauit.

Collegium Rigense.

IN Collegio Rigensi (nouitiatus enim Polociam translatus est) propter bellicos motus non fuit constans personarum numerus. vix tamen pauciores tredecim: inter quos sex sacerdotes, præceptor vnus, reliqui rerum domesticarum administri. Sacerdos vnus, Andreas Klingerus Pruthenus, annos circiter quadraginta & duos natus magno sui relicto desiderio extinctus est. Vir erat integerrimus, candidus, optimi exempli, omnibusque charus, in Societate annos octodecim habens. Dum Rigensis ciuitas suam erga Regem Poloniæ fidem probare non destitit, ad arcem mari imminentem à præfecto eiusdem, Caluini sectæ addicto, petitus est à Superiore Collegij sacerdos vnus è nostris, qui Catholici militis saluti præstò esset. Ibi lue morbida grassante, nostrorum charitas enituit, cùm aliter confessiones excipi non possent quàm humi decumbentibus adiacendo. Plurimi peccata confessi qui id egerant numquam. Hæretici quatuor ad Ecclesiam reducti. Odia inter militum capita arcisque præfectum orta per nostros extincta: præcipuè verò Rigensis ciuitas cum eodem Præfecto reconciliata. Veris initio, cùm miles in hostem duceretur, vir quidam primarius ordinis senatorij, hæresi Caluini imbutus nostros expetiit, militis sui Catholici gratia. Quod factum etsi generalis exercitus dux, itidem Caluinista, iniquissimo animo ferret, eum tamen à proposito dimouere non potuit: imò & conuersionis futuræ non ob-

scura

ſcura data ſunt indicia, & imminente conflictu à noſtro petita benedictio. In caſtris tota æſtate multis confitentibus aures datæ, multi moribundi adiuti; viginti à varia hæreſi abſoluti, militiſque feruor eò adductus, vt ipſimet magno cum pietatis ſenſu quotidie Sacrum, Veſperas & Completorium concinerent: nec ferè vllus dies fuit, quo non aliqui (inter quos viri ordinis ſenatorij fuere nonnulli) Angelico pane reficerentur. Feruorem hunc Catholicorum licet hæretici, ac inprimis dux ipſe exoſum haberet, impedire tamen auſi non ſunt: ne tamen ipſi quoque nihil agere viderentur, aduocarunt Caluiniſticum Miniſtrum, qui ſimile quid in ſectariis moliretur: cæterùm poſt multarum hebdomadarum laborem ægrè tandem perſuaſum ex toto exercitu viginti hominibus fuit, vt ad profanæ menſam cœnæ accederent. Ciuium Rigenſium nullo vnquam tempore, quàm hoc perturbatiſsimo maior in nos eluxit beneuolentia, qui vt ne quid à petulanti milite pateremur cauerunt, & diligentiſſimam obſidionis tempore noſtri rationem habuerunt. Hæreſim eiurarunt triginta, inter quos magnæ nobilitatis & auctoritatis vir cum triginta annis hæſiſſet in hæreſi, à Patre Rectore ad gremium Eccleſiæ eſt reductus. Schiſmatici etiam ad Eccleſiæ vnitatem quatuor ſunt adducti.

Domus Varſauienſis.

FVERVNT in hac Domo non ampliùs ſex de noſtris: ex iis vnus anno exeunte deſideratus, Pater Ioſephus Menertius, quem tres & ſexaginta natum annos matura iam mors ad laboris & patientiæ ſuæ præmia admiſit: cuius ille vtriuſque extrema ætate & morbo acerrimo, quo pluribus menſibus conflictabatur, documenta edidit. Ex magna officiorum frequentia, quibus Domus hæc diſciplinæ ſuæ muneribus obeundis hanc ciuitatem tuetur, illud in primis multorum meruit commendationem; quòd, cùm ob cæli grauitatem multò vehementior quàm anno ſuperiore peſtilentiæ vis coorta eſſet, omni ciuitatis clerò & cœnobitis eiuſdem metu dilapſis, noſtri ſoli operam ſuam ciuibus nauarunt. Non enim ſe tèmpli dumtaxat parietibus eorum continebat charitas, ſed foras etiam progreſſa per domos & campos aëris contagione infectorum mentes à ſcelerum contagione expiabat. Tres hæretici, totidem ſchiſmatici ad Eccleſiæ Catholicæ obedientiam tranſlati. Complures qui vitæ maculas multis retrò annis non eluerant, ad id faciendum ſalubri conſilio inducti. Mulierculis etiam non paucis, quæ ætatis flore & corpore ad libidinem abuſæ fuerant, quarumque nonnullæ in cœno hoc pænè computruerant, perſuaſum, ne ſe ampliùs fœdis voluptatibus irretirent. Celebris & peruetuſta illa frequentiùs ad patefacienda peccata confeſsione, & ad diuinas epulas accedendi conſuetudo, quæ hìc vt & in pleriſque adhuc

hucregni huius ciuitatibus aut numquam vsurpata, aut abrogata fuerat, noſtrorum operâ introducitur, certè reuocatur: ita vt rara admodum dies intercedat, qua ſufficiens de animis bene merendi materia non detur plerique ſacerdotum, quorum hic non exiguus numerus, libentes & frequentes ad eluendas ritè noxas noſtros accedunt. Pluribus egenis, quos anni ſterilitas ad opem aliorum implorandam huc compulit, re ſtipeque oſtiatim corrogata ſubuentum, nihilque quod vel ad leuationem inopiæ, vel ad ſalutem faceret animorum prætermiſſum.

ANNI MDCI. FINIS.




IHS